
gleng. 9 Oct: 1740 - 6 grossi.



John Carter Brown
Library
Brown University

[Dis]sertatio de Scriptura secundum erroneam
opinionem Catyrenta

Til
pastor Carl Ludvigsen

som ærbødig og taknemmelig
og kærlig hilsen
d. 14/4 1948
fra
Georg Buchwitz

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

CHRIST. EBERH. WEISMANNI,

THEOLOGI TUBINGENSIS,

ORATIONES ACADEMICÆ

I. DE CAUSIS, CUR TOT EXIMIA DEI DONA, NOSTRA MAXIME ÆTATE, UTPLURIMUM SINE FRUCTU PEREANT?

II. DE VIRTUTIBUS, VITIIS, ET FATIS MISSIONUM E. R.

III. DE RELIGIONUM INDIFFERENTISMO.

IV. DE GLORIA CHRISTO INFANTI A SPIRITU DEI VERE, ATQUE AB HOMINIBUS FALSO ATTRIBUTA.

V. DE HUMILIATIONE CHRISTO MAXIME INFANTI A SPIRITU DEI VERE, FALSO AUTEM ET LUBRICA FIDE AB HOMINIBUS ADSCRIPTA.

PRÆMITTUNTUR

DISSERTATIONES GEMINÆ

I. DE ERRORIBUS QUIBUSDAM ET ABUSIBUS VERO THEOLOGIÆ NATURALIS PRETIO USUIQUE LEGITIMO CONTRARIIS.

II. DE LITURGIA, UT PRÆTENDITUR, COELITUS INSPIRATA; UTRAQUE NECESSARIIS, IISQUE AMPLISSIMIS, NOTIS ET COMMENTATIONIBUS ILLUSTRATA.

TUBINGÆ,

Apud CAROL. THEOPH. EBERTUM.

MDCCXXIX.

PRÆFATIO.

NOn longa excuſatione, vel alia quavis præfatione verboſiore brevis, quem nunc edimus, libellus indiget. Quicquid igitur præfari ex more conſtitui, quibusdam obſervationibus impendam apologeticis, quarum occaſio pridem parata erat, ſiquidem in hoc ſcribendi genere cum voluptate verſarer. Faciam vero hic officium meum, Deo juvante, & propter Deum (licet a nonnullis graviſſime laceſſitus) ea cum animi calamique cuſtodia, ut ſperem, nec amicum mihi lectorem, nec inimicum, quidquam in verbis inventurum meis, quo ſe læſum eſſe aut ſcandalo affectum, jure poſſit conqueri. Nemo inter doctos acerbius hucusque atque licentioſius mihi inſultavit, quàm Profeſſor ille Hamburgenſis notiſſimus, ex hoc meritorum genere pridem celebris. Nihil vero nunc dicam ultra de illius in *Introductionem* meam *Hiſtoricam Animadverſionibus* jam diu editis. Ad haſce adhucdum decrevi nihil data reſpondere opera, niſi ſuo loco & tempore. Si utrumque, (quod tamen ne fiat, in mea poteſtate eſt) non tam citò, aut plane non, mihi obtigerit, ne ſic quidem veritati ipſi, aut meæ innocentiæ magnam ex ea mora jacturam me-

tuo. Neſcio autem, cur me conſtanter hactenus tacente (ſi pauculas forte lineas excipiam) deque illius Viri conviciis parum ſollicito, idem tamen occaſionem quamvis, obtorto etiam collo, arripiat ſuas in me augendi continuandique injurias? Sic eo in libro, quo ſub Johannis Glaſeri nomine notas ſuas criticas & maledicas in Halenſem Theologum, D. Langium, more ſuo denuo effudit, maximeque de controverſia, quam vocant, Terminiſtica cum eo rurſus cœpit altercari, meum quoque intruſit nomen, quod ab ea cauſa debebat eſſe remotiſſimum: illa enim quæſtio nulla prorſus ratione ad me pertinet. Scilicet hoc prætextu uſus eſt. Allegaverat objicientes aliquos, quod ad Huberianiſmum accedant, qui omnem terminum gratiæ negarent peremtorium. His reſpondet, Huberianos non apud hos, ſed inter Pietiſtas eſſe quærendos. Nihil id ad me attinebat. Et in exemplum tamen me dare placuit præ aliis. Sed quare? Dicit, me *in Hiſtoria mea Eccleſiaſtica Huberi cauſam agere, erroremque ejus rem tantillam vocare.* Judicent Lectores cordati, quam apta hæc ſit atque idonea probatio. Ponamus (quod mihi liceret non concedere) me de pondere illius controverſiæ inter Huberum & Theologos ceteros exortæ tenuius, quam par erat, exiſtimâſſe. Erràſſem tunc circa factum, errore admodum veniali, atque momenti plane exigui: verum tamen Huberi erro-

errorem in meas idcirco rationes, hoc maxi-
me loco, referre præpoſterum & affectatum eſt.
Præterea non eſt omni ſenſu verum, quod, qui
logomachias in controverſiis interveniſſe ſta-
tuunt, has propterea extenuent. Logoma-
chiæ, quam diu non agnoſcuntur, aut corri-
guntur, eosdem prorſus cum realibus contro-
verſiis effectus producunt: præterquam quod
pernicioſius turpiusque ſit haud raro certare
propter logomachias, quam de rebus maximis
graviſſimisque. Id in Huberianis iſtis contro-
verſiis re ipſa eveniſſe, plane mihi perſuaſum
eſt. Addit vero Cenſor meus fabulæ fabulam.
Sic pergit: *Quid hoc ad Langium? inquies.* (Ju-
ſtiſſima eſt hæc objectio. Cur enim iſte Theo-
logus in jus vocari poſſit propter ea, quæ a me
ſcripta ſunt? non omnes continuo intelligent)
*Dicam. Langius Facultatis ſuæ nomine literas ad
Weismannum dedit, quibus jam plus ſatis inſa-
nientem inſtigat, ac tela ſubminiſtrat in Autorem
Animadverſionum emittenda. Tradunt igitur ope-
ram mutuam.* Quidquid hoc loco occurrit con-
vicii, id pro officio hominis Chriſtiani & Theo-
logi ex animo condono. Ne eo quidem jure
uti cupio, quod ordinariæ leges Societatis lite-
rariæ permittunt. Velim hic ſequi ἀκρίβειαν di-
ſciplinæ vere Chriſtianæ, & cedere jure meo,
etiam innoxio & honeſto. Illud quoque cer-
tum eſt, nihil magis cauſæ habere hunc Virum,
cur mea commercia literaria ipſum vel eminus

tangant, aut angant, quam me quidem ſollicitum tenent privata ipſius negotia. Unde tamen hanc fabulam, quam usque adeo odioſe detorquet & applicat, didicerit, hauſeritque? ego quidem cum ignariſſimis neſcio. Nihil unquam hujusmodi literarum vidi. Et ſi vidiſſem, quid hoc faciet ad conſenſum D. Langii cum meis de cauſa Huberiana ſententiis demonſtrandum? Si hæc res ipſi tantopere curæ cordique fuit, non opus erat ideo arcana noſtra, ſive vera, ſive imaginaria, ſcrutari: Facilius ſubſidium, idque publicum, in ejusdem Theologi *Hiſtoria Eccles. N. T.* inveniſſet, ſi voluiſſet. Proximum huic ſpecimen plane ſimillimum eſt. Placuit huic Viro commodiſſima atque otioſiſſima Scholarum ſuarum methodo refellere *Hottingerianam* doctrinæ *de Prædeſtinatione & Gratia Hiſtoriam.* Nihil ad me ſpectat hoc propoſitum. Placuit ipſi pro more, at ſine conatu aut voluntate latendi, mutare larvam, & Snittlingii nomen aliâs jam uſurpatum hoc quoque loco reſumere. De his ipſe viderit. In ea comœdia mihi nihil ſeritur, aut metitur. Fateor tamen, niſi forte fortuna meum in hoc Schediaſmate nomen inveniſſem, ne per ſomnium quidem induci me potuiſſe, ut ibi de me quidquam quærerem. Et reperi tamen ejus libri *p. 43.* virulentiſſimam quandam atque contumelioſiſſimam cenſuram, cujus nulla alia adfertur cauſa, niſi quod, Gotteſchalci

ſchalci doctrinam NB. *quoad ſummam rei* ex Auguſtino eſſe deſumtam, atque ab hujus principiis hoc ſenſu non diſſentire, abs me aliquando traditum eſt. Quaſi vero tam ineptum eſſet hoc ſtatuere, & juſta honeſtis Viris tam atrociter inſultandi hic adeſſet materia! Ut nihil dicam de me ipſo: quamvis nec ipſe ego dictaturæ & ferociæ hujus Viri ſubjaceam; quis neſcit eſſe quam plurimos Viros longe doctiſſimos, qui idem prorſus ſentiant? Apud hos nihil certius eſt, quam quod Auguſtinus a recepta in nonnullis deflectens ſemita in eas tandem meditationes atque hypotheſes inciderit, quæ dogmatis Prædeſtinatiani prima deinceps fundamenta & ſtamina factæ ſunt: quamvis de cetero negari nequeat, ſenſiſſe Auguſtinum pro inſigni ſua perſpicacia difficultates maximas, easque omnibus modis conatum eſſe mitigare: quod & in cauſa eſt, cus partes contradictorie a ſe in hac materia diſſidentes ea apud Auguſtinum loca inveniant, quæ modo huic, modo illi ſententiæ favere videntur. Quodſi jam circa hoc factum (eſt enim mera facti quæſtio) ſive noſtræ, ſive aliarum Eccleſiarum; Theologi atque Hiſtorici nonnunquam a ſe invicem magis vel minus diſſentiunt, cur ipſis id liberum & innocens eſſe non debeat? nullam ſane rationem juſtam & gravem perſpicio. Neque hæc libertas ab unius aut alterius Ariſtarchi, & quidem notorie incompetentis, judicio

cio pendet. Ad minimum nulla vel *ingenii*, vel *judicii imbecillitas*, quam quidem totidem verbis mihi objicit, ex hac ſententia colligi poteſt, quam, ſi vel vera eſſet, nemo vere ſapiens aut modeſtus cuicunque proximorum, nedum Viris publico, eoque honeſtiſſimo, munere pro conſcientia fungentibus temere objiciet. Quam enormiter certe contra omnes æquitatis & verecundiæ leges ab obtrectatore meo Boreali peccatum hic fuerit? vel eos, qui ipſum alias ſupra meritum æſtimant, atq; Athanaſii ſeculi noſtri honorifico titulo (quem hac ſaltem parte non meretur, quique etiam hoc nomine datus ipſi non fuit) ob alias rationes ornarunt, judices provoco atque conſtituo. Hujusmodi immodeſtiæ communione publica neminem illorum ſe *collutulaturum* non abs re ſpero, imo certiſſime confido.

De ceteris omnibus, qui mihi publice in nonnullis rebus contradixerunt, ſentio honeſtius, eorumque cenſuram patientius fero. Sunt tamen aliqua, quæ moneam hac occaſione, ſed breviter. Cl. Vir *Erdmann Rudolph Fiſcher*, Diaconus Coburgenſis, in *Vita Gerhardi* ſingulari libro a ſe conſcripta tria vel quatuor mihi objecit 1. in genere ſimilitudinem cum Arnoldo. 2. injuriam Graueri memoriæ per meam credulitatem illatam. 3. errorem in Hiſtoria Lutkemanni. 4. falſo attributam Gerhardo in cauſa Rathmanni ſententiam. V. *Præfat.*

ſat. ad Lect. ac deinceps *p. 315. 321. ſeqq. 341.* Omnis hujus judicii fundamentum & origo eſt, quod in allegatis capitibus uſus ſum *MSctis* Theologorum *epiſtolis* ab Arnoldo ſæpiſſime, ut notum eſt, citatis, earundemque teſtimonio relationes meas Hiſtoricas confirmavi. Hoc crimen meum eſt unicum, ſed confictum & imaginarium. Cum primus & ſolus Arnoldus Hiſtoriæ ſuæ illarum fragmenta epiſtolarum inſeruerit, utique non aliunde, quam ex Arnoldo, ea poterant ab aliis repeti. Eſſe autem falſa atque ab Arnoldo conficta quis crediderit? quis hactenus probavit? Si forte hic ibi in ſuſpicioné adducatur interpretatio quorundam verborum, res ipſa tamen ideo negari non poteſt. Hac una fere occaſione, quæ, ut dixi, vitari non potuit, inſpexi conſuluique Arnoldum. His exceptis omni eo tempore, quo meam ipſe ſcribebam Hiſtoriam, ſtudio conſilioque deliberato ſepoſui Arnoldinam Hiſtoriam, neque temere evolvi, niſi in illis veteris Hiſtoriæ locis, quæ ad modeſtam refutationem pridem ſelegeram deſignaveramque. Unde & ex omnibus aliis monumentis potius, quam ex Arnoldo, derivatam eſſe Introductionem meam, imperitiſſimus quisque vel ex perfunctoria inſpectione deprehendet: nedum ſi Viris harum rerum peritis utrumque librum ſecum conferre invicem & explorare placuerit. Mihi igitur heic Arnoldum, ejusque affectatam imitatio-

nem, objicere, pura puta invidia & criminatio eſt. De ſpecialibus articulis mihi exprobratis multa non dicam. Ex *epiſtolis citatis* clarum eſt, Grauerum Gerhardi Collegæ laboribus detrectâſſe privatis ſuis judiciis, idque ægre hunc tuliſſe Theologum. Quam diu evicta non eſt earum falſitas, tam diu ad hoc teſtimonium licebit provocare. Si conjunxeris aliâs quoque certam Graueri hiſtoriam, multa ſane ibi occurrunt, quæ factum illud quam maxime reddant probabile. Demonſtretur contrarium, & primus ego cum voluptate meam retractabo ſententiam. Quod de Lutkemanni fatis, tanquam a me ſiniſtre relatum, objectum mihi eſt, jam alio loco eum in modum dilui, ut nulla hic alia acceſſione opus eſſe exiſtimem. V.*Schediaſm. Acad.IV. p.515.ſeq.* Circa *epiſtolam Gerhardi* in cauſa Rathmanniana ſcriptam, ab Arnoldo exceptani, atque a me ſine ſcrupulo retentam meam maxime credulitatem nimiam accuſat Cl. Fiſcherus, chronologica maxime ratione illius monumenti avthentiam vocans in dubium. Fateor ſane, me tam facile induci non poſſe, ut credam, ab Arnoldo hujusmodi epiſtolas fuiſſe precario confictas & ſuppoſitas. Nullus dubito, vere ſcriptas eſſe. Neque in Autore hujus epiſtolæ errare Arnoldus potuit. Erat procul dubio Gerhardi nomen adſcriptum; in tota enim epiſtola Gerhardus loquitur. An annorum numerus

non

non ſit recte vel in autographo, vel in Hiſtoria Arnoldina expreſſus ? non eſt mearum partium decidere. Decidant, qui MSctum illud Volumen in ſua poteſtate habent. In facto denique ipſo nihil plane eſt incredibile. Non ſunt ſibi contraria, totius Facultatis Theol. Jenenſis nomine Reſponſum illud exiviſſe, & varia tamen Gerhardum in eo deſiderâſſe. Quis dubitet, id ſæpe fieri in Academiis & Collegiis univerſis ? Neque enim ſingulorum nomina in his caſibus ſolent exprimi. Sed generalis ut plurimum eſt ſubſcriptio. Si quis vero tamen cenſuerit, me nimio confidentiæ gradu heic egiſſe, eum ſane ſuo abundare ſinam judicio, neque, ipſi ut multis verbis repugnem, ullum operæ pretium video. Tanti hæc omnia non ſunt, ut propterea tam aculeatis & quæſitis cenſuris Eruditi Viri vel minimam ſibi invicem creare debeant invidiam atque moleſtiam.

Ad *Virum* illum *Cl.* qui in *Actis Erud. Germ. P. CXI.* mea recenſuit Schediaſmata, & *alibi* paſſim in ſimili argumento ſuis recenſionibus meum nomen admiſcuit, jam progredior. Primum poterat ille verba ſua non perdere, quibus fidem meam in alleganda quadam alterius Viri Docti ſententia accuſavit. Non ſunt hi mei mores, ut abjecto hujusmodi artificio rebus meis conſulam. Neq; hic opus erat. Imo vero paulo poſt *p. 660. ſeq.* ex alio Viro Docto diſer-

te

te adduxi limitationes iſtas: *quantum unquam per vires noſtras, ceteraſque, in quibus verſamur, ciacumſtantias obtineri poteſt:* & rurſus: *dummodo in ſe mala non ſint, nec cetera magis neceſſaria impediant* &c. ut vel hinc pateat, me circa hanc quæſtionem nihil ſtudio aut fraude diſſimulare voluiſſe. Parcius igitur moveri debeat objectio hujus generis, quemadmodum & alias certum eſſe volo Virum Cl. quod in comparatione mei nominis cum altero Viro Celeb. ex imperfecta admodum perſonarum noſtrarum, rerumque item inter nos geſtarum, notitia plus ſimplici vice erraverit, ut mirum non ſit, eum in hac cauſa longe confidentius ſcripſiſſe, quam par erat. Quod ideo moneo, ne invidioſæ illæ & ex parte injuſtiſſimæ comparationes meæ cauſæ atque innocentiæ fraudi ſint. Si nemo doctorum de rebus ſibi non ſatis cognitis, maxime perſonalibus, ſcriberet, multi ſane errores, multæ lites interciderent. Quod ibidem de Eruditi cujusdam Galli propoſito objectionibus meis Anti-Leibnizianis cum cura reſpondendi annotatum inveniebam, gratum mihi potius erat, quam animo meo adverſum. Sperabam enim, virum a partibus proximis paulo remotiorem ſedato magis animo, & liberiore a præjudiciis veritatis amore ac ſtudio in momenta hujus cauſæ inquiſiturum. Cum vero nihil hujusmodi hactenus prodierit, ab aliis gravioribus incognitum illum hactenus Autorem abſtentum fuiſſe negotiis oportet, quod iterum non recuſo. Quantum aliunde intelligo, ſic ſatis jam per aliorum reſponſiones *Diſſertationibus* meis ſatisfactum eſſe, qui illarum partium ſunt, exiſtiſtimant, ut peregrino iſto auxilio opus amplius non habeant. Credat hoc, cui id libet, quamvis hodie apud eruditos quoque decantata illa, atque in Scholaſticis

laſticis ſæpe reprehenſa, adhæſionis magis, quam convictionis, certitudo non parum invaluerit. In ſpecie, quod ad libertatis, maxime divinæ, naturam & indolem attinet, in qua ulterius illuſtranda me rectam viam haud tenuiſſe Vir Cl. exiſtimat, ipſa etiam ſpecimina doctorum noviſſima me in iſta opinione confirmant, eam cum doctis, tum indoctis, longiſſime certius puriusque fore cognitam, ſi abjectis intricatis affectatisque diſputationibus Syſtematicis QQ. Eruditorum, quos utplurimum philavtia & conceptuum ſuorum idololatria indociles & pertinaces reddit, rem in ſe ipſa & certiſſimis illius phænomenis conſiderarent, quod jam olim ab *Epiſcopio* acute obſervatum *Schediaſmatum* meorum *p. 242.* non veritus ſum repetere. Meo igitur jure uſus ſum, dum id argumentum ex iis rationibus deduxi, quæ mihi præcipuæ ac plane fundamentales viſæ ſunt, de Bælio, Lockio, aliisque ſimilibus hac quidem in tractatione nequaquam ſollicitus. Sufficiebat mihi eam, quam elegi, ſententiam dilucide expoſitam rationibus idoneis confirmare, ac deinceps conari, ut objectionibus ab Ill. Leibnizio, qui hic ceterorum omnium nævos correxiſſe, lacúnas expleviſſe ſibi viſus eſt, in contrarium propoſitis reſpondeam. Nihil temere hic omiſſum fuiſſe, adhucdum mihi perſuadeo. Stat ſententia, non poſſe cenſeri Deo liberas actiones quascunque, quæ illius perfectionibus eſſentialibus, ſive phyſicis, ſive moralibus eſſent contrariæ, ſi eas faceret. Nihil planius eſt, ad id, ut quicquam Deus libere eligat, neceſſe eſſe, ut utrumque, ſi vellet, potuerit eligere, conſequenter etiam pars utraque fuerit eligibilis. Etiam hæc plana & ſimpliciſſima doctrina eſt, qualitates objecti equidem hoc eligibile reddere: ſed ubi plura ejusdem qualitatis ob-

jecta

jecta occurrunt, quod utique in actionibus liberis ſupponitur, non objectorum hactenus æqualium & utrinque eligibilium qualitates ultimatam determinationem elicere, ſed hunc actum ad ipſius voluntatis internam poteſtatem pertinere, cui deinceps ſufficit, quod utrumque poſſit jure ſuo eligere. Nihil in ſumma rei his graviſſimis rationibus opponitur, quam pura puta illa petitio principii, ſc. quod principium rationis ſufficientis atque indiſcernibilium obſtet, cum tamen de priore id falſum eſſe, jam ſatis ſit demonſtratum: poſterius vero merum idolum amoris proprii in hac inventione ſibi placentis Orbi literato exhibeat, & vel ſolo hoc nomine verum eſſe non poſſit, quia omnem objectorum in eligibilitate æqualitatem tolli, absque qua tamen libertatis, qua libertatis, exeritium ultimatum & finale intelligi non poteſt. Hac parte ſi ad concordiam redigi non poſſint diſputantes, ſibi ipſis poſthac ſunt relinquendi, neque ulterior contentio quidquam præter tædioſas repetitiones & inutilitates generabit. Denique quod monuit Vir Clariſs. *l. c. p. 165.* propoſitam a me *Schediaſm. VII. p. 791.* ſeq. de clavibus non ſolum Doctoralibus, ſed etiam Oeconomicis Miniſterii Eccleſiaſtici ſententiam paucis noſtro tempore arriſuram, id hactenus facile credo, ſi de facto ſit quæſtio. Quodſi vero jure id fieri exiſtimet, ſerio utique diſſentio. Multæ hodie opiniunculæ invaleſcunt, & magnam autoritatem accipiunt præter omne meritum ſuum. Multæ ridentur & abjiciuntur, licet ſaniſſimæ innocentiſſimæque. Hæc fata doctrinarum, ſive proſpera, ſive ſiniſtra, nihil ad veritatem earum aut falſitatem evincendam faciunt. De cetero, ſi metaphora clavium a Domino adhibita vere id, quod dixi, ſignificat, ſc. non merum teſtimonium,

nium, aut ſimplicem docendi facultatem, ut nonnulli prætendunt, ſed totam muneris Eccleſiaſtici plenitudinem ſecundum Domini voluntatem adminiſtrandam, certe propter abuſum in exercitio illius occurrentem nec veritas hujus expoſitionis evaneſcet, nec res ipſa tollenda erit; Nullam itaque rationem video, cur multi noſtra ætate hujus exegeſeos vix unquam ſine riſu & ludibrio mentionem faciant, vel alii quoque, ubi illam in Scriptis Theologorum inveniunt, nonniſi timide & odioſis cum cautelis exinde eam recenſeant, quaſi vero absque pudore & ignominia defendi non poſſet, quod utique a vero & æquo longiſſime alienum eſt.

Supereſt, ut illis quoque locis aliquam mea ex parte lucem adferam, quæ *Supplemento Hiſtoriæ litisque Arndianæ* a pl. Reverendo Viro, *Gottfr. Balth. Scharffio*, Seniore Svidnicenſis in Sileſia Eccleſiæ Antiſtite, de me inſerta ſunt. Quæ in indice leguntur verba meo nomini adſcripta, Viro doctiſſimo non imputo, plane certus, ipſum, ut incivile hujusmodi dicterium erga Theologum ſuæ Confeſſionis adhibeat, nunquam a ſe eſſe impetraturum. Aliunde novi, ex qua officina & manu indecora hæc formula profecta ſit. Quod vero ipſe Vir Venerandus *p. 19. lit. m.* quæ generalibus verbis de recentioribus quibusdam Theologis Arndium nonniſi ſuo ſale adſperſum admittentibus in *H.* mea *Eccleſ.* dixeram, nominatim ad D. *Wernsdorfium*, Theologum Wittebergenſem transtulit, id omnino nollem factum. Specioſa hic ſe offerebat ſuſpicio: ſed & error erat plane facillimus in re odioſa. Si vel apud me ipſum ita ſenſiſſem: tutius tamen erat hunc ſenſum mihi relinquere, nec publica interpretatione, de qua tamen conſtare non potuit, eundem apud alios quoque (quo jure, quave injuria? nunc non diſputo) intempeſtive

peſtive exaſperare. Quod ad rem ipſam vero attinet, nullius hominis timore, & ex ſolo veritatis pacisque amore profiteor, nondùm quidem memoria mea exci-diſſe, quid illis meis verbis voluerim? ſed vel ideo D. Wernsdorfium in animo tunc temporis habere me non potuiſſe, quia ne literulam quidem ex iis, quæ Celeb. hic Theologus in Arndii cauſa ſcripſerat, adhuc legeram. Legi poſtmodum ea omnia. Sed nihil ejus inveni, quod me ad ſententiam iſtam, ſi ferenda demùm fuiſſet, pro eo animi mei ſtatu propuliſſet. Imo plurima cauſæ Arndianæ capita, cùm *ibi*, tum in laudato Pl. Rev. *Scharffii Supplemento* luculentius illuſtrata lubens legi & absque omni præjudicio. Fateor tamen viciſſim, me nihil cauſæ vidiſſe, cur S.R. *Wernſdorfius* in *Programmate Charitiano* mihi tantopere ſucценſeret, eo quod ſcripſiſſem, occaſione *concionum* publicarum *Matthesii de Vita Lutheri*, *rem fuiſſe inſolitam, privati hominis, utut bene de Eccleſia meriti, Hiſtoriam pro concione* tractare. Præterquam enim, quod nihil eſt in his verbis meis malignitatis, ſcribit eo loco, me *non multum ab obſervatoris Halenſis*, h.e. ut puto, a Thomaſii *judicio* in his *recedere*, cujus tamen ſententia de B. Luthero noſtro, maxime in toto ſuo complexu accepta, a mea immane quantum ſeparata eſt. Decantatũ inſuper eſt, duo cum faciunt idem, non ſemper idem eſſe. Quando vel tandem duræ hujusmodi & invidioſæ Theologorum in ſe invicem ſententiæ, ſive publicæ, ſive privatæ, deſinent, & majores ubique ac graviores minutioribus, & publicæ privatis prævalebunt rationibus? Hæc Præfationis vice ſcripſiſſe tantiſper ſufficiet. Quod ſupereſt, Benevolum Lectorem divino præſidio, ipſiusque juſto ac maturo judicio totum hunc libellum noſtrum commendamus.

DISSERT. I.
DE
ERRORIBUS
QUIBUSDAM ET
ABUSIBUS
Vero Theologiæ Naturalis pretio uſuique legitimo contrariis.

PRæcipua, quæ circa religionem committi ſolent, vitia, famoſis ſuis titulis inſignita, præmittuntur. Hic vero de ſpecialibus quibusdam, qui naturalem religionem corrumpunt, erroribus atque abuſibus ſermo erit. 2. *Primum vitium eſt ipſa Theologiæ naturalis abnegatio.* 3. *Secundum, Theologiæ revelatæ propter naturalem repudiatio.* 4. *Tertium, Theologiæ naturalis pro regula revelatæ ac neceſſario interprete obtruſio.* 5. *Quartum, aſſerta Religionis naturalis extra gratiam Dei a ratione & natura diſtinctam ad ſalutem usque ſufficientia.* 6. *Quintum,*

immoderata ſapientum gentilium deprædicatio. 7. *Sextum, plagia Theologiæ naturalis ex revelata in hujus præjudicium diſſimulata.* 8. *Septimum, Præjudicia ex Theologia naturali in revelatam temere illata.* 9. *Octavum indiſcreta Theologiæ naturalis cum gentiliſmo mixtura.* 10. *Nonum, Theologiæ naturalis & ratiocinationis huic loco minime convenientis in Catecheſin Chriſtianam introductio.* 11. *Decimum, Naturæ & gratiæ in præſumendis cogitationum humanarum fontibus frequentiſſima confuſio.* 12. *Cognata quædam Corollaria.*

§ I.

MUlta, non modo per profanitatem manifeſte irreligioſam, ſed etiam magna ſæpe cum ſpecie ſapientiæ circa religionem committi ſolere vitia, certum prohdolor! eſt & exploratum. Indita ſunt illis pridem, ex quo nata ſunt, famoſa ſatis nomina, ipſo fere ſono, & multo adhuc magis re ipſa, quam deſignant, horrida. Neque erit ab inſtituto præſente plane alienum, ſi eorum aliqua, ſubjectis notionibus ac definitionibus congruis, uni quaſi Lectoris obtutui ſiſtamus. Proſtat nimirum Scepticiſmus (a) h. e. illud in religionis quoque ſtudio

(a) Scepticiſmus, ut vitium eſt in religione, in genere notat exceſſum dubitandi de rebus ad reli-

ſtudio vitium, cum homines veritatem ſolidam nec quærentes, nec invenientes, vel

---

gionem pertinentibus: hocque loco non accipitur pro actibus quibusdam tranſitoriis ac temporariis, qualibus etiam ſolide eruditi non omnino carent; Sed pro ſtatu habituque animi, hujusmodi fluctuationibus atque dubiis ſive imprudenter, ſive malitioſe, ſe adſuefacientis, hincque etiam in iis utplurimum ſubſiſtentis. Objectum hujus libidinis dubitandi non ſolum ſunt problemata Theologica & quæſtiones liberæ: Sed ipſa etiam religionis fundamentalia & neceſſaria dogmata capitaque. Cauſæ ac fontes hujus mali non ſunt unius generis. Quandoque in cauſa eſt naturalis plurimorum imbecillitas atque timiditas, quæ nullibi pedem figit, & ſub quovis lapide quærit ſcorpium, hincque per nimiam, qua ſe ipſos terrent, diffidentiam difficultatibus, quæ obſtare videntur, majus robur & pretium adſcribit, quam par eſt. Apud alios hoc vitium gignit ἀμεθοδεία & confuſio, in qua, dum veritatem præpoſtere quærunt, nec feliciter inveniunt, putant ſane culpam non in ipſis, ſed in doctrina reſidere. Nonnunquam, uti in textu diximus, ſuperbiæ & oſtentationi hoc adſcribendum, dum exiſtimant haud pauci, vulgaris ingenii eſſe, tam facile in his, illis, iſtis doctrinis acquieſcere, ſemper enim acutiores aliqua videre, quæ proletarios homines fugiunt: quod, etſi non omnino falſum ſit, ab hujusmodi tamen ingeniis in abuſum rapitur Scepticum. Alios

vel ex ſuperbia animi, vel ex ingenii levi-
tate, vel ad oſtentationem profundæ va-
ſtæque

---

levitas mentis ipſa etiam levitas & inconſtantia prohibet, quo
minus in certa fixaque maneant ſententia, unde
evenit, ut, cum in omni fere doctrina hoſpites
ſint, nullam earum maturo cum judicio eligere
temeritas ſciant vel tenere. Neque ipſam temeritatem heic
excluſerim, per quam fieri ſolet, ut multi, non-
dum jactis fundamentis ſolidis, nondum inſtructi
neceſſario ad eam rem doctrinæ & ſapientiæ appa-
ratu, audacter ſe ingerant probandis Spiritibus,
tentandis Scriptoribus, ſolvendis objectionibus,
unde hunc deinceps ferunt fructum, ut, una ex
parte animum eorum vellicante veritate, & ex al-
tera titillantibus ipſos erroribus, inter utrumque
extremum miſere fluctuent. Prætextus ſunt varii:
inquiſitio exacta veritatis: ingenii humani imbe-
cillitas: Fuga faſtus dogmatici: Fidei docilitas con-
tra audaciam rationis præſervanda ac munienda:
judicium ex cauſa integra ferendum: commoda
Scepticiſmi moderati ac bene directi: Magnorum
Virorum exemplum; aliaque id genus plura, ad
quæ tamen omnia, dum recte ponatur ſtatus con-
troverſiæ, tam difficile non eſt reſpondere. Nec
Scepticismi gradus illud temere omittendum hoc loco, habere utique
ſuos Scepticiſmum Theologicum gradus, hincque
unum altero pejorem eſſe atque peſtilentiorem.
Nos ad provectiores maxime digitum hic intendi-
mus. Damna vero animarum, quæ magno nu-
mero inde propullulant, longe peſſima ſunt.

ſtæque eruditionis gloriam quærunt in au-
dacibus

Proſtitutio & enervatio veritatis: tædium & contemtus rerum ad religionem ſpectantium: eorum, qui veritatem tenent firmiter, irriſio: donorum ſæpe florentiſſimorum ad hunc ſcopum abuſus nefarius: exemplum ad multorum aliorum ſeductionem pernicioſiſſimum: ineptitudo ad conſtantiam in profeſſione religionis: Summum animæ in hoc ſtatu periculum: peſtilens tentatoris ad augendum id malum concurſus: pertinax denique adverſus remedia quæcunque animi obfirmatio: nonnunquam etiam inſipiens ab uno extremo ad alterum tranſitus. Remedia hujus morbi ſunt ſincerum veritatis ſtudium: ordo religionem tractandi legitimus: deſiderium guſtandi ipſos religionis fructus: ſapiens humilitas: juſta bonæ cauſæ fiducia: prudens ſtultitiæ Scepticiſmi, & ad quæ præcipitia is deducat? conſideratio: fides divina & cognitio veritatis divinæ Chriſtiano homine digna: Studium religionis practicum: amor & veneratio S. literarum: Fuga inſtrumentorum Satanæ cùm vivorum, tum mortuorum: judicioſa ſubſtantiæ religionis ab illius accidentibus diſcretio &c. Hæc in genere ad illuſtranda noſtra de Scepticiſmo verba conferre hoc loco placuit. Si longius liberet procedere, atque ad ſpecialia, eaque illuſtria, exempla deſcendere, ampliſſimus utique campus nobis hic pateret. Notum eſt maxime, quid occaſione *Bælianorum Scriptorum*, & de P. D. HUETII libello *de imbecillitate ingenii humani* pau-

dacibus & perpetuis dubitationibus, nullibi
prope

---

cis abhinc annis Viri Docti monuerint. Neque jam animus eſt horum multis verbis legere veſtigia. Aliqua tamen licebit ὡς ἐν παρόδῳ adjungere. De BÆLIO rectiſſime judicavit *Autor* ſequentis ſententiæ. *Videſis*, ait, *genuinum hominis characterem. Minime quærebat neque veritatem, neque dubiorum ſuorum ſacrorum ſolutionem, in iis præſertim rebus, quæ Deum & ſpiritualia reſpiciunt, gaudebat autem magis in tenebris ac dubitationibus æternis circa hæcce fluctuare, malebatque in externis variisque eventis rerum maximam partem futilium atque nugacium, hiſtoriolarum putidarum, ſordium etiam plane infamium totus & lætus veluti in elemento ſuo innatare, totumque acumen ſuum in iis exercere: qua vero in conſtitutione mentis ne DEUS quidem, qui liberas mentes cogere vult minime, cumque malignis ac impuris ſeſe communicare non poteſt, ſatisfacere ipſi potuiſſet.* De HUETIO autem id unum annotamus, quod PP. Societatis *Comment. Trivult.* ad *An. 1725. Menſ. Jun. Art. XLVII.* it. ad *An. 1727. Artic. X.* certe non absque ſpecioſis rationibus huic Epiſcopo eum libellum abjudicaverint; addita hac ſatis decretoria ſententia: *Si l'editeur de cet Ouvrage eut un peu connu les characteres & les vraiſemblances, il eut choiſi pour le Heros de ce Roman quelqu'un de ces beaux eſprits ſans conſiſtence, qui voltigent ſans ceſſe legerement de paradoxe en paradoxe, d'Hypotheſe en hypotheſe, de fiction en fiction, quelqu'un de ces antierudits, qui ſe vantent*

prope ſubſiſtentes, in omnibus fluctuantes. Proſtat Libertiniſmus (b) quando non tam

hautement de faire des Caffées de Paris des Ecoles d' ignorance & de bon gout. Mais un Savant, & un Savant a Syſtemes, & en particulier un Auteur de la Demonſtration Evangelique, ajoutez un vertueux Prelat! quelle apparence encore une fois! L' impoſture eſt manifeſte. Viderint igitur, quomodo hiſce exceptionibus juris reſpondeant, qui inſulſum & ſciolum ejus ſcripti Scepticiſmum hactenus HUETIO tam confidenter adſcripſerunt. Nobis nihil hic ſeritur aut metitur.

(b) Mirifice luditur hodie in Comœdia ſ. Tragœdia hujus nominis. Dari hujusmodi Libertiniſmum, i. e. falſam ac illegitimam de rebus religionis temere ſentiendi dicendique libertatem, extra controverſiam eſt. Eſt autem ille vel ferox & impudens, qui per vim quaſi, & graſſatoriam licentiam, viam ſibi aperit, omniaque obſtacula boni ordinis & diſciplinæ, quantum poteſt, & occaſio favet, perrumpit: vel magis prudens & circumſpectus, qui rationibus tituliſque honeſtis jus civitatis impetrare velle videtur, attamen non qualecunque, ſed plenum omnibusque civium privilegiis & juribus munitum: Hocque tamen ipſo, quia aliunde illegitimus eſt, vim nocendi ſuam non amittit, ſed eo periculoſius exercet. Quod ad priorem Libertiniſmi claſſem attinet, ſtupenda certe illius exempla atque ſpecimina nequaquam deficiunt. Sunt hujus generis homines in

tam ratione habita ipſorum momentorum gravium, (quod tamen prætenditur) quam ex

---

Republica litteraria, innexaque illi Societate Eccleſiaſtica ſ. religioſa, quod in militia eſſe ſolent Dracones, quos quondam *des enfans perdus* nominare Galli conſueverant, non ea parte, qua hi fortibus aliis ſimiles ſunt militibus, ſed in ſingulari militiæ genere, atque in temeritate & efficacia nocendi. Húc ſane referre non dûbitem (& prope tamen púdet in tanta aliorum exemplorum copia ad exteros provocare) inter mille alios *Cogitatorem illum Liberum Anglum*, in cujus Syſtema T. *XII. P. I. de la Biblioth. Angloiſe* recenſitum noviſſima occaſione incidi. Digna ſunt verba *Relatoris*, quæ hic mittantur in compendium. *Un certain Lyons*, inquit, *à fait imprimer pour la 4. fois le Syſteme Theologique de la Secte connue ici ſous le nom de Fretinkers. Voicile titre de ſon ouvrage: The infallibility* &c. c' eſt a dire: *L' infaillibilite, la dignitè, & l' excellence du jugement humain &c. a Londres 1724. Ce beau raiſonneur affecte fort l' habile homme, & paroit avoir grande envie d' etre pris pour original.. On diroit aux airs, qu' il prend, qu' on va trouver chez lui toute la quinteſſence d'une Metaphyſique nouvelle, & l' on n' y voit après tout, qu' un pot pourri d' opinions bizarrement aſſorties. Ses idèes degagèes de leur myſterieux galimathias reviennent en ſubſtance a ceci: que la raiſon juge abſolument du vrai & du faux: que par ellememe decouvre tout ce, qu' il lui importe de conoitre -- que*

ex principio falſæ & indomitæ libertatis, etiam certis & legitimis in rebus religionis limi-

la connoiſſance pre de l' avenir par les ſonges nous demontre l' immaterialitè de l' ame : que les raiſons analogiques nous prouvent, que l' ame des betes n' eſt pas moins immaterielle , que la nôtre: que ſi l' ame n' eſt pas materielle, on ne doit pas conteſter ſon immortalitè: que toutes les loix etant faites pour le bien public & particulier elles ſont muables de leur nature: que les Magiſtrats n' ont qu' une autoritè derivèe du peuple, qu' ils gouvernent: qu' en admettant l' immortalitè de l' ame on doit poſer , qu' elle ſera punie ou recompenſèe : que tous le pechès ſeront pardonnez exceptè le pechè contre le S. Eſprit, c' eſt à dire ſelon Mr. Lyons le pechè contre la raiſon : que toute revelation eſt une impoſture: que les miracles ne ſont que de paſſe paſſe pour en impoſer aux hommes : que tout ce, qu' on appelle foi, n' eſt, que ſottiſe & menſonge: & que tout homme, qui ne fait pas de Songes ſignificatifs, eſt naturellement diſpenſè de croire l' immortalitè de l' ame. Refert idem, Autorem hujus libri, poſtquam in cuſtodiam datús moxque iterum relaxatus fúit, tam *impúdentem* fuiſſe, ut hanc liberationem ſuam publice *pietati* Summorum Miniſtrorum aúderet attribuere. *V. l. c. p. 256. ſeqq.* Sc. hujusmodi quoque homines prætendunt libertatem cogitandi, h. e. ſentiendi proferendique impia quævis, quæ ipſorum palato ſapiunt. Dabimus vero alterius quoque Libertiniſmi exemplum recentiſſimum. Scripſerat ante biennium

limitibus contineri ſe haud patiuntur homines, verum plenam & illimitatam, ſed maxime

Illuſtris quidam *ICtus diſſertationem de Tolerantia*, hancque etiam præter morem multorum aliorum amplificavit: Sed quia idem cautelas & limitationes quasdam & ipſe addidit, & probavit a celebri quodam Theologo poſitas; e. g. tolerandos eſſe diſſentientes, ita tamen, ut veritati nullum inde creetur periculum, &, qui noſtræ curæ concrediti ſunt, in diſcrimen amittendæ ſalutis æternæ non conjiciantur: tolerandos eſſe, non tamen ſtatim facultatem pro lubitu errores diſſeminandi & alios ſeducendi illis eſſe concedendam. &c. *Su*pervenit ſtatim alius Cenſor, atque in ſuis ad hanc *Diſſertationem Annotationibus* (quas præfixit collectioni ſuæ variorum tractatuum de libertate conſcientiæ) ſtomachatur, dolere ſe, viros alias tam bene meritos per tam noxia principia de ſalute publica peſſime mereri: furioſiſſimos intolerantes non eſſe alias conditiones poſtulaturos: limitationes modo poſitas ipſiſſimam abſurditatem eſſe: (ſeyen die Ungereimtheit ſelbſt) contra juxta alias conditiones libertatis hanc quoque indiſcriminatim exigit: es müſſe ſich dieſe toleranz ſo weit erſtrecken, daß die Obrigkeit keiner Parthey mehr oder weniger Recht, Macht und Freyheit laſſe und geſtatte ihre Religion und Gottesdienſt zu bekennen, zu üben, zu vertheidigen, auszubreiten und fortzupflantzen, ſondern daß ſie alle darinnen gleich gehalten werden ꝛc. Nihil idem ex-

maxime vitioſam & noxiam ſibi arrogant licentiam libere cogitandi, docendi, profitendi

---

cipit, niſi quod ſaluti & tranquillitati publicæ contrarium comperiatur. Huc ſc. redit hæc fabula: aut nullam, aut univerſalem & illimitatam, in materia religionis non poſſe modo, ſed etiam debere, concedi libertatem. Enim vero, ut in hujusmodis principiis pretioſum a vili, verum a falſo rite dicerni poſſit, amplius certe, quam quod hic nobis patet, requiritur Spatium. Miror, haud videre omnes, vel palpare, quorſum hæc omnia tandem eventura ſint. Hæc ſc. ut puto, eſt illa ipſa libertas, quæ per quandam ſpeciem generationis æquivocæ amorem mancipatûs religioſi gignit, ac multis noſtra ætate per vim quandam ἀντιπεριστάσεως ſervitutem etiam magnam in rebus religionis denuo reddere cœpit præ anarchia tam turpi tolerabilem. Avertat Deus pejora! Utinam ad minimum iſti a conſcientiæ, quam vocant, libertate primum excluderentur, de quibus liquido conſtat, eos non habere conſcientiam, neque agere ex principio conſcientiæ: Sive, quod idem eſt, eos eſſe impios, licentioſos, religionis incurioſiſſimos, imperitos in hac materia, notorie vitioſos, carnales, Spiritu DEI vacuos, ipſo etiam amicorum & ſodalium judicio pro talibus declaratos; ne plura nunc addamus. Certe hoc remedio plus quam dimidia pars illius peſtis, quam Libertiniſmus noſtri temporis ſpargit, evaneſceret, & major ſpes eſſet componendæ eo facilius controverſiæ reliquæ

ſitendi omnia, quæ ipſis in mentem veniunt. Proſtat Indifferentismus, (c) latiſſimi ſenſus vitium in eo ſe prodens, cum ex ignorantia fundamentorum religionis, vel ex contemtu injuſto dogmatum, vel ex rationibus commodi proprii, vel ex irreligioſitate & profanitate animi, aliisque de cauſis ſimilibus, quibusvis fere ſectis, Eccleſiis, & Syſtematibus religionis in theoria & praxi idem ſtatuitur pretium, ac revera errori eadem privilegia in foro quoque conſcientiæ conceduntur, quæ veritati ſunt propria. Proſtat Enthuſiaſmus, (d) per quem prætextu Spiritus DEI & influxus

de juſtis legitimæ libertatis limitibus, non tam theoretice conſtituendis, quam in praxi ipſa religioſe ac prudenter obſervandis.

(c) De indifferentiſmi malo alio hujus voluminis loco nobis erit data differendum opera: unde nihil hic addimus.

(d). In hoc vitio graphice deſcribendo, ſuiſque ex characteribus & phænomenis illuſtrando Autores quam plurimi elaborârunt. Neque noſtra ætate variæ renovandis hujusmodi præceptis occaſiones defecerunt, quandoque veræ, nonnunquam imaginariæ. Si definitio noſtra valeat, certum profecto erit, numerum Fanaticorum inter Chriſtianos non eſſe exiguum: falſam enim jactationem

fluxus ejuſdem ſ. ordinarii, ſ. extraordinarii homines in rebus religionis vel a proprio Spiritu & corde, vel a Spiritu illuſionis ſe patiuntur decipi ac impelli ad profitenda &

---

operationum & donorum Spiritus S. quæ ordinaria ſunt, eo quoque retulimus. Quidquid vero hujus ſit, nihil dubitandum, Fanaticiſmum verum & genuinum eſſe rem admodum periculoſam, cùm eorum reſpectû, qui ab eodem correpti ſunt, tum propter alios, in quos impetum facit; qua parte lectu digniſſima ſunt, quæ poſt alios in ſuo *adverſus Fanaticiſmum Antidoto* paucos ante annos copioſe tradidit Vir Cl. SAMUEL TURRETTINUS. Neque ſpreverim omnino JOHANNIS LOCKII obſervationes integro *cap. XIX. L. IV. de J. H.* de hac materia propoſitas, quamvis ceteroquin in deprædicanda illarum excellentia modum ſervari vellem, quia multa gravia omiſſa, multa ſollicitè diſcernenda confuſa, multa denique ex altero extremo æque pernicioſo admixta ſunt. Celebris ille COMES SHAFTSBURIUS, qui per diſpoſitionem animi ſui ſatis tutùs fuit ab Enthuſiaſmo, exiſtimavit, curandos eſſe Enthuſiaſtas per jocos, & per inſpirationem hilaritatis, apud LEIBNIZIUM *Recueil de diverſes pieces T. II. p 250. 253. 256. 259.* Sed hoc remedium ingenio conſulentis magis, quam indoli morbi, conſentaneum fuiſſe videtur. Neſcio etiam, cur multi ſibi perſuadeant, Fanaticos omnes eſſe melancholicos & hypochondriacos, maxime in ſenſu vul-

& agenda nomine DEI, quæ tamen revera ex hoc fonte non emanant, neque cum Scripturis S. tanquam certa in credendis agendiſque regûla conveniunt. Proſtat **Rationaliſmus**, (e) qui conſiſtit in abuſu rationis ſeu principiorum naturalium per homines nondum illuminatos & ſanatos per gratiam DEI ad temeraria & falſa de rebus religionis judicia, illis vel repugnando, vel ſaltem ſupra Sphæram ſuam temere aſſurgendo. Proſtat **Solipſiſmus Sectarius**, (f) cujus inſtinctu vel ſingulæ perſonæ

---

gari tales. Peſſimum porro Enthuſiaſmi remedium eſt Pſeudorationaliſmus & impietas: id enim vere eſt lutum luto purgare, & ex Charybdi in Scyllam incidere. Etiam illud falſum eſſe cenſemus, quod omnes Fanatici Scripturam S. pro norma habere detrectent, ſi id ipſum de theoretica ſeu dogmatica Scripturæ rejectione intelligatur. Quæſtionem denique: annon Enthuſiaſta ſit Atheo incurabilior? ſuperfluam eſſe judicamus, æque ac illam: an ſuperſtitio ſit Atheiſmo deterior? Sed hæc obiter.

(e) Id argumentum in proximum librum, quem edere conſtituimus, ſervamus.

(f) De ſolipſiſmo Sectario nonnulla diſſeruimus in *Schediſamate* noſtro *VII. p. 748. ſeq.* item *p. 784. ſeq.* Nomen deſumſimus per analogiam ex ſamo-

perſonæ, vel integri cœtus tam ſuperbe & magnifice de ſeipſis ſentiunt in rebus religionis, ut omnes alias ſ. perſonas, ſ. Eccleſias, quæ non idem cum ipſis ſentiunt per omnia,

---

ſo *libello de Monarchia Solipſorum*, parum ceteroquin ſolliciti de controverſia critica: Num celebris Ieſuita Melch. Inchoferus verus ejuſdem Autor fuerit, nec ne? & cujus pretii ſit atque valoris? de qua, ſi placet, conferri poſſunt LIBERIUS CANDIDUS in *Tuba magna p. 6.* & alibi paſſim; nec minus ALPHONS. HUYLENBRUCK in *Vindicat. Societ. IEſu p. 67. ſeq.* BÆLIUS ad *tit. Inchofer*, nec non *Lex. univ. T. II. p. 919. a.* Illius libelli Scriptor, quicunque is fuerit, Jeſuitas tanquam Solipſos repræſentavit. Nos omnes eos hoc nomine appellari poſſe cenſemus, qui ea mente ſunt, quam in textu deſcripſimus, eamque maxime mentem adverſus nos, noſtrasque Eccleſias, in hunc uſque diem demonſtrant. Involant autem, qui hoc faciunt, in jura DEI: præſcribunt Chriſtianis conditiones ſalutis ut neceſſarias atque inevitabiles, quas Verbum *D*EI ignorat: omnem charitati erga proximum aditum viamque præcludunt: manifeſta quoque Spiritus *D*EI & ſalutarium ejus operationum in aliis hominibus veſtigia ſumma cum temeritate abnegant, & in meras illuſiones atque imaginationes convertunt: cum aperta pugnant experientia: ad violenta & callida Proſelytiſmi media per hanc fallaciam ſe quaſi neceſſitari exiſtimant: denique Judai-

omnia, non ſuo tantum amore & ſocietate, ſed ipſa etiam Dei gratia, & cœlo, quantum in ipſis eſt, promiſcue excludant. Proſtat Syncretiſmus, (g) h. e. ſtudium

cum Solipſismum in Chriſtianam Eccleſiam introducunt: ut alia ſimilia abſurda nunc taceamus. Maxime vero periculoſus eſt & crudelis hic Solipſiſmus, cùm furore militari maceratur: memini enim, me alicubi legere, quod ex iſto genere Dæmones incarnati extremam ſuam barbariem in Reformatos his verbis auſi fuerint defendere, eos candidatos inferni eſſe, parum igitur intereſſe, ſive in hoc mundo, ſive in altero excrucientur. Tam egregium ſc. Solipſiſmum a Doctoribus ſuis ſpiritualibus acceptùm pro more & ingenio ſuo ornare & exercere didicerant. Alia ſimilia talis monſtri prodigia & effecta cumulare heic nolumus. Fundamenta hujus Solipſiſmi dogmatica examinare data opera hic non licet: pleraque tamen conſiſtunt in confuſione veræ fidei cum Syſtemate quodam theoretico doctrinarum, in falſa definitione articulorum fidei & hæreſeos, in confuſione communionis Eccleſiaſticæ & communionis cum DEO, in vana hypotheſi, quod extra communionem externam cùm corpore viſibili Eccleſiæ dominantis & maximam hominum Chriſtiani nominis partem occupantis nulla detur gratia DEI, nulla ſalus. &c. Quæ omnia ſapientius liberiuſque diſcuti merentur quam in R. E. in uſu eſt.

(g) Omnino ſic formanda eſt Syncretiſmi de-

um inordinatum conciliandi diſſidentes in religione, ex puris rationibus ſtatus vel commodi proprii, ad propulſandum hoſtem communem cum præjudicio veritatis neceſſariæ & ſalutaris conjunctum. Proſtat **Gallionismus**, (h) quod vitium, ab exemplo Gallionis Præſidis ex *Act. XIIX.* 12.

ſcriptio, ne multa alia, quæ huc non pertinent, odioſo hoc nomine diffamentur. In ea, quam nos poſuimus, objectum eſt conciliatio diſſidentium graviſſime Eccleſiarum: motivum illegitimum ſunt rationes mere Politicæ, præ quibus motiva longe majora veritatis, puræ doctrinæ, utilitatis Eccleſiarum, & ſimilia vel aperte negliguntur, vel fraudulenter poſtponuntur: modus eſt inordinatus; fructus præjudicium veritatis ſalutaris & neceſſariæ. Hæc in theſi certa ſunt, atque ab omnibus admiſſa. Major difficultas eſt in hypotheſi ſ. applicatione, circa quam noſtra quoque ætate vehementiſſime diſputatum eſt. Eas vero lites ut noſtra ex parte foveamus, vel reſuſcitemus, juſtæ utique & arduæ rationes prohibent.

(h) Quod ad factum Gallionis Proconſulis attinet, a quo maxime DANNHAUERUS in ſingulari *Diſſertat. IX. Diſpp. Theoll.. P. I. p. 175.* nomen Gallioniſmi depromſit, controverſum quidem faciunt interpretes, ex quo principio, ſive bono, ſ. malo illud fluxerit? Aliqui enim laudant: Plurimi vero vituperant. Vid. GROTIUS, CLERI-

12. deſumtum, definiri poteſt per procli-vitatem contemnendi doctrinas & contro-verſias religionis, tanquam quæſtiones mere ſcholaſticas & ſacerdotales nullius momenti

---

CUS, *Biblia* TOSSANI, ARCULARIUS, CALO-VIUS, WOLFIUS ad h. l. item CASPAR STRE-SO *P. II. Commentar. in Acta. Apoſt. p. 81. ſeqq.* & LIMBORCH ad *Acta. Apoſt. p. 172. ſeq.* Putem, has ſententias in ſpeciem diverſas facile poſſe conciliari. Hactenus non male fecit Gallio, quod controverſiarum religionis inter Judæos & Paulum judex eſſe noluerit, neque etiam inauditum Paulum ob ſolas Judæorum accuſationes civili pœna voluerit afficere: ſed male factum erat, quod hanc occaſionem diſcendi religionem Chriſtianam non in tribunali modo, ſed in univerſum temere prætermiſit, quod nimis frigide & profane de tota hac cauſa judicavit, quod denique contra officium judicis & confeſſionem propriam in civilia quoque delicta, quæ coram ipſo præſente & ſpectante committebantur, non animadvertit. Quicquid vero de hoc facto ſit perſonali, momentum, de quo hic agimus, non a Gallioniſmi nomine pendet, ſed in re ipſa reſidet. Quis dixerit culpa carere, ſi Præſides rei publicæ, ſive ſummi, ſive inferiores ac delegati, contemnunt momenta religionis, ſi omnes quæſtiones & controverſias religionis tanquam rixas & nugas faſtidiunt atque a ſe rejiciunt, ſi tranquillitati & commodis civilibus veritatem & religionem ſacrificant, ſi tempo-

momenti, ipſamque religionem parum curandi, dummodo reſpublica abundet bonis terreſtribus, ac civiliter floreat. Proſtat Nicodemiſmus, (i) timidorum & mollium

ribus duris & periculoſis ob metum periculi & moleſtiæ religionem & religioſos homines deſerunt? &c. Et hoc ipſum eſt, quod Gallioniſmi nomine Theologi improbant. Abſit autem, ut credamus, poſſe Chriſtianis Magiſtratibus in eo caſu hoc vitium jure exprobrari, cum ſubſtantia veræ religionis ab illius accidentibus prudenter diſcreta haud quævis litigia Theologica pro arduis & fundamentalibus controverſiis patiuntur venditari, cum paci publicæ cautum volunt a turbis haud neceſſariis, cum ſeparant forum divinum & humanum, cum denique juſtam & legitimam ſubditis ſuis conſcientiæ libertatem relinquunt. &c. At num hoc vere quærant ſemper & faciant Magiſtratus Chriſtiani? an vero ſpecioſo hoc ſub prætextu revera in id, quod notavimus, vitium prolabantur? id ſane accurato conſcientiæ examine dignum, atque, ut, quid hoc rei ſit! certo ſciant, quam maximum operæ pretium eſt. Poſſunt enim in hac materia turpiſſimi & periculoſiſſimi errores committi, ſi a recto tramite divertatur.

(i) De hoc vitio multa præclare & cordate ſcripſit in *libello celebri* ſub lemmate *Nicodemi* edito A. H. FRANCKIUS, lectu ſane ea in re digniſſimus. Alluſionis ratio ſatis manifeſta eſt nec multis, ut explicetur, verbis indiget. Noſtro maxime

lium ad inſtar Nicodemi (*Joh. III.*) etſi ceteroquin non malorum vitium, qui ex metu hominum in rebûs religionis timidi-
us

---

tempori hoc vitium familiare eſt, utpote in quo omnes illæ caûſæ, cùm ſtûpendo nûmero, tum validiſſimo robore concurrunt, quæ id vel excitare, vel fovere, vel aûgere poſſunt. Chamæleon eſt hoc vitium, quod ſe omnibus perſonis & rebus facile accommodat, eóſque colores adſumit, quibus propinquum eſt. Vitium eſt ſæpe manifeſtum, ſæpe etiam occûltum ac nonniſi difficillime ſuis ex latibulis extrahendum. Conſiſtit vero quoad ſummam rei in timida & languida præſtatione, vel etiam omiſſione, officiorum, quæ religioni & bonæ cauſæ debentur. Fontes hujus mali ſunt amor ſeculi: infirma vel nulla in Deum fidúcia: color prudentiæ & neceſſitatis: Metus ſucceſſus vel exigui, vel plane contrarii: impatientia veri: dûra hominum imperia: licentia temporum: fatales rerum religionis periodi: Nævi ac defectûs eorûm, qui in medio conatú hos Nicodemiſmos evitandi alterûm in extremum vel prolapſi ſunt, vel viſi ſaltem ſunt aliis eo prolabi: Fuci innumeri a mangonibus religionis inventi: magnitudo periculi: ipſum etiam frigus in religione, quod ſuccos quoſvis bonos ac vitales ſpiritus religionis adurit & enecat: aliaque id genus plura. Damna hinc conſequuntur longe graviſſima. Divinum nomen profanatur. Negligitur officium. Criſtas, dum hoc animadvertunt, erigunt mali, frontem-

us ac languidius verſantur, quam par eſt, & conſcientiæ convenit. Proſtat Eclogismus,(k) ſeu voluptas prætextu veritatis

que deponunt. Creſcit malum non impeditum, & per ingentem hominum maſſam inſtar fermenti extenditur. Circumciduntur magis magisque officia divinitus præſcripta, donec malis moleſta eſſe deſinant. Infirmi ac imbecilles pii, quorum ſemper maximûs inter ipſos etiam pios eſt numerus, conſpecto aliorum languore & ipſi eo magis languescunt, ſibique in eo torpore blandiuntur. Denique tentationes quoque non graviſſimæ ſemper vincunt, & vel qualitercunque prævisæ efficiunt apud plúrimos, ut ante inchoatum certamen animúm deſpondeant. Remedia hujus mali in promtú ſunt, dum contrarium eorum, quæ húcúsque perſtrinximus, nobis placeat. Cautelæ adverſus útrúmque extremum in vera prúdentia & exercitatis ſenſibus quærendæ ſunt, quæ tum ita erunt comparatæ, ut opus non ſit futurum ab ipſis ſibi cautelis cavendi, Sancta praxis præterea docebit, quæ extra eam nonniſi vaga, generalia, & infrúgifera ſunt.

(k) Delicatum ac ſuperbum eſt hoc vitium, quod augetur potius & exaſperatur, niſi vera a falſis, licitum ab illicito, ſollicite hic diſtinguantur. Non eſt malus eclogiſmús, ubi bona a malis quibusvis in cœtibus ſecernuntur: eſt id ipſum potius, ſi recte inſtitúatur, præclarum opus

tatis undique colligendæ id potius re ipſa excerpendi, quod cujusque guſtui, quantumvis

ſapientiæ & generoſitatis. Nolim porro eam ἐκλογὴν rejicere, cújus dúctú ex cenſuris mutuis Eccleſiarum a ſe diffidentium id, quod verum eſt, retinetur, & emendatur. Solent enim inter multa falſa & inclementia reperiri aliqua, quæ ab exteris audire atque admittere inhoneſtum non eſt, cum in proprio ſinú ſatius fuiſſet audire monitores cordatos & ſapientes. Qua occaſione fateor mihi placuiſſe candorem Illuſtris *Anonymi* RC. qui non omni ex parte improbans Lutheri cenſúras in vitia Eccleſiaſtica ſui temporis inſolitam hanc in Romanis partibus confeſſionem edidit: Dieſe Dinge nun (ſic ille) in ſo weit, als ſie die daran ſchuldige angehen, hätten die wahre Glieder der Röm. Cathol. Kirche Luthero nicht allein vergönnen, ſondern auch zu gut halten, ja einiger maſſen gern ſehen ſollen. Ich will noch mehr ſagen, daß man auch noch jetzo deſſelben Nachfolgern einigen Danck wiſſen, und ſie loben könnte, wann ſie in gehörigen terminis blieben, nemlich nur das ſchandbare und ungeiſtliche Leben eines Theils unſers Cleri, und auch vieler weltlichen ſamt den Mißbräuchen Chriſtlicher Lehren und rituum tadelten, und zwar an Orten und Enden, da es vonnöthen iſt, und wieder die, ſo es verdienen, die andern doch dabey ausgenommen. Dieſes ihnen zú verwehren hätte man keine ſonderliche Urſach... Und wir könnten ſolches daher

tumvis corrupto, & minus recte informa-
to

---

geſchehen laſſen, wann es andere ohne unſere Ge-
fahr und zu unſerem groſſen Nutzen thäten ꝛc.
Abriß der wahren Cath. Kirche *p. 893. ſeqq.*
Cur non ſub iisdem, & melioribus adhuc, caute-
lis dici poſſit idem de reprehenſionibus verorum
malorum & abuſuum, qui in omnes Eccleſias Chri-
ſtianas irrepſerunt, ne noſtris quidem exceptis,
nullam ſane rationem video. Hæc ſpecies Eclo.
giſmi quandoque corrigere apta eſt Nicodemiſmos
domeſticos, ſi ab hominibus candidis, veritatis
amantibus, & prudentibus bene dirigatur. Nec
illum improbo Eclogiſmum, qui ex conflictu par-
tium de religione diſputantium non modo ſtatum
controverſiæ ſemper accuratius diſcit figere, ſed
etiam diſcernere in rationibus probantibus robur
ac vim multum ſæpe differentem, &, quod ad
hiſtoricam factorum inveſtigationem attinet, præ-
tioſum a vili, certa ac probabilia ab iis, quæ falſa
apparent, & quæ probabili ratione carere deprehen-
duntur, absque ſtudio partium ſeparare. Cum-
que etiam fieri poſſit, ut una Eccleſia particularis
in his, illis, inſtitutis atque officiis pietatis Chri-
ſtianæ aliquid teneat recti bonique, a quo reliquæ,
licet in aliis capitibus prævaleant, vitio ſeculi &
inter tentationes diſceſſerunt, non ſane perſpicio,
quid impedire debeat, quo minus hæ ab illa, vel
illis, ſponte ſua accipiant occaſionem deliberandi
de correctione & ſupplemento hujusmodi defe-
ctuum. Nec difficile eſſet hujusmodi exempla oſten-

to judicio omnium optime arridet & ſapit. Proſtat **Gamalielismus**, (l) ex *Act. V. v. 34. ſeqq.* cujus vitium, qua vitium eſt, in eo conſiſtit, ſi absque alio examine neceſſario

---

dere. At longiſſime alius eſt Eclogiſmus, qui ex Indifferentiſmi principio profluit, qui pruritum contradictionis, curioſitatis, novaturitionis conſequitur, qui per inclinationem imaginariam amoris proprii, & ſympathiam illegitimam cum his vel illis ſententiis a recepta Eccleſiæ ſuæ doctrina recedit, qui ex ſuperbia & ſapientia affectata ex peregrinis potius, quam domeſticis, inſtitutionibus ſapere amat, qui cum voluptate denique & credulitate illegitima ac malitioſa obtrectationes & delationes malignas adverſariorum arripit, & in peſſimos uſus convertit. κ. τ. λ.

(l) Diſputant interpretes de animo principioque agendi Gamalielis in hac cauſa: nonnullis certe eum magis laudantibus, quam vituperantibus. Vid. maxime WOLFIUS in *Curis Philolog.* & LIMBORCHIUS ad *h. l.* nec non CASp STRESO *Coment. in Acta Apoſtol. T. I. p. 199. ſeqq.* Hactenus mala ejus intentio non fuit, quod iram ac violentiam præcipitem Senatus Judaici hoc conſilio frangere conatus ſit. At in ipſo conſilio illud certe omni ſenſu admitti nequit, quod totam deciſionem quæſtionis ab eventu ſolum viſus eſt ſuſpendere. Enimvero id eum non voluiſſe, citati interpretes exiſtimant, ſed temporariam ra-

ceſſario & laudabili controverſiarum vel motuum circa religionem orientium omnis

---

tionem fuiſſe putant in re ejuſdem judicio nondum ſatis liquida. Aliam partem, licet non optimam, ipſe maturè elegit, ſi Judæis credere fas eſt, poſtquam ſtupenda religionis Chriſtianæ incrementa obſervat, a ſe minime ſperata. Omnium luculentiſſime defendi poſſet Gamaliel, ſi id ſolum præ ſe tulit, quod ipſi imputat LIMBORCHIUS. *Videtur*, inquit, *Gamalielis intentio fuiſſe diſcrimen oſtendere inter molimina Theudæ ac Judæi Galilæi, & hoc negotium Apoſtolorum: illos arma arripuiſſe, & contra leges civiles quietemque publicam peccâſſe: Hos vero placide docere, doctrinam rationibus & ſignis minime vulgaribus confirmare: nullam ab his metuendam ſeditionem. Contra ſeditioſos armis, quibus nos DEus inſtruxit, eſſe utendum: aliam vero rationem eſſe eorum, qui inermes docent* &c. *non eſſe legitimam viam ſuppliciis capitalibus in eos ſævire: ſed officii ſui eſſe doctrinam illam expendere, idoneis rationibus oppugnare, & legitimis ejuſmodi mediis adhibitis totius negotii exitum DEO committere* - - - & rurſus: *Id videtur intendiſſe Gamaliel, non ut nulla, ſed ut non alia, quam legitima media adhibeantur, & de doctrinæ hujus veritate judicium DEO committatur. l. c. p. 68. ſeq.* Interim cum multi hoc exemplo dictoque Gamalielis abutantur, maximè tempore motuum in re religionis exorientium, æquum utique eſt cavere, ne ſub ſchemate imitationis ſapientiſſimi hujus conſilii aliquid

nis norma judicii a ſolo eventu ſuſpendi-ditur. Proſtat Latitudinariſmus, (m) ſive illud Syſtema religionis, ſecundum

placeat, quod rectum & laudabile non eſt: quorſum maxime pertinet, ſi plane nihil præſtatur a Magiſtratibus, quod ad tutamen veræ religionis contra errores neceſſarium eſt: ſi ex carnali commoditate omnia in futurum tempus rejiciuntur: ſi religio victrix pro vera & amplectenda habetur: abjicitur vero ea, quæ premitur & patitur, quaſi DEus ipſe iſto eventu hanc improbatam, illam vero legitimam demonſtraret. *O quantopere culpandi*, *inquit laudatus* STRESO, *qui ne tantum quidem faciunt ad protegendam religionem, de qua plene convicti ſunt, ac fecit Gamiliel ad protegendam illam, de qua dubitabat. l. c. p. 101.*

(m) Studio hic reſtrinximus vitium Latitudinarium ad exceſſum facilitatis in admittendo ad communionem Eccleſiaſticam, cum alias ad Libertiniſmum atque Indifferentiſmum poſſit aliis referri titulis. Multa de hoc argumento dici poſſunt notatu digniſſima. Notarum tamen libertatem & brevitatem obſervandam nobis eſſe videmus. Remonſtrantium maxime Theologiæ adſcribitur, quod multis hodie tam lata placeat ad Eccleſiaſticam communionem via. Neque ipſis injuria fit, dum hoc creditur. Vel ſola JOH. CLERICI *diſſertatio de eligenda inter diſſentientes Chriſtianos ſententia* L. Grotiano *de V. R. C.* ſubjuncta ad id demonſtrandum pridem ſufficere potuit. Summa ejus eſt 1.) ſuf.

dum quod omnes illi admitti debent ad communionem & ſocietatem Eccleſiaſticam, qui in formulis etiam generaliſſimis reli-

ſicere ideam religionis Chriſtianæ, prout ea per Grotium in citato libello delineata eſt. 2. Sufficere, ſi quis in genere teſtetur, ſe credere & præſtare velle, quicquid in N. T. ſcriptum eſt. 3.) Sufficere ideam religionis Chriſtianæ, prout ibidem, ſc. in Diſſert. cit. deſcribitur. 4.) Licere ~~falva~~ conſcientia ſalva vivere in Eccleſia etiam graviter errante, dum ea ad errores ſuos cogat neminem. 5.) Puriſſime omnium eos Doctrinam Chriſtianam profiteri ac docere, qui ea tantum, de quibus conſentiunt Chriſtiani, quaſi neceſſaria credenda, facienda, ſperanda proponunt. Ad primum monemus, non fuiſſe intentionem Grotii, ut enarraret articulos religionis Chriſtianæ ſingulos, ſed ut generalioribus argumentis illius veritatem ac divinitatem demonſtraret. Ad ſecundum dicimus, non ſufficere eam profeſſionem generalem. Hoc enim modo omnes Chriſtianorum Sectæ unam conſtituerent Eccleſiam. Deinde etiam ſimul ſcire neceſſe eſt, quid Scriptura S. doceat? & quid intelligamus per eas doctrinas, quas illa nobis exhibet? De tertio judicamus, multa adhuc in confeſſione ibi delineata jure deſiderari. Formulæ hujusmodi generales ſive novæ, ſ. antiquæ eum, qui prætenditur, uſum non præſtant; imo facile degenerant in cothurnum pedibus quibusvis aptum, uti ſatis ſuperque a Theologis pridem eſt demonſtratum, Ad

religionem aliquam, ſaltem Chriſtianam, profitentur, vel Scripturam S. tanquam regulam fidei & morum ſe dicunt amplecti. Proſtat Naamanismus, (n) quem dixe-

quartum reſpondemus, non poſſe omnino negari, quod temporibus maxime difficilibus & exulceratis graves quoque errores tolerare oporteat, plurimumque ad hanc indulgentiam conferat, ſi coactio & obligatio ad errorem abſit. Sed exinde non ſequitur, in æſtimandis requiſitis ad communionem Eccleſiaſticam nullam gravium errorum rationem eſſe habendam, & ſolam eorum tolerantiam rem omnem conficere. Hinc non exiſtimo ſatisfactum fuiſſe conſcientiæ celebris illius Proſelyti, PILLONIERII, dum is, ſeipſo teſte, ad Eccleſiam Remonſtrantium non tam ideo primum acceſſit, quod eorum doctrinam ſciret Evangelio conformem, quam quia inter quosvis Proteſtantes omnium minime ſusſpecti ſint Intolerantiæ Papiſticæ. V. *Hiſtoire Apologet. de M. de la Pilloniere p. 68.* Denique de quinto pronunciamus, ſecuturum inde, omnes illas doctrinas, circa quas Eccleſiæ & Scholæ Chriſtiani nominis a ſe invicem diſſentiunt, eſſe problematicas, quod abſit ut concedamus: id enim longiſſime a vero deviaret. Plura jam de ampliſſimo argumento diſſerere hoc loco integrum nobis non eſt.

(n) Locus ille celebris *2. Reg. V.* pridem doctiſſime a Theologis excuſſus & illuſtratus eſt, oſten-

dixeris illum facti Naamanis Syri abuſumquo ob rationes & prætextus mere politicos nimia præſtatur indulgentia in communione cultus Eccleſiæ falſæ & corruptæ externa, cum manifeſto hypocriſeos & ſcandali mul-

ſumque, nihil iſtud exemplum Naamanis prodeſſe ad defenſionem eorum, qui cultus falſi & verbo DEI contrarii ſe exterius reddunt participes, cauſati interim, ſe animum ab his ſuum nihilominus purum ſervare. Huic tentationi perículoſiſſimæ expoſitæ fuerunt multæ myriades Reformatorum Galliæ, poſtquam absque omni convictione interna duriſſimis Aulæ legibus pœnalibus & per vim militarem ad frequentanda ſacra Romana coacti ſunt. Huic periculo quoque obnoxii ſunt quam plurimi Proteſtantium varii ordinis, qui ſub ſignis e. g. R Catholicarum Poteſtatum militant ſtipendii cauſa & ὠφελείας χάριν, & mille deinceps occaſiones ſibi obvias habent, in quibus ſe quaſi neceſſitatos putant periculoſam hujusmodi hypocriſin exercendi. Omnium maxime rei ſunt in foro DEI & conſcientiæ peregrinantium quam plurimi, qui vel per meram petulantiam, vel per conſuetudinem, vel, ut lateant, multa in hoc rerum genere perpetrant leviter & inconſiderate, quæ nonniſi cum multiplici vulnere conſcientiæ conjuncta eſſe poſſunt. Non vero illi tantum graviſſime peccant, qui divinum Nomen hunc in modum profanant, aliorumque peccatorum ſe temere participes faciunt: ſed illi quoque, qui injuſta violentia, vel indirectis

multiplicis periculo. Proſtat **Naturaliſmus**, (o) quo duce homines ſeveritatem religionis Chriſtianæ in moribus, myſteria in dogmatibus fugientes religionem naturalem vel ſolam principii & normæ loco adſumunt, vel ſaltem præcipuam & dominantem. Proſtat denique **Antiochiſmus**, ſive illud circa religionem propagandam ſcelus, quod vel aperte per tyrannica ac violenta media, vel cum prætextu legitimæ autoritatis per injuſtas & oppreſſorias leges & conſtitutiones diſſentientes in religione homines invitos, gementes &, ſi exacerbati ſint, blaſphemantes ſubjugat & proſternit. (p) Et quis numeret plures alios hujus ordinis

etiam artibus ad fœdam ejusmodi hypocriſin cogunt, alliciunt, & trahunt homines intra animum ſuum longe aliter perſuaſos.

(o) De hoc jam alibi, quantum ſatis eſt, diximus.

(p) Nullum aptius crudelibus & oppreſſoriis hujusmodi principiis & actionibus nomen dari poteſt. Quam turpe eſt & probroſum Chriſtiano nomini, quod noſtræ quoque ætatis Hiſtoria tales Antiochiſmos magno ſatis numero oſtendat? Hos nunquam ſine horrore & deteſtatione lego & pondero. Hos negare inter pudenda facta publica & avthentica impudentiſſimum eſſe cenſeo. Hos non

dinis Iſmos, non minoris momenti, quam illi ſunt, quos hucuſque in compendio delibavimus? Faciles nunc patimur, ut longe plura his titulis adjungant alii, & vitia religionis hactenus deſcripta plenioribus adhuc coloribus depingant? Ipſi ſane alio tempore hoc argumentum nonnihil amplificabimus. Interim, prout a nobis deſideratum eſt, dimiſſis nunc ceteris, id unum jam agemus, ut errores quosdam notabiliores, vero Theologiæ ſive religionis naturalis pretio uſuique legitimo contrarios,

---

facto ſolum exercere, ſed etiam per principia eo deducere, extremum eſſe falſæ Theologiæ gradum interpretor. Hos ſolius civilitatis & prudentiæ gratia tantiſper omittere, jus vero ipſum, idque plenum & perfectum, dogmate & jure ſibi reſervare, pro continuato & approbato facto in divino foro haberi, nulla ratione dubito. Omnes eos, qui Antiochiſmos ſ. veteres, ſ. novos diſſimulant, pingunt, contemnunt, & defendunt, vel ignorantiæ facti, vel imperitiæ juris reos peragi poſſe arbitror. Monumenta, quæ hujusmodi monſtra phænomenorum diligenter & accurate colligunt, atque, Deo ſingulariter providente, collecta & ſervata proſtant, præ omnibus aliis archivis & tabulariis publicis cuſtodienda eſſe prorſus mihi perſuadeo. Denique nobiliſſimam orbis Chriſtiani partem in omnibus Eccleſiis, excepta parte non optima (quamvis velit

os, ad *Exercitationis Academicæ* argumentum ſeligamus, &, quantum paginarum permiſerit ſpatium, examinemus. Cui inſtituto ut divina faveat gratia, toto pectore jam precamur, atque Domino omnis Autori benedictionis humiliter ſupplicamus.

§. II.

Theologiæ Nat: abnegatio

Primum autem, quod in hoc genere notamus, vitium eſt ipſa Theologiæ naturalis abnegatio. Tribuitur hujuſmodi ſententia FAUSTO SOCINO, hocque nomine is in quibuſvis male audit Syſtematibus. Nec difficile eſt probare, eum ita ſenſiſſe ac docuiſſe. Propria hæc ſunt illius verba, dum poſt rejectam receptiorem, ut ait, ſententiam: *homini naturaliter ejuſque animo inſitam eſſe divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur:* hunc in modo pergit: *At ſunt, qui dicant, id ſaltem negari non poſſe,*

---

videri optima) ab hujusmodi principiis alienam, &, ſi ſuam ſequatur indolem, innocentem eſſe, inter præclara bonæ cauſæ firmamenta numero. Principes vel Magiſtratus hujus, quod diximus, criminis reos tranquille poſthac vivere aut mori poſſe, ſummopere miror, idque phænomenon ad reſervata Majeſtatis divinæ pertinere arbitror. Plura alibi diximus.

ſe, ex ſola hujus mundi machina, ſi quis animum advertat, poſſe quemlibet, non ſolum DEum eſſe, manifeſte cognoſcere, verum etiam rebus humanis eum proſpicere, plane percipere. Sententia iſta ſimiliter vel ex eo falſitatis convincitur, quod præſtantiſſimi quidam Philoſophi, qui hanc mundi machinam non adſpexerunt modo, ut ceteri omnes, aut quemadmodum multi fecerunt, eum ſunt contemplati, ſed diligentiſſime in ipſa univerſa, ejuſque ſingulis partibus rimandis atque expendendis ſunt verſati, huc pertingere non potuerunt, ut DEum inferiora hæc ſingula curare ſuſpicarentur, vel hominum ſaltem ſingulorum eum curam habere intelligerent. Quin etiam ne creatum quidem a DEO mundum fuiſſe, aſſequi potuerunt, imo id plane negarunt. (a) Memoratu maxime digna eſt commentatio Viri, qua objectionem ſibi ex verbis Pauli clariſſimis, quæ *Act. XVII. 26. 27.* leguntur, propoſitam enervare alioque deflectere conatur. Dicit, *quærere Dominum nihil aliud eſſe, quam ſancte vivere, ut ipſe præcipit: eum autem invenire, eſſe illum ſibi propitium experiri.* Movet poſtea ſcrupulum: *Verum, (dicet aliquis) quomodo poterant homines ſancte vivere ſecundum præcepta DEI, ſi homines DEum naturaliter non norunt?* & reſpondet his verbis: *DEum ab initio per multa ſecula, & ante & poſt diluvium, præſertim vero ante, de quo tempore loquitur Apoſtolus, ſe ipſum hominibus patefeciſſe, adeo ut*

(a) V. *Prælect. Theolog. Cap. II. T. I. Opp. p. 538.*

ut & ipſum & ejus voluntatem ſatis perſpectam haberent: Quocirca, ſi poſtmodum factum eſt, ut DEI cognitione carerent, id ipſorum culpa contigit, qui lumen illud divinum paulatim minui atque extingui in ipſis ſiverunt. Quodſi tamen volumus, Pauli mentem fuiſſe, ut ſemper homines DEum quærere poſſint, dico, illum ſuis verbis explicaſſe, quid vere in hominibus naturaliter ſit poſitum, quod attinet ad religionem. In omnibus enim hominibus naturaliter eſt aliquod juſti & injuſti diſcrimen, aut certe in omnibus hoc ſitum eſt, ut cognoſcant & fateantur, juſtum anteponi debere injuſto, honeſtum turpi. Hoc autem nihil aliud eſt, quam Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, DEO ipſi obedit, etiamſi alioqui ipſum DEum ne eſſe quidem aut ſciat, aut cogitet. Nec dubium eſt, qui hac ratione DEO paruerit, illi etiam gratum futurum. Nam ſi quis objiciat id, quod ante ex Epiſtola ad Hebræos recitavimus, oportere accedentem ad DEum credere, DEum eſſe, facilis reſponſio fuerit, cum certum ſit, Apoſtolum loqui de iis, quibus DEus ſe patefecit aliqua ratione. Talis enim Enochus erat, de quo ibi verba fiunt. Iſti enim, niſi DEum eſſe credant, animum a pietate, & ſic a juſti honeſtique ſtudio alienum ſe habere demonſtrant. Præterea ſermo ibi eſt de iis, qui ſingulari quadam ratione DEO grati & accepti ſunt, qualis Enochus fuit. Itaque verum quidem erit, eum, qui ad DEum accedere velit, i. e, eum ſibi ſingulari ſeu non vulgari (ut ita dicam) ratione propitium experiri, oportere omnino credere DEum eſſe, & ſi hoc deſit, ſive quia DEO ſe patefacienti fidem adhibere noluerit, ſive quia ei ſe DEus,

nulla

nulla ratione patefecerit, iſtum minime ad DEum acceſſurum. Non tamen verum erit, id omnino requiri ad hoc, ut quis quadantenus (ut ſic loquar) DEO gratus ſit, aliam etiam ob cauſam, quam quia ejus ſit creatura: ſed ſatis fuerit interiori illi atque occulto quodammodo DEI verbo paruiſſe (b) Poſſit autem quam maxime mirum videri, quod SOCINUS in has cogitationes inciderit. Si vel notitiam DEI, quam vocant, inſitam negare voluiſſet, acquiſitam tamen nulla cum ſpecie poterat impugnare. Neque hæc opinio neceſſaria erat Syſtemati SOCINI, id quod, ut interna taceam ejus rei argumenta, clariſſime patet ex illorum Scriptorum libris, qui in ceteris SOCINO arctiſſime adhærent, in hac autem cauſa ipſum plane deſerunt. Scil. fructus hic erat ſuperbi illius Scepticiſmi, quem ad omnes fere religionis Chriſtianæ doctrinas immoderata prorſus dubitationis ſapientis affectatione Vir ille ad deſtruendum potius & convellendum, quam extruendum excitandumque Theologiæ ædificium ingenioſus & audax perniencioſiſſimo extendit exemplo. (c) Rem ipſam quod attinet, vix

(b) L. *eod. p.* maxime *539.*

(c) Non eſſe falſum hoc de SOCINO judicium, ex Opp. Illius inſpectione facile conſtabit. Simi-

vix magna adeſt neceſſitas huic errori ſe ingenti cum conatu opponendi. Quodſi tamen in compendio exhibere velimus, quid in tota illa SOCINI diſſertatione reprehendi mereatur, dici poteſt ante omnia, leviſſimum eſſe argumentum, quo communi ſententiæ tam ſpecioſis ad minimum rationibus ſuffultæ temere contradicit. Opponit autoritatem qq. Philoſophorum, qui cùm creationem mundi negaverint, aſſecuti

lis hac in re fuit LÆLIO Patruo, ex quo etiam ſeſe unice ſapere (ſi de Magiſtris quæſtio ſit) plus ſimplici vice declaravit. Omnia convellit. Rationibus ſæpe pro gravitate argumenti leviſſimis utitur, ingenioſus & fœcundus in excogitandis, audax & temerarius in promulgandis ſuis dubiis, ſiquidem dubia vocari poſſunt, quæ ſumma cum fiducia & προφάσει proferuntur. Appellet Socinum poſt primos ejusdem Panegyricos ARTEMONIUS *Virum Nobiliſſimum & magnanimum, qui ampliſſimos honores & hujus vitæ commoditates cum ſua Italia reliquerit, ut alibi libere ſentire, & quæ vera eſſe putabat, cum aliis communicare poſſet. Init. Evang. Joh. illuſtrat. Præf. p. XV.* Longe adhuc magnificentius eandem amplificet ac extollat circumſtantiam facundus *Vitæ* SOCINI *Scriptor*, cum multis aliis: vera certe non ſunt, quæ idem *Biographus* de ſumma ejusdem humilitate & modeſtia in docendo invidioſis verbis commemorat. *Neminem*, inquit inter alia,

cuti haud fuerint providentiam DEI circa res creatas. Sed præterquam, quod id a particulari petitum ſit argumentum, docendum erat prius, culpam hujus veritatis non agnitæ non hæſiſſe in illis ipſis Philoſophis, & falſa eorum methodo inveſtigandi veritatem. Hoc ſi negat Socinus, non

---

contemſit unquam: nullam rem niſi conſulto & circumſpecte aggreſſus eſt. In ſtudiis quoque adeo omnis ſui fiducia aberat, ut nihil ſcribere auſpicaretur, niſi longa & matura meditatione concoctum. Quoties is per ſalebras, quas alii ſecuro gradu calcâſſent, ſuſpenſo inceſſit veſtigio, ut nemo ſic alieno, quemadmodum is proprio, diffiſus fuiſſe videatur Ingenio? & antea: *Si quid damnare in eo cuperes, nihil fuit vituperio propius, quam nimia ſui contemtio.* V. init. *T. I. Opp.* cui hæc *Vita* præfixa eſt. Contrarium plane ab amicis ipſis SOCINO objectum legitur e. g. a MARCELLO SQUARCIALUPO, cujus in memorabili quadam ad eundem Epiſtola hæc verba extant: *Novi,* inquit, *tuas inſignes animi, & linguæ, & calami dotes. Unum in te deſideramus, ut minus tibi blandiare: magis aliis credas, qui te in tuis rebus poſſunt admonere: communis enim eſt omnium ſive morbus, ſive virtus hæc, ut facile ſordes alienas noſcamus non perceptis noſtris. l. c. p. 360.* Ipſe vero Socinus in data ad hanc *epiſtolam*, quæ ipſum vivide pupugit, *reſponſione* conceptis verbis fatetur, *id ab aliis quoque nonnullis in ſe fuiſſe deſideratum:* licet conti-

non nobis, ſed Paulo contradicit, cujus diſerta ſententia eſt, hujuſmodi homines, *cum ſe profiterentur eſſe ſapientes, ſtultos eſſe factos* Rom. I. 21. 22. De cetero dicit ſolum & ſupponit, non probat, quidquid homines unquam de DEO ſciverint, id eos ſola ex fama & traditione factæ olim revelationis accepiſſe, nullo autem alioargumento ratiocinationis & conſcientiæ habuiſſe compertum. Si barbariem generis humani degeneris accuſaſſet, eique tribuiſſet incapacitatem per ratiocinationem juſtam aſſequendi hujusmodi cognitionem Dei, ne ſic quidem dixiſſet verum ; excuſabilior tamen fuiſſet hoc in ſchemate, quam haberi poteſt, dum hac quoque ratione ſepoſita, cujus

ſuo addat *vereri ſe, ut hi omnes ſatis recte ſe noverint. eſſe enim ſibi optimum teſtem, quod a vitio iſto procul abſit. l. c. p. 367.* Conf. omnino judicium HOORNBECKII de Socino in *Apparatu* ad *Sociniſmum Confutatum* a *p. 51.* usque ad *p. 71.* cujus ad minimum hanc partem approbamus, dum ſcribit, non defeciſſe eidem *ingenii acumen, ut neque ſtyli in ſcribendo facilitatem: ſed rudia & tenera ſtudia arroganti celeritate ipſum præcipitâſſe, & docere Theologica & paradoxa aggreſſum cœpiſſe, antequam fere diſcere incepiſſet. &c. p. 67.* Sed hæc ex inſtituto atque filo Hiſtorico diducere, non eſt hujus loci.

jus fundamenta is nunquam recte cognovit, prorſus omnem ex natura & ratione DEI notitiam ſuſtulit. Et audet tamen deinceps tanquam ſolidiſſime jacto fundamento, quaſi extrema eum cogeret neceſſitas, clariſſimas torquere Scripturas: audet dicere, quod Paulus Apoſtolus *cap. I. & II. Ep. ad Romanos* non de cognitione Dei naturali diſſerat, ſed de revelatione Evangelica, & neceſſitatem cognitionis DEI ad id, ut quis ad eum accedat, ad ſolum Henochum eique ſimiles precaria limitatione reſtringit: audet dicere, notitiam honeſti & turpis, juſti ac injuſti naturalem Deum indidiſſe hominibus, nec tamen exiſtentiæ ſuæ cognitionem & argumenta dare ipſis voluiſſe extra revelationem ſpecialem, quæ paucis contigit: audet denique dicere, potuiſſe pleroſque homines DEO obedire, etiamſi DEum ne eſſe quidem aut ſciant, aut cogitent, & quæ alia ſunt portenta ſententiarum, in quibus ne mica eſt veriſimilitudinis. Tam manifeſtum hoc eſt, ut JOH. CLERICUS fateatur, *Socinum hic neque Grammaticum, neque Philoſophum ſe præſtitiſſe* (d) Sufficiet quoque, una cum CLE-

(d) *T. II. Annot. ad N. T. p. 8.*

CLERICO LIMBORCHIUM, CRELLIUM, SCHLICHTINGIUM, & PRZIPCOVIUM, in ſuis ad notiſſima illa *Act. Apoſt. epiſtolarumque ad Rom. & Hebræos* loca *Commentariis*, qui hic clariſſimi ſunt, contuliſſe. (e) Ut

(e) Ex CRELLIO & PRZIPCOVIO hæc loca adducimus. Sic prior ad *C. I. ep. ad Rom. v. 19. 20. fol. 78. ſeq. adſcripſit: Probat in his verbis Apoſtolus, homines id, quod de DEO cognoſcendum eſt, cognoviſſe, vel, quod hic perinde eſſe diximus, cognoſcendi habuiſſe & habere occaſionem, & ſimul occurrit objectioni tacitæ, quæ ipſi poterat opponi. Dicere enim quiſpiam poterat: at non extiterunt Doctores vel præcones aliqui a DEO miſſi, præſertim inter gentes, qui homines veritatem iſtam de DEO edocerent. Reſpondet Apoſtolus: DEus enim ipſis manifeſtavit, q. d. etiamſi homines aliqui non exiſterent, qui eos hanc veritatem docerent; DEus tamen ipſe id præſtitit; ſed quomodo? Non quidem illis DEus hæc revelavit per Prophetas aliquos, aut homines ad eam rem miſſos: ſed inviſibilia ipſius, ſempiterna nimirum illius potentia atque divinitas a creatione mundi pervidentur, i. e. ab ipſa mundi creatione initio facto clare cognoſcuntur & cernuntur, dummodo quis oculos aperire velit &c.* Rurſus *ad Hebr. XI. 6. T. II. fol. 185. Hæc fides, ait, eſt credere, & DEum eſſe, & præmia retribuere iis, qui ipſum quærunt. Annon vero neceſſe prorſus eſt, ut is, qui ad DEum accedit . . . utrumque iſtorum credat, & firmiter ſibi perſuadeat? Si enim Deum eſſe non credet, quomo-*

Ut noſtros & Reformatos Scriptores Anti-Socinianos penitus jam prætercam.

§. III.

Cum itaque iniquum ſit eo gradu revelatam extollere Theologiam, ut naturali pretium, quod a DEO ipſo habet, intempeſtive detrahatur: multo certe peſtilentius ac damnabilius merito habetur, ſi quis ita magnifice de Theologia & religione naturali ſtatuit, ut propterea revelatam pro ſuperflua, vel ſi paululum ſcandali venenatioris ex argumentis revelatæ religioni prop-

---

do illum colet? ſi credet quidem, DEum eſſe, ſed interim, an ſuis cultoribus benefaciat? dubitabit, quo pacto ſe ejus cultui ac ſervitio mancipabit? Porro credere DEum eſſe, eſt credere, revera extare eum, qui ſummum in omnia habeat imperium, quique a nullo alio dependeat, quin potius omnia ab ipſo. Qui autem tale Numen credit, ille ſimul æternum illud eſſe & unicum, ut credat, neceſſe eſt. Quærere autem vel inquirere DEum nihil aliud eſt, quam illius gratiam & favorem ambire &c. Conf. *Libri* CRELLII *de Deo,* qui primum volumen *LL.* VOLKELII *de vera religione conficiunt. C.I. usque ad VII.* Similiter PRIZIPCOVIUS *Cogitat. ſacr. ad Rom. Opp. p 37. Trahit ad ſe,* inquit, *h. e. ad cognitionem ſui DEus omnes primum per rationem operum ejus conſciam, & niſi ipſa ſibi atque officio ſuo deſit, non ineptam æſtimatricem: deinde vero per revelationem, & gratiam rationi prælucentem. &c.*

propriis accedit, eam plane pro falſa & noxia venditare aûdeat. Hoc Deiſtarum & Naturaliſtarum, quos vocant, ſcelus eſt, quod nuper admodum in *Schediaſmatibus* noſtris (a) copioſe & fortiter perſtrinximus, adductis adverſus illud rationibus ſolidis, profligatisque objectionibus ſingulis, vel ſaltem præcipuis, quæ ab iſto hominum genere contra religionem revelatam moveri ſolent. Ne igitur actum agamus, id unum hoc loco prioribus dictis graviſſimis de cauſis adjungimus, adeſſe rationes haud contemnendas, cûr credamûs, illûd Deiſtarum & Natûraliſtarum genus, quod non quidem aperte ac diſertis verbis revelatam rejicit religionem, ſed frigidiſſimo interim languore illam in corde ſûo & per omnem vitam atque actiones ûniverſas contemnit ac negligit, omni ſpe ac fiducia gratiæ apud DEum & ſalutis olim obtinendæ in qualicunque religionis & honeſtatis natûralis obſervatione repoſita, pejus fere & incurabilius eſſe Naturaliſtis manifeſtis, theoreticis, dogmaticis, qui palam ſe inimicos religioni revelatæ profitentur. Illi enim hos non modo numero vincunt & ſupe-

(a) V. maxime *Schediaſma V. p. 566. ſeqq.*

ſuperant, verum etiam minus feliciter poſſunt e ſuis latibulis extrahi, dum fateri nolunt morbum ſuum, quantumcunque vel intimos receſſus animi hoc virus depaſcatur, omnemque veræ ac ſolidæ religionis ſuccum abſorbeat. Solet alias Atheiſmus in poſitivum & negativum diſtribui. (b) Priorem vocant apertam & directam exiſtentiæ

(b) Paſſim apud Eruditos, vel expreſſe, vel æquipollentibus verbis occurrit hæc diſtinctio, & vario quidem inſtituto. Aliqui enim, quia Atheos multiplicaturi in exemplis Atheiſmi poſitivi non ſatis præſidii inveniunt, negativum in ſubſidium vocant, ut maxime fecit Bælius. Alii vero ægre ferentes tot populos tanquam Atheos venditari ac diffamari, præter alias rationes, quas huic ſententiæ opponunt, hanc quoque afferunt, id, quod vel in barbaris deprehenditur populis, proprie loquendo non Atheiſmum eſſe, ſed oblivionem & ignorantiam Dei. Audiamus hac de re *Præfatorem Demonſtrationis Feneloniana de exiſtentia Dei. Les Barbares*, inquit, *a qui Mr. Baile impute une ignorance entiere de Dieu, n' ont presque d' hommes, que la figure; ils manquent de raiſon autant, que de religion. Manquent - ils de religion jusqu' a etre tombè dàns un veritable Atheiſme? Non. A en juger meme par les fauſſes relations de Mr Baile, ils ſont fort eloignès d' etre perſuadè, qu' il n' y a point de Dieu, point d' Auteur du monde. Leur diſpoſition ne peut*

ſtentiæ ſupremi Numinis abnegationem. Poſterior eſt exiſtentiæ Divinæ ignorantia potius, quam rejectio, vel hujuſmodi ſaltem circa fidem alicujus Numinis incuria, qua præſente tam parum efficaciæ & utilitatis in religionem inde manare poteſt, ac fieret

---

paſſer pour incredulitè; c' eſt un pur oubli de Dieu. Enfoncez dans la matiere, occupés du ſenſible, ils n' ont jamais penſé a Dieu, jamais ſuivi les reflexions, que la nature leur offroit. Or ſeurement l' oubli de Dieu n' eſt pas un Atheiſme. Combien de mondains, Chretiens dans le cœur, paſſent un tems fort long ſans penſer a Dieu, ni aux devoirs de la religion? Les mettra-t-on au nombre des athèes? Quand on les a forcés ces Barbares a developer un peu leurs idèes, les preuves de l' exiſtence de Dieu ont eu ſur ces esprits groſſiers leur effet immanquable; ils ont confeſſè un Dieu. Les preuves les plus claires ne ſont preuves, que pour ceux, qui s' y rendent attentifs. Non eſt abs re, quod monet *laudatus Præfator.* Recte oſtendit, & innuit, Atheiſmum poſitivum & conſummatum longe majorem eſſe gradum impietatis, quam ſimplicem ignorantiam, inadvertentiam, & oblivionem Deitatis: & miſeras hujusmodi gentes, quæ hæreditariam per barbariem divertuntur a cognitione DEI, propius abeſſe ab hoc lumine admittendo, quam Atheos oblatam hanc diſtinctius & clarius notitiam, ejusque fundamenta, malitioſe repudiantes. Sed nec illud negligendum eſt, ceteris paribus Atheiſmum negativum ſatis vicinum

fieret, ſi plane DEus non eſſet, vel DEum eſſe, poſitive negaretur. Nullum certe dubium eſt, quin Deiſmus quidam ſive Naturaliſmus negativus ſimili ratione apud plurimos, medios quoque inter Chriſtianos, paſſim invaluerit. Omnis horum religio revera naturalis eſt, & ultra qualemcunque Theologiam rationalem (dum ſit rationalis vel in ſpeciem) non aſſurgit, dum interim profeſſio Chriſtianæ religionis non quidem omnino, & cum plena determinatione, rejicitur, attamen re ipſa tam parum creditur & attenditur, tam exilem vim habet in mentes & corda iſtorum hominum, quam habere poſſet, ſi non exiſteret, vel ſi nulla prorſus eſſet. Enimvero hunc non minus, quam craſſiorem alterum & ferociorem, Deiſmum ſive Naturaliſmum

eſſe poſitivo, ſi hæc oblivio, hæc ignorantia Dei ſine remedio ſola permaneat: imo accedere poſſe circumſtantias, quæ mala inde æquali torrente promanantia exaggerent, aggraventque. Quicquid Atheiſmus poſitivus impudentia peccat, delinquit negativus per ſocordiam, & gradum brutalitatis ſ. carnalitatis ſtupidæ, qui a priore culpa haud longe diſtat, imo nonnunquam eadem eſt notorie inſanabilior. Unus tandem exitus & finis utrobique eſt. Harum obſervationum applicatio ad Deiſmum in promtu eſt.

turaliſmum ad peſſimos abuſus Theologiæ naturalis pertinere, nova demonſtratione non indiget. Valent eadem argumenta contra utrumque, & ſumma rei utrobique una eademque eſt. Iſtas proinde rationes alibi jam productas, quaſi hic extarent, conſiderari & examini religioſo ſubjici, quam lubentiſſime permittimus, & quidem ad illam ipſam exercitationem, quam nunc inſtituimus. Utinam hæc peſtis nobiliorem Chriſtianorum partem non abſumeret Vix enim aliter, quam ex hiſce principiis, evolvi atque explicari poſſunt phœnomena noſtri temporis. Neque enim vulgaris eſt impietas atque oblivio DEI, quæ in plerisque hominum dictisque factis hodie regnat. Quem autem eventum eadem mereatur ſemper, & nonnunquam reipſa conſequatur, vel nupera nomine *tertii Spieræ* edita recens Hiſtoria vere tragica & horrenda, quæ Nobilis cujusdam Angli ferocem primum Atheiſmum, deinde claudicantem Deiſmum, ac feralem denique utriusque exitum graphice deſcripſit, divino cum terrore omnibus demonſtrat: ſicut contra jucundiſſimum eſt alterum Nobilis pariter Angli exemplum bene vivendi ac moriendi noviſſimum, quod in eodem

libello

libello ſub tit. *Triumphantis Chriſtiani* continetur. Quando tandem piſcatores icti ſapient? & cor tantopere periclitantium peccatorum ad ſalutem uſque commovebitur?

§. IV.

Affine priori vitium eſt, & abûſus Theologiæ natûralis fûneſtiſſimûs, cum illa revelatæ religioni tanquam norma, interpres, & ſûpplementum neceſſariûm inſidioſiſſima calliditate obtrûditur ac ſûperadditur. Poteſt, imo ſolet, hac in cauſa magis vel minus peccari, & per multos gradûs plus minus noxios variare hæc prævaricationis ſpecies. (a) Nos vero ad pejora digitum hic inten-

(a) Multi hoc faciûnt, & non dicûnt. Poteſt idem fieri habitû quodam & pondere inclinationis nondûm rectificatæ magis, quam per actûs directè præmeditatos & voluntarios. Sed quo propius id vitium accedit ad deliberatam & Syſtematicam elevationem notitiarum noſtrarum naturalium ad gradum neceſſitatis, ſûbſidii, & utilitatis illegitimum in ordine ad religionem revelatam, indeque concipiendam ac nutriendam fidem ſalvificam, & præſtanda ex hoc fonte pietatis officia, eo majore etiam gradû creſcit hujus rei culpa & periculum. Tentet & experiatur quilibet ſeipſum, anne in iis caſibus, in quibus Verbum DEI aliter,

intendimus ſpecimina, & impetimus Scriptores quosdam in hoc artificio exercitatos, & vere Magiſtros. Notum eſt eruditis, quid in iſto genere conatus fuerit SPINOSA. Noluit videri, quod Scripturas ſacras & revelatam religionem rejiceret. Non permittebat manifeſtam ejusmodi impietatem perſona, quam ipſe aſſumere vel debuit, vel voluit. Id igitur inter alia confinxit, *revelationem divinam ubique accommodatam eſſe captui vulgi: intentum ejus eſſe tantum obedientiam docere, non ſcientiam: Fidem non tam requirere vera, quam pia dogmata, h. e. talia, quæ animum ad pietatem movent: Tametſi inter ea plurima ſint, quæ nec umbram veritatis habeant, dummodo tamen is, qui ea amplectitur, eadem falſa eſſe ignoret.* &c. Quid vero ille ſapientiæ naturali tribuit? Dicit, *Theologiam eſſe regnum pietatis & obedientiæ: Rationem autem regnum veritatis & ſapientiæ.* Dicit, *cum Theologia fidei dogmata eatenus tantum determinet …*

---

ac pro guſtu carnis noſtræ, pronunciat, quandam proclivitatem apud ſe ſentiat, per commentationes & gloſſas proprias ſupplendi, quod ipſi videbatur deficere. Hac maxime parte verum eſt, quod Poëta dixit, ingenii largitorem eſſe ventrem. Unde etiam practica hujus vitii exercitatio & univerſalior, & periculoſior eſt, quam mere Syſtematica ac theoretica, ingenioſioribus doctioribusque hominibus, non vulgo, familiaris.

terminet, quatenus obedientiæ ſufficit, quomodo ea præciſe ratione veritatis intelligenda ſint, rationi relinquere, quæ revera mentis lux ſit, ſine qua nihil videat præter inſomnia & figmenta. Dicit denique, *de veritate & certitudine rerum, quæ ſolius ſunt ſpeculationis, nullum ſpiritum teſtimonium dare præter rationem, quæ ſola veritatis regnum ſibi vendicet.* Quidquid ergo alias ad ſuſpicionem evitandam ſcripſerit SPINOSA de neceſſaria rationis & Theologiæ disjunctione, & quomodo nec Theologia rationi, nec ratio Theologiæ ancillari debeat: certum ſane eſt, quod ex illius doctrina veritas & ſapientia, & rectus doctrinarum quarumvis ſenſus non ex Scriptura & revelatione, ſed ex ratione unice peti ac hauriri debeat. V. maxime ex *Tractatu* hujus hominis *Theologico-Politico C. XIII. XIV. XV.* Damus alterum exemplum, haud multo tolerabilius, ex ANTONIO COLLINS, ejusque *libro de libertate cogitandi* famoſo. (b) Magis ille recte

(b) Cum hic ipſe libellus primum prodiret, ſtrepitumque apud curioſos excitare inciperet, nos ipſi quoque in *Oratione* quadam publica, præmiſſoque eidem ſolenni *Programmate*, noſtram de eo ſententiam candide extulimus. Legit eam tunc temporis B. D. FROMMANNUS Manuſcriptam, & aliqua illius verba ſeptimæ ſuæ de

cte & ambigue loquitur, ſed ſi veram ejus, quæ certo conſtat, ſententiam ſpectemus, non minus impie & periculoſe. Spectant verba ejus, quæ hoc loco adducere animus nobis eſt, non ad ſapientiam Scripturæ theoreticam, quam ei abjudicat SPINOSA, ſed ad

---

Atheo ſtulto Diſſertationi, in qua eundem fœtum data opera poſtmodum examinavit, *p. 235.* totius *opuſculi* inſerere dignatus eſt. Cum vero non ſatis plena & connexa exhibuerit Vir optimus, nihil obſtabit, quo minus illa ex *Manuſcripto noſtro* nunc ſiſtamus perfectiora. *Veſtrum erit, A. judicare* (ſic perorabam in iſta Panegyri publica *An. 1714. die XVIII. Sept.*) *quid de agro ſit ſentiendum, in quo tales cardui tribulique tam copioſe progerminant? Tantillus puer, tantus peccator! exclamavit aliquando Vir pius, cum ingentem cujusdam pueri malitiam eſſet intuitus. Quidni & mihi, inverſa paululum formula, dicere liceat? Tantillus liber, tam ingens malum! Dici non poteſt, quot monſtra parturiat opinionum: quæ enim in cæteris voluminibus Bibliothecæ Satanicæ, cujus libros canonicos eruditi non ignorant, paſſim ſparſimque legimus, in hoc nervoſo, ſed abominabili compendio pauciſſimas intra pagellas coaluerunt.* Rurſus ea, quæ *l. c. p. 271.* ex eadem *Oratione* allegantur, propriis noſtris verbis exinde ſupplemus. *Non poteſt is libertatem exercere*, inquiebam, *qui liber non eſt, vel videre, cui nondum aperti ſunt oculi. Dictum quidem eſt Sutori: ne ſutor ultra crepidam;*

Criſis Weism: in Libr. Ant. Collini de libertate cogitandi.

ad doctrinam morum, in qua recte tradenda & interpretanda ſine controverſia plus

ſuam interim crepidam ſutor callere debet. Artifici in ſua arte credendum eſſe, noto ſatis proverbio docemur: imo nihil eſt in toto rerum humanarum Syſtemate, quod non experiendo & præparando diſcamus. Sola divina patent omnibus, & manibus imo pedibus quorumcunque illotis contrectantur. De his ſolis cruda mente, rudique judicio licet arbitrari inter pocula, in fornice, per ſomnum, in otio: uno verbo, etiam oſcitantibus & ſomniantibus proh pudor! licet impune ſentire & garrire, quod libet. Non eſt quidem hæc Dei divinæque legis ſententia, ut monopolium certi quidam homines inſtituant rerum divinarum. De propria cujusvis agitur anima: unde & cuivis de anima ſua reſpondendum & proſpiciendum eſt Damnari poſſunt homines cum aliis: ſed non poſſunt damnari pro aliis, aut vice aliorum. Interea requiritur ad negotium tam arduum, quale veritatis ad æternam ſalutem profuturæ examen eſt, ſeria ac diuturna ſub diſciplina DEI ipſius præparatio, qua ſine malum augetur, non ſanatur, & fit peſſime, quod intactum jacuiſſet minore cum periculo, dum mille ulcera propullulant ex præpoſteris atque ineptis remediis. Hæc olim ſcripſimus. De cetero animus mihi non eſt novas in hunc librum integrum cenſuras ſtringere, poſtquam pridem hoc factum eſt a Viris doctiſſimis, quorum meletemata notiſſima ſunt. Infelix illud ſeculum eſt, in quo hujusmodi lactucæ multis ſapiunt labris.

plus tribuit Theologiæ naturali, quam revelatæ. *Ne ſpes quidem*, inquit, *apparet*, *rectam & genuinam doctrinæ morum*, *quæ in ſacris libris reperitur*, *ideam formari poſſe*, *niſi quis legerit prius Scriptores antiquos*, *& peritus ſit legis naturalis*, *qua ſine vix fieri poteſt*, *ut intelligantur plurima officia in ſacris literis nobis præſcripta*, *e. g. obligatio ad diligendum inimicos*, *item*, *ne quis in craſtinum usque ſollicitus ſit*, *aut duo ſimul veſtimenta poſſideat*, *aliaque id genus plura*, *generalibus verbis in Scripturis propoſita. Limitationes*, *quibus hic opus eſt*, *in locis iſtis non exſtant*, *ſtatim autem patent*, *cum quis legem naturæ ſibi familiarem reddiderit. Unde concludo*, *quævis fere officia moralia*, *in Scripturis tradita*, *impenetrabili velo abſcondita latere apud eos*, *qui legem iſtam naturalem ſingulari ſtudio haud perquiſiverint. l. c. p. 16. ſq.* Huc & illud pertinet, quod idem occaſione Epicuri, amicitiæ virtutem mirifice ſuſpicientis, profiteri non erubuit, *nos ad virtutem hanc mirabilem nulla religionis Chriſtianæ lege obligari*, ita ut, quod ex Epiſcopo TAYLORIO poſtea confirmat, *ne nomen quidem amicitiæ*, *in ſenſu obvio*, *novo in Teſtamento legi exiſtimet.* (c) Hæc illi. Si nunc porro cum affectu dicendum ſit, quid hæc ſecum ferant? pronuntio ex animi ſententia: Triſtem & miſeram eſſe neceſſitatem, ſi Theologus hujusmodi abortibus

Error Collini

(c) *L. c. p. 191.*

tibus ingenii & cordis humani ſe opponere teneatur. *Si* ratio reddenda ſit hujus affectus, ea certa eſt utique & parata. Compertum nunc eſt, Atheum & profanum hominem fuiſſe, qui primas hujus ſermonis lineas duxit. (d) Specie ſapientiæ hoc dixit, qui ab omni veræ ſapientiæ cognitione fuit alieniſſimus. Dixit, quæ voluit, & ne ratiunculis quidem ſpecioſis probavit. Dixit animo in revelationem divinam hoſtili, eamque turpiter calumniatus eſt. Hæc præjudicia ſunt juſta & legitima contra perſonam dicentis. Rem ipſam quod atti-

(d) Ideo hoc ipſum monuimus, quoniam, ſi olim, cum nihil adhuc præter *Tractatum Theolog. Politicum* Spinoſæ vidiſſet orbis eruditus, de ipſius Atheiſmo formali & poſitivo a nonnullis dubitatum eſt, nulla tamen dubitandi ratio hodie ſupereſt, poſtquam omni ex parte cognoſcendum ſe præbuit. Quid igitur mirum, quod hic Scriptor intus & in cute Atheus tam propudioſe per totum hunc librum diſſeruerit de Scripturis ſacris? & quis dubitet, omnia illius verba, in quibus rem ipſam adhuc videri voluit retinuiſſe, & ſpeciem præ ſe tulit ſolos rationis ac revelationis terminos rite diſcernendi, ad merum fucum fuiſſe comparata? Plura ut hoc loco addamus, neceſſe non eſt. Conf. JOH. MUSÆUS in *Spinoſismo ad lancem veritatis examinato p. 30. & ſeqq.* omnino.

attinet, quis ſapiens vere credet unquam, ullum gradum manifeſtationis divinæ, nedum ſublimiorem illum, qualis eſt revelatio illa extraordinaria, magnifica, ſpecialis, & Spiritus DEI opus primarium, veritatem doctrinarum, quas docent & tradunt ejus inſtrumenta, nullo loco habere? perinde eſſe ad religionem, ſive vera ſint, ſive falſa, quæ docuerunt Viri DEI in ſacris literis, dummodo ad virtûtem adhibeantur exercendam: at qualem quæſo virtûtem? quæ in hujus hominis Syſtemate nil niſi phantaſma fuit, ac diſpoſitio phyſica & machinalis, a virtute & pietate divinam per revelationem inculcata tam longe diſtans, quam cœlum a terra abeſt? Tota Scriptura clamat contrarium in omnibus paginis: imo non eſſet verbum DEI Scriptura, ſi hoc verum eſſet, quod Spinoſa dixit. Et voluit certe hanc concluſionem inſinuare homo impius, qui longe conſequentius, poſt has præmiſſas, plane negaſſet & aperte, Scripturam continere divinam revelationem, atque a DEO eſſe profectam. Cum vero hoc ipſum intenderit, & in verbis tamen ſuis contrarium ſimulet, nullam ei injuriam facimus, ſi duplicis criminis: impietatis ſimul & impoſturæ, ipſum

reum

reum peragamus. De cetero, Collinum quoque in verbis ſupra adductis multa, quæ reprehendi merentur, docere, cùm dolore obſervamus. Accûſat Scriptûras in morum quoque doctrina, (in qua tamen eas excellere, ex ipſorum Deiſtarum numero quam plurimi alias confeſſi ſúnt) (e) tantæ obſcûritatis & imperfectionis, ut abſque Scriptoribus antiquis intelligi nequeat. Per veteres autem illos non alios, quam ſapientes gentiliùm Philoſophos deſignare videtur: quos tamen neceſſarios Enthicæ Chriſtianæ interpretes dare, & prætendere, quod ex his lùx præcipua inferri debeat doctrinæ morali Scriptûræ S. parum abeſt ab impudentia. (f) Ipſa lex naturæ, ex qua

(e) Vid. quæ diximus *Schediaſmate V. p. 569. 572.*

(f) Vix apparet, quosnam Veteres hîc COLLINUS intelligat, niſi illi ſint ipſi, quos in libro ſuo ex Antiquitate nominat tanquam ſapientes Libertatis cogitandi patronos, Socratem, Platonem, Epicurum & alios, quos tædet hic repetere. Enim vero nullibi hic Scriptor ſuos ungues apertius explicat, oſtenditque luculentius, quam eo loco, quo exemplis & autoritate Veterum ſe tuetur. Non opus eſt reſecare ad vivum ſingula. Poterunt ali-

qua præcepta religionis Chriſtianæ moralia explicari & judicari poſtulat, nunquam equidem huic adverſa eſſe poteſt, niſi hoc nomen mentiatur: Falſum tamen eſt, quod ſibi ipſi explicandæ, atque ad plenè dirigendam hominis probi & ſapientis vitam, Scriptura haud ſufficiat, ac demúm ad tribunal legis naturæ tanquam ſupremi judicis, atque authentici interpretis rapi debeat. Nequaquam id probant exempla a COLLINO adducta. Officia, quæ in illis continentur, corrumpi & enervari potius ſolent, quam illuſtrari, quoties illorum interpretatio aliunde, quam ex ipſa Scriptura, depromitur. (g) Eſtque quam

qua planiſſime ſufficere. Sc. ex immenſa copia doctrinarum opinionumque apud illos Veteres occurrentium ea tantum ſollicite & affectatiſſime ſeligit teſtimonia, in quibus ridetur religio, negatur vel in dubitationem adducitur animæ immortalitas, ex mundo ipſo DEus procuditur. Vid. *allegata* ex Catone, Cicerone, Lucano, Manilio &c. Aut hæc vera eſſe credit, aut non credit. Si non credit, cur laudat? Si credit, Atheus eſt, & hoſtis religionis Chriſtianæ, qualicunque etiam velamine ſuam impietatem abſcondat.

(g) Facile divinari poteſt, imo etiam ex allegatis ab Autore exemplis intelligi, quænam præ-

quam maxime veriſimile, COLLINUM ejúſque ſimiles, hac potiſſimum de cauſa, a Scriptura ad legem naturæ provocare, ut, dum

---

cepta moralia religionis Chriſtianæ peregrino hujusmodi interprete ipſi videantur indigere? Sed fallitur. Quamvis enim ipſa etiam recta ratio oſtendat, ex rei ipſius natúra & indole, hic ibi aliquid limitationis addendúm eſſe: certum tamen eſt, hæc ſapientiæ dictata in ipſo quoque ſacrarúm literarum ſinu reperiri, & vel exempla Sanctorum, vel parallela teſtimonia, vel totam veritatis revelatæ analogiam ſúfficientiſſime demonſtrare, quo ſenſú hujusmodi præcepta in ſpeciem nimis ſevera intelligi debeant. Ceterum impius merito ac inſipiens habetur, qui vel in theoria, vel in praxi, ad dirigendos bonos ſanctosque mores ratione magis naturali (maxime qualis etiam eſſe ſolet apud prúdentes ſecundum carnem) nititur útitúrque, quam S. Scripturarum manuductione, ſive doctus ille ſit, ſive idiota & indoctús: ut vere indignum hujusmodi hominem cenſeam, cum quo aliter quam epanorthotice atque elenctice ſeriús loquatur Theologus. Quam excellens, imo quam incomparabilis vitæ non modo honeſtæ, ſed ſpiritualis maxime, atque ad æternitatem compoſitæ norma ſit Verbum Dei revelatum, in *Scholis* noſtris in *Theologiam Moralem privatis* his circiter verbis nuper docuimus. Homo ſpiritualis & Chriſtianus nobiliſſimis ad húnc ſtatum rite obſervandúm facúltatibus a DEO præditús eſt. Opus igitur norma

dum ſeveritatem ac majeſtatem Chriſtianæ Ethices ferre nequeunt, molliorem Caſuiſticam, ſibique commodiorem, in lege na-
turæ,

& regula ejus generis habet, quæ pariter ſublimi nobilique modo his facultatibus dirigendis par ſit. Supponitur ad exercendam vitam ſpiritualem homo cum DEO gratioſe fœderatus. Illius igitur norma debet eſſe teſtis & tabula hujus fœderis. Supponitur Redemtus Domini: hinc norma illius debet eſſe teſtimonium Teſtatoris ſ. Redemtoris ſanguine confirmatum, non tantum quoad legata & beneficia, ſed etiam quoad obligationes & officia. Supponitur homo vivens in plenitudine gratiæ & N. T. Illius ergo normam oportet eſſe dictatam a Spiritu gratiæ & ſecundum tenorem N. F. ſummi ordinis, & ſanctiſſimorum quorumvis ſtudium & amorem inſpirantem. Supponitur in hoc Subjecto Spiritus ſpontaneus & filialis. Norma igitur ipſi ſufficit ſuaviter alliciens & commendans, non vero hactenus opus ipſi eſt norma dictatoria, rigida, omnesque minutias ſpecialiter imperante & præſcribente. Sermo hic eſt de vita ſpirituali. Quare neceſſaria eſt norma viva & efficax, non ſimpliciter litera mortua, quantumvis pulchra. Agitur de eo ſtatu, in quo periculoſum eſt fallere & falli. Opus ergo eſt norma & regula infallibili. Nihil hic magis nocet, quam mixtura lucis & tenebrarum. Norma igitur debet eſſe pura, triticum ſine palea, lux ſine tenebris. Si cogere Chriſtianum volunt homines leves &

turæ, non verâ illâ, quæ a DEO inſcripta eſt hominum conſcientiæ, & legitime intellecta,

---

inſtabiles ad mores ſuos horarios & mutabiles, is normam habet ſibi ſemper ſimilem, conſtantem, æqualem, &, ſi conſpurcetur aliunde, ex ſe ipſa ſe reſtituentem, ſuisque ſe, quod recte hic dici poteſt, undis abluentem. In curſu ſpiritualis vitæ eſt lucta cum profunditatibus Satanæ, & infinitis cordis humani ambagibus: Alia igitur norma hic non ſufficit, niſi cum qua conjunctus eſt Spiritus omniſcius omnes alios Spiritus permeans. Homines, ut ad vitam ſpiritualem adducantur, & in ea conſerventur & confirmentur, tolerantia ſapientiſſima indigent: Ea igitur norma indigent, quæ quantumcunque ſevera ſit, veniam tamen non excludat, tolerantiam cum permiſſione morali non confundat, & cum juſtitia miſericordiam, cum miſericordia juſtitiam ſapientiſſime conjungat. *S*ummi ordinis promiſſionibus & comminationibus munita eſſe debet vita ſpiritualis & Chriſtiana. Ea igitur opus habet norma, quæ utrasque in ſe continet, promiſſiones pro novo, comminationes pro veteri homine. Denique cum hic de praxi rei ſanctiſſimæ difficillimæque agatur, norma debet eſſe experimentalis, plena præceptis, monitis, teſtimoniis experimentalibus, cujusque veritas optime ex ipſa illuſtretur atque confirmetur experientia & praxi. Talem vitæ ſpiritualis & morum Chriſtianorum normam nullibi præterquam in Verbo Dei revelato & per S. Spiritum animato deprehendimus.

lectâ, ſed ſpuriâ ſæpe & imaginariâ, atque ad inſtar naſi cerei ad cujuſque cupiditatem & arbitrium inflexâ, ac flexibili, inveniant. (h) Cui hoc experimentum noſtri temporis manifeſtum non eſt, is nihil videt, ſeque ſuſpectum reddit ſuo merito ſapientibus & religioſis hominibus, qui hic rationem ſui judicii facile reddere poſſunt. Quod vero idem COLLINUS in ſpecie pronuntiat, nihil nobis religionem Chriſtianam de amicitiæ virtute præcipere, quam tamen Epicuri Philoſophia pulcherrime doceat, id longe falſiſſimum eſt. Sc. Epicurus plenius atque perfectius docuit moralem diſciplinam, quam Chriſtus ipſe, ejuſque Apoſtoli, qui tamen de charitate mutua, ejusque fontibus, requiſitis, officiis univerſalibus & particularibus, ſignis & fructibus, tam divina & incomparabilia prorſus tradiderunt præcepta, quibus ipſa non poteſt non comprehendi amicitia, quæ nihil aliud eſt, quam mutua, amantium & amatorum, inter ſe conſenſio & benevolentia, & mutui amoris ultro citroque honeſta fruitio. Oculos ſibi eruit, vel ſponte ſua mentitur, qui effari audet, de his in S. literis nullam ex-

tare

(h) V. *Introd. in Memor. H.E.T. I. p. 235. ſeq.*

tare mentionem, (i) nullaque nos Chriſtianæ religionis lege ad id, quod amicitiæ alias

(i) Nervus parodoxæ hujus ſententiæ apud COLLINUM hoc loco a nobis addendus eſt. *En effet, inquit, l'Eveque Tailor obſerve fort bien dans le traitè, qu' il en a fait, que le terme d' amitiè, dans le ſens, qu' on le prend ordinairement, ne ſe trouve ſeulement pas dans tout le N. T. Ceci vous ſurprendra, dit ce Prelat. Mais liſez le N. T. & ſuſpendez vôtre etonnement jusqu' a ce, que vous l' ajez lu'. Il eſt vrai, qu' il y eſt fait mention d' amitiè avec le monde, & elle y eſt traitèe d' inimitiè avec Dieu: mais le mot ne s' y trouve nulle autre part, ni en ce ſens, ni en un autre. On y parle ſouvent d' amis: mais ſous ce nom on entend nos connoiſſances, nos parens, les alliez de nôtre famille, ou ceux, qui ont du raport a notre fortune, ou a nôtre Secte. Il y eſt touchè quelque choſe de Societè, ou d' honnetetè, ce qui ne marque qu' une expreſſion de tendreſſe & de civilitè, un engagement de bienfait, ou de devoir, de ſervice ou de ſoumiſſion. De ſorte, que je crois avoir raiſon d' aſſurer, que le mot d' ami n' a point d' autre uſage dans les Evangiles, les Epitres, les Actes des Apoſtres, que pour ſignifier ces differentes relations. l. c. p. 192. ſeq.* Sed inaniſſima eſt hæc ſubtilitas. Primum Scripturæ S. N. T. ſupponunt excellentem doctrinam de amicitia, etiam ſpecialiſſime dicta, quæ jam in V. T. tabulis legitur, & pulcherrimis hinc inde exemplis confirmatur. Cumque præceptum amoris in N. T. eo gradu inculcatum fuerit atque illuſtratum, ut

as nomine venire ſolet, ſervandum obligari,

propterea novi præcepti titulum cum ἐμφάσει ibidem obtineat, certiſſimum eſt, amicitiæ quoque leges & vincula ſub amoris nomine arctiſſime fuiſſe adſtricta. Deinde in relationibus iſtis, quas locum habere in N. T. amicitiæ nomine agnoſcit, revera quoque comprehenditur, quicquid ad amicitiam ſpeciali ſenſu acceptam pertinet, ut abſurdum ſit hanc ab illis locis prorſus excludere. Quem habebit Chriſtianus amicum niſi Chriſtianum & ejusdem fidei conſortem? Nonne ſublimis amicitia indigitatur, quando tot millia fidelium neque ſanguine, neque ſubjectione, neque beneficiis aliâs maximam partem conjunctorum *unum cor* fuerunt, & *una anima? Act. IV. 32.* quando omnes erga ſe invicem re & nomine fuerunt *fratres & ſorores*, ipſamque etiam *animam* ſ. vitam *pro fratribus* jubentur *ponere 1. Joh. III. 16.?* Verum eſt, charitatis vocabulum frequentius in N. T. adhiberi, quam amicitiæ. Sed cum illud tam latum ſit, ut hanc quoque complectatur manifeſtiſſime, indigna ſane eſt cavillatio, quam in hac materia excercuit COLLINUS, maxime cum ea charitatis appellatione ac deſcriptione ſanctiſſima quam plurimas falſas & ſpurias amicitiæ ideas, quæ regnabant inter homines mundanos, atque in ipſo etiam virtutis exercitio carnales, e medio Sanctus ſuſtulerit Spiritus. Conf. HOORNBECK *Theol. Pract. T. II. L. X. C. II. de Amicitia p. 497.* & FROMMANNUS *c. Diſp. VI. 250.*

ri. Non autem miramur, COLLINUM talia docere, qui ſe aliis indiciis prodidit: illud autem vix capimus, quid hac obſervatione ſibi voluerit Epiſcopus TAYLORIUS, cujus propria allegat verba, & ex quo ea ſe didiciſſe ingenue profitetur; eandem enim mentem, eundemque cum Collino ſcopum ipſum præ ſe tuliſſe, nulla ſane ratione veriſimile eſt. Maluiſſemus autem in ipſo Autore integram verborum ſeriem legere, quod in præſentia non licuit. Aliis rem eandem verbis Scripturam propoſuiſſe, quam Autores ceteros, tantilla ſane res eſt, ut nihil porſus mali inde jure poſſit argui. Nec forte deſunt rationes valde probabiles, cur hoc quoque ſacri Scriptores fecerint.

§. V.

Ad abuſus Theologiæ naturalis maxime pertinere cenſemus, ſi, quicquid ea duce, ex viribus pure naturalibus, & extra omnem gratiam DEI a natura & ratione diſtinctam, cognoſcunt homines & faciunt, ad veram religionem, ipſamque ſalutem æternam impetrandam, ſtatuatur ſufficere. Applicari poteſt hæc ſententia, vel ad gentes extra Eccleſiam conſtitutas, vel ad eos homines, qui vivunt in Eccleſia, atque in media luce revelationis divinæ Eccleſiis Chriſtianis

con-

concreditæ. Si de gentibus extra Eccleſiam ſermo ſit, fateor ſane lubens, me generalem illam quæſtionem de ſalute gentilium ex numero controverſiarum noſtrarum ſequeſtrandam, totamque rem iſtam DEO judici juſto & impartiali relinquendam putare. Obſcuriſſima & difficillima eſt hæc quæſtio, cujus deciſio a multis dependet præſuppoſitis, quæ nobis DEus diſtincte haud revelavit. Nec opus eſt, ut hoc judicium nobis vindicemus. Quantumcunque plauſibiliter diſputent Theologi e quibuſdam ſacræ Scripturæ teſtimoniis notiſſimis, ipſa tamen docet experientia, pleroſque homines ſic eſſe animatos, ut invincibile ſibi ſcandalum ex iſta, quam vocant, audacia damnandi maximam generis humani partem, propter defectum revelationis, quam nunquam acceperit, concipiant. Hoc quidem curare neceſſe non eſſet, ſi de doctrina plane neceſſaria hic ageretur: Sed cum illa ejus non ſit generis, quin imo facile ſeponi poſſit, tacere ſane nunc præſtat, cum id ſine ullius gravioris veritatis damno fieri poteſt, quam coram præoccupatis hominibus multa eloqui de rebus, quas nos accurate non ſcire haud ignorant, & cum manifeſto mali incremento, quod impugnamus

mus. Nobis ad minimum, ut præſenti inſtituto ſatisfaciamus, ſufficit docere atque evincere, quod longe ultra legitimum pretium atque efficaciam nativam naturalis Theologia provehatur, ſi per ejuſdem lumen ac vires ad veram religionem, ipſamque ſalutem æternam perveniri poſſe, aſſeratur. Id ut fiat in homine peccatore. ex ipſius rei natura plane ἀδύνατον eſt, niſi falſa ſint omnia, quæ Theologi noſtri hactenus ex verbo Dei ſe docere crediderunt: homines univerſos in peccatis natura eſſe mortuos, cœcos, a Dei vera cognitione & cultu averſos, eſſe ineptos ad regnum Dei, eſſe in poteſtate regni tenebrarum: ex tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex poteſtate Satanæ ad Deum, & quidem per divinam gratiæ ſupernaturalis efficaciam converti debere omnes eos, qui ſalutis a Chriſto Domino partæ velint eſſe participes. Sanctiſſimas has & vere Deo glorioſas veritates innumeri quidem nauſeant, vellicant, corrumpunt, impugnant. Abſit autem, ut eas deſeramus, aut in prædam cedamus patronis vel indiſcretis, vel malitioſis, Theologiæ naturalis ad gradum ipſi prorſus indebitum exaltatæ. Habent enim ſua fundamenta ſolida, quorum defenſio-

nem, hac quoque occaſione, cum voluptate in nos recipimus. Quidquid igitur ſtatuatur de ſalute gentilium, hoc ſaltem certum eſt, eos per ſolam naturæ & rationis viam ſalvari non potuiſſe. Id quod multo adhuc magis aſſerimus de quibusvis hominibus, qui intra Eccleſiam vivunt Chriſtianam, & revelationis divinæ gratiæque ſpecialis cum ea conjunctæ beneficium ut ſibi quoque deſtinatum oblatumque reputare debent. Præterquam enim, quod iiſdem rationibus eorum deſtruitur opinio, qui forte exiſtimant, ſe ad id, ut ſalvari poſſint, ſola religione & honeſtate naturali opus habere: damnabilis certe eſt eorum atque inexcuſabilis ingratitudo, qui tam ſublime beneficium, & medicinam adeo ſalutarem, quæ in verbo revelato ipſis tam liberaliter offeruntur, ignaviter negligunt, & petulanter rejiciunt: nimis quoque clara eſt ac diſerta in Scripturis ſacris damnationis in hoc hominum genus ſententia, (a) quam ut temere eludi poſſit, ſive illi id

(a) *Vid. Marc. XVI. 16. Ioh III. 36. XVII. 3. Act. IV. 12. Rom. I. 16. 1 Cor. XVI. 22. 2. Theſſ. 1. 8. Heb. II. 3. 1. Joh. V. 11. 12. 20.* &c. Si vel probatum eſſet, quod tamen admitti temere non debet, hæc aliaque loca ſimilia ad eos tan-

id credant, ſ. non credant; ejus enim anathematis vis, non ab eorum adſenſu, ſed ab

---

tum pertinere, quibus Verbum Evangelii in ſinu prædicatur Eccleſiæ, liquido tamen pateret tanquam extra omnem controverſiam poſitum, neminem, cui hæc revelatio Jeſu Chriſti in Verbo Dei obtigit, abſque hujus cognitione & fide ſalvari poſſe. Et quis dubitet, hæc anathemata ſimul in cauſa eſſe, cur Naturaliſtæ ſ. Deiſtæ jurati hoſtes ſint Scripturæ, utpote quam abſque vibrata agnitaque Dei in ſeipſos ſententia agnoſcere non poſſunt? Sed num ideo certa rataque non erit propter ipſorum incredulitatem? Si tanta jactura fuit gentibus extra Eccleſiam, fuiſſe *ſine Chriſto. Epheſ. II. 12.* quanto major erit culpa, damnumque irreparabile, apud apoſtatas a religione Chriſtiana ipſis etiam populis Chriſtiani nominis domeſticos, dum ſponte ſua & per malitiam perſonalem ac propriam *ſine Chriſto* eſſe eligunt? Imo vero, quantum hoc & quam pudendum eſt probrum, id paſſim publice inter Chriſtianos licere! Quam in rem rectiſſime de Anglia ſua ſcripſit Sherlocus: *C' eſt le ſujet d' un ſanglant reproche pour un peuple Chretien de ſoufrir, que le Deiſme ſoit publiquement profeſſè, & que ceux, qui en font profeſſion, ſoient regardes comme eſprits Philoſophiques & genies ſuperieurs. Dieu veuille, que nôtre chere patrie n' en ſente point les effets dans l' etat, & dans l' Egliſe. Sans autoritè ſacree de la religion aucun gouvernement ne ſauroit longtems ſubſiſter, & comme cela ne paroit que trop*

E 2

ab autoritate juſti judicis, qui jus & poteſtatem in illos habet, unice dependet.

§. VI.

Porro in perniciofum & indiſcretum Theologiæ naturalis abuſum facile converti poteſt immoderata ſapientum gentilium deprædicatio, ſive laudes iſtæ in doctrinam ſive in vitam & mores eorum dirigantur. Nihil detrahimus excellentibus præceptis & moralibus virtutibus, quæ in monumentis Antiquitatis ſæpe deprehendimus, dummodo non obſtent graves & manifeſtæ rationes earum veritati & ſoliditati. Nollem e. g. magnopere laudari ſapientes gentilium, de quibus non conſtat, an Deum crediderint? Sapientes, quos certum eſt, totam ſuperſtitionem & idololatriam gentiliſmi cum ſapientia & probitate ſua copulaſſe; ſapientes, quibus non qualeſcunque morum defectus, ſed craſſa quandoque vitia objiciuntur, non obſtantibus reliquis elo-

par la conduite des Deiſtes, peu s' en faut, que detruire la religion revelee ne ſoit rejetter toute religion. C' eſt en vain, que nous declamerons contre la corruption, & qu' on travaillera a la refomation moeurs, tant que ces ſortes des perſonnes empoiſonneront les auguſtes ſources de la vertu & de la religion. V. les Sermons de Sherlock T. I. p. 394. ſeq. Conf. T. II. p. 313. ſeq.

elogiis ſatis ſplendidis; ſapientes denique, qui in ipſo quoque ſtatu ſuæ confeſſionis, ad finem usque vitæ, & inter ipſos etiam amicos, idololatrica vocabula adhibere perrexerunt. Enimvero, quam pauci nominari poterunt ex omni iſto ordine, de quibus vel omnia iſta, vel eorum ſaltem aliqua, nec certe minima, pronuntiare non oporteat, ſi ulla Hiſtoriæ fides eſt? Specialiora ſi quis requirat exempla, dari certe ipſi poſſunt, & liquida, & illuſtrandis, quæ diximus, quam maxime idonea. Notum eſt, quantos plauſus Sinenſis Confucii ſapientia invenerit. Nihil dicimus de ſuſpectis canalibus, per quos ad nos manavit. (a) Supponamus, quod non omnes credunt

(a) CONFUCII ſcripta ad nos ex China attulerunt, atque in Latinum converſa ſermonem in lucem publicam ediderunt PP. Societatis. Horum vero fidem variis de cauſis in dubium fuiſſe vocatam, diſſimulandum utique non eſt. Negari non poteſt, interfuiſſe Societatis cauſa, ut ſplendidam Sinenſis ſapientiæ formam hi libri exhiberent. Notum eſt, quam ſpecioſe ipſis exprobatus fuerit ſinceritatis defectus in repræſentando Confucii cultu. Publice & per ſpecimina Editoribus objectum eſt, quam liberaliter & ultra veritatem hæc vel illa verba Sinica interpretati ſint, ut

dunt, in traditione ipſa nihil poſſe deſiderari. Admiremur, quæ is gentis celeberrimæ Doctor

mollius ſonarent. Maxime vero ſuſpicionem moverunt piæ fraudes non ab ipſo modo *Continuatore Annalium Societatis*, JOSEPHO JOUVENCIO, in Hiſtoria Sinica adhibitæ, ſed etiam adſcripta Cenſorum nomina ad eos illius Hiſtoriæ libros, quos non viderunt, retenti inſuper errores a Cenſoribus in iis, quæ viderunt, emendati. Multi inde commoti ſunt, quod JOH. AYMONIUS, Scriptor etiam aliunde celebris & in hoc anecdotorum genere minime comtemnendus, autographum Confutianum clam ſurreptum atque a ſe perluſtratum cum volumine edito in multis haud conſonare publice declaraverit, novamque in ejus rei fidem editionem promiſerit; de cujus quidem pollicitatione dubia manſit ſententia, quoniam ſpolium ſuum reddere coactus eſt, antequam fidem liberare potuit. Denique nimis videtur ſcrupuloſum hujuſmodi aliquid de particularibus quibuſdam Ieſuitis ut probabile factum nolle credere, poſtquam longe pejora & creditu difficiliora de iis magno numero admittere ipſos etiam prudentes & ingenuos coëgit explorata veritas. Non produxiſſem has rationes, ſi eas plane contemnerem. Quodſi vere in piis, quas citavi, fraudibus deprehenſi ſunt *Editores* CONFUTII, & PP. Societatis, vitio ſane verti poteſt nemini, ſi minus perfecta in eorum fidem ſuperſtes maneat credulitas. *De cetero* nobis nihil ſeritur, metiturque, in his factis vel

Doctor primarius præcepta dedit huic vitæ, & ſocietatibus in ea varii generis, popularia non minus, atque egregia, imo, quæ is vitæ potius dedit, quam ſcientiæ. (b) Nullus tamen in illius ejusque Sectatorum Philoſophia

---

affirmandis, vel negandis. Et poteſt per nos genuinus eſſe Confutius a Societate editus, quantum conſtat, ſi pauciſſima non textus, ſed verſionis, exceperis vitia, de qua tamen eos judicare oportet, qui Sinicam linguam & gentis ejus arcana rite intelligunt.

(b) Abſque ſtudio partium de hac re judicandum eſt. Si vera hæc ſit doctrina moralis CONFUTII, quam ipſi conſtanti ſatis traditione attribuunt, negari non debet, multa præclara & egregia in illius præceptis contineri, magis adhuc ad praxin vitæ honeſtæ & ſocialis comparata, quam multa alia Veterum & Novorum Philoſophorum dictata, quæ tamen nonnunquam altiſſimis laudibus evehuntur. Cur in hac parte judicii ſtudium partium debeat regnare? non ſane perſpicio. Simplicitas pragmatica, quæ in illis Sinenſium doctrinis moralibus ceteris paribus elucet, defectusque ſublimitatis Syſtematicæ nihil magnopere facit ad eam æſtimationem, de qua hic agitur. Imo magna adhuc quæſtio eſt, quænam methodus ad exercitationem vitæ ſit altera utilior, formandisque bonis moribus accommedatior? Sed nec ullam ex parte altera cauſam video, per quam neceſſarium ſit vel decorum hanc partem ſapientiæ Sinicæ tam in-

loſophia Deus apparet, niſi per piam fraudem & verſionem interpretum, quorum intererat ſic παραφράζειν verba Confucii, & alias quoque formulas gentis, (b) de qua impar-

---

vidioſe extollere, quod PP. Societatis, ex quibus plerique hic ſapiunt, feciſſe mirum non eſt: Sed quod ex Proteſtantibus eruditis Ill. maxime LEIBNIZIUS, & poſt ipſum nonnulli alii Viri Doctiſſimi, tam longe ſuos provexerint Panegyricos, id non paucis admirationem, nonnullis etiam indignationem movit ingentem. Parum abeſt, quin characteriſtica nota partium evaſerit vel Confucii encomium, vel laudum Confutianarum impugnatio. Plurima utique hic moneri ſolent de annalium Sinicorum antiquiſſimorum incertitudine, de inſufficientia rationum moventium in pleriſque iſtis præceptis moralibus, de horum una ad vitam præſentem & animalem conformatione, de praxi illorum omnium traditionis & autoritatis magis robore, quam virtutis ipſius recte intellectæ amore ſuſtentata, de Politicis potius, quam moralibus, reſpectibus, propter quos tota illa ſcena inſtruitur & continuatur: omnium vero maxime, quod in omni eo virtutum & præceptorum Syſtemate nihil divini eſt, uti in ſeqq. monebitur.

(c) Eſt hæc quæſtio diſcuſſione & examine ſapientum nequaquam indigna. Ut id lectori eo ſit facilius, producemus rationes in utramque partem occurrentes, quibus ſubductis ad verum ſolidumque

impartiales & peritiſſimi Viri fatentur, eam ne

judicium quam proxime poſſit accedere. Qui ſtatuunt, non omni Dei rerumque divinarum notitia ſapientiam carere Sinicam, ante omnia diſtinguunt ætates gentis Sinicæ, nihil dubitantes, quod antiquiores Sinæ recentioribus omnino hac parte præſtiterint. Deinde monent, verum quidem eſſe, quod Sinæ nonniſi Cœli nomine utantur, cum de ſummo cultus objecto loquuntur, ſed eos non materiale cœlum, verum intellectuale, h. e. Deum cœli Dominum & Rectorem intelligere. Sic vocabulum iſtud ſenſumque ſuæ gentis inter nuperas Miſſionariorum controverſias ipſum Imperatorem Camhium publice ac avthentice interpretatum eſſe. Vix intelligi poſſe, quomodo cultus, preces, ſacrificia, confeſſio præmiorum & pœnarum ejus, quod nominant, Cœli, Spirituum nomina & invocationes, aliaque ſimilia locum habere queant apud Sinenſes, ſi nullum plane Deum ſciunt, aut credunt. Etiam ex noviſſimis relationibus de moderno Sinarum Imperatore, Chriſtianorum alias hoſte & perſecutore, conſtare, quod in publicis ac ſolennibus edictis his inter alia verbis uſus ſit: *eſſe inter Tien, h. e. Cœlum & hominem nexum peccatorum & pœnarum, precum & beneficiorum. Faciendum igitur eſſe officium: fugiendam culpam: ipſos enim a Tien propter peccata puniri &c.* V. *les Mem. de Trevoux ad Annno 1728. m. Maj. Art. LII. p. 885. ſeq.* Adducimus etiam judicium JOH. CLERICI, qui poſt allatum ex Jeſ. MAFFÆI Hiſtoria

ne nomen quidem DEI proprium in ſua lingua

Indica de Atheiſmo Mandarinorum teſtimonio hanc deinceps ſubjecit ἐπίκρισιν: *Je doute neanmoins de l' Atheiſme des Mandarins. Au moins lex loix de l' Etat ſuppoſent une religion, puisqu' elles ordonnent des Sacrifices & des prieres &c. Mais le Ciel, dit-on, eſt materiel, & ils ne reconnoiſſent point d' eſprit. Je ne ſai, s' ils ont la diſtinction de la matiere & de l' eſprit, comme nous l' avons aujourdhui &c. Jusqu' a ce, que nos ayons de plus grands eclairciſſimens la-deſſus, je ne voi pas, comment on peut ſe determiner ſur cete matiere. Biblioth. Chois. T. XXV. P. II. Art. III. p. 366. ſeqq.* Audiamus nunc ex altera parte rationes non minus ſpecioſas, quas in compendio dabimus. Summa huc redit: Mirum eſſe, cum omnes vicinæ gentes propria & characteriſtica *Dei* nomina habeant & uſurpent, quod apud ſolos Sinas æquivocum cœli nomen in uſú ſit, ſi DEum vere credunt. Ex cultu cœli, ex precibus, ſacrificiis &c. nihil poſſe probari, omnibus enim ejusmodi formulis & actibus uti aqud Sinas ejusmodi Scriptores & homines, de quorum Atheiſmo ne PP. quidem Societatis dubitent. Nec aliter ſenſiſſe primos ex eadem Societate Miſſionarios, ad minimum de Literatis Sinenſibus ſui temporis. Nec de Confutio ejuſque ætate dubitandum eſſe. Compoſuiſſe Confucium partem libri ye King, qua parte ſic atheiſmum inculcet, ut nihil magis, eaque de cauſa Sinas Atheos eſſe, quod ei doctrinæ Confucii medullitus adhæreant, aliis in libris,

lingua poſſidere. An ergo nihil nocet ἄθεον eſſe

---

quos probavit Coafucius, vel in quibus ejus ſententiæ & verba referuntur, nihil præter materiam agnoſci & vim illi inſitam, quæ tametſi cognitione careat & omni ſenſu, primum ſummumque rerum omnium principium apud Sinas ſit, ultra quod procedi non poſſit. Expreſſe ſcribi in nupera *Collectione Stœckliniana P. II. p. 9.* quod FERDINANDUS VERBIESTIUS Jeſuita Imperatori Camhio perſuaſerit, ut Deum univerſi conditorem credere inciperet. Nulla in univerſum motiva a Deo aut rebus divinis in ſcriptis peti moralibus Sinenſium. Legi in *Hiſtorica Relatione de ortu & progreſſu fidei Orthodoxæ in Regno Sinenſi* occaſione ſepulturæ Sinicæ, digniſſimum admiratione eſſe, quod in tanta nationum diverſitate *omnes tamen iisdem legibus, iisdemque conſuetudinibus gubernentur pacatiſſime, nullo Dei amore, nulla ſpe aut metû futurorum poſt vitam eventûum, ſolo decore facti & honeſtatis ratione ducti. p. 312. ſeq.* Sinas poſt Confucium eo avidius Syſtema peregrinum Sectæ, quam vocant, Fœnæ recepiſſe, quod ſe ultra terrena & civilia ad religionem uſque extuliſſe videretur. Cum non modo vulgus Sinarum, ſed ipſe etiam Imperator, ac ſub eo Magnates & Sapientes univerſi, partim ex more regni & præceptis Majorum retineant cultum cœli, terræ, Spirituum vago ſenſu intellectorum, partim ceteris quoque cultibus in civitatem receptis, & ſine controverſia idololatricis ex ratione Status & conſuetudine ſe accom-

eſſe ἐν τῷ κόσμῳ? (d) Quis crediderit, cognitionem primariæ veritatis de ſe ipſo Deum his fuiſſe negaturum, eosque ad hanc præ ceteris amplectendam fore ineptos, ſi donum

modare ſoleant, non quidem mirum eſſe, ſi exinde aliquid de ſenſu Divinitatis nonnullis exinde ſubrepat: ſed intelligentiores tamen, ſupremi ordinis, horum deinceps nihil credere, atque eo magis intra animum propendere ad ridendas in ſinu omnes illas de Divinitate & Spiritibus doctrinas populares: id quod maxime Imperatorem Camhium feciſſe, in tota ſua agendi ratione Politicum, gravia documenta prætendunt. Plura jam non addimus.

(d) Alluditur his verbis ad phraſin Apoſtolicam, quam is de ſtatu gentium extra Evangelium Chriſti uſurpavit, *Epheſ. II. 12.* dixitque inter alia, ethnicos eſſe ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ. Non quidem neſcio, hæc verba ampliorem ſenſum habere, neque eo ſolum ſpectare, ut theoreticam deſignent exiſtentiæ divinæ abnegationem, qualis certe omni ſenſu quibuscunque gentilibus ſive hominibus extra Eccleſiam popûlûmque Dei conſtitûtis attribui nequit. Movit quoque hoc dûbiûm GUIL. SHERLOKUS in *T. II. Serm. Sacrorum p. 309. ſeq.* cui nec ea placuit interpretum ſententia, atheos ſc. gentiles appellari, eo quod inter tot falſos Deos verum non colerent, neque enim hoc ſenſu voc. ἄθεος in ſacris literis ullibi occurrere. Mavult igitur Vir doctiſſi-

nûm ſapientiæ veræque virtûtis in ipſis ex- titiſſet? Non ſúpponendum, ſed probandum eſt, quod DEI cognitio altior tantûm virtutis gradus ſit apud hos homines, quem non attingunt, non aûtem fûndamentum primum ac planè neceſſarium eſſe debeat. Imo non poteſt non credi, haûd absque ingenti & ſûbſtantiali vitio Sinas illos ſapientes DEúm non agnoſcere, quem mille alii, fortè in innumeris aliis ſapientiæ hûmanæ &

mus aſſerere, ἄθεον hic eſſe non habere Deum fœderatum & gratioſum. Quamvis autem opponi poſſit huic expoſitioni, jam in præcedentibus verbis id expreſſiſſe Apoſtolum, dum nominavit ξένȣς τῶν Διαθήκων τῆς ἐπαγγελίας, atque adeo commodè credi poſſit, aliud quid & diſtinctûm per atheûm eſſe in mûndo ſûbinnui: quamvis porrò dici poſſit, mûltos ad minimûm theoreticos inter gentiles fuiſſe atheos, nec minus, veriſſimo ſenſu atheos haberi poſſe, qui verum Deum non colunt, etiamſi falſos coluerint; nolumus tamen hac quidem de re moroſe diſputare. Certe ſalva eſt conſequentia, ſi illi etiam, qui Deum agnoſcunt, nec tamen cum eo ſunt fœderati, infelices ſunt & miſeri: multo adhuc magis eos a verâ virtûte alienos eſſe, qui ne quidem ûllum agnoverunt Deúm, nedum illum fœdere & gratia ſibi conjunctum habuere. Utroquè ſane ſenſu ſtringere poſſumus argumentum noſtrum, quod in textu adhibuimus.

& civilis præceptis ipſis longe inferiores, magnô conſenſû agnoverunt. Iidem autem Scriptores, qui confidenter tanquam certum referunt, quod modo diximus, non minus audacter docent: Sinas literatos *Cœlo, Terræ, Soli, Lunæ, montibus, aquis &c. cultum, & ſacrificia præſtare, atque in univerſum apud Sinas incredibilem eſſe ſimulacrorum ſ. idolorum multitudinem, non in fanis ſolum, ſed privatis etiam in ædibus fere ſingulis: Ipſum imperatorem Camhy, nuper defunctum, ut Atheiſmi, ſic idololatriæ principem fuiſſe, ac præter ſectam literariam, quam ex regni legibus profitetur, quæque, ipſo ſuis in operibus teſte, atheiſmi & idololatriæ plena eſt, idola ſectarum habuiſſe innumera ſuo in palatio. Sinarumque ſuperſtitioni Tartarorum idololatriam adjunxiſſe, vix ullum in locum ingredi ſolitum, quin fana Bonziorum ſtatim adierit.* V. de his omnibus *Aut. Obſervat. in L. XIX. T. II. P. V. Hiſt. Societ. Jeſu* a P. JOSEPHO JOUVENCIO *editæ*, per tot. Et quis neſcit, per omnes ætates gentiliſmi idololatrici, ipſos etiam ſapientes gentilium, quamvis de ejus vanitate interius perſuaſiſſimos, ſive metu pœnæ, ſive ex privilegio neceſſarii & ſapientis condeſcenſus, ſacris idololatricis utplurimum ſe accommodaſſe, & quidem propria contradicente conſcientia? Enimvero idololatria hujusmodi peccatum & vitium eſt, quod inter ſumma & maxima eſt in oculis divinis, &

cum

cum vera virtute & ſapientia minime poteſt conſiſtere. Ipſe Socrates, in ſtatu ſuæ confeſſionis noviſſimæ, & moriens, ac præterea inter amicos *συμφώνους*, Æſculapio gallum juſſit offerri. Scio, quomodo hæc facta excuſent admiratores talium Virorum, inter quos Cel. POIRETUS, *Sciendum eſt,* inquit, *bonos gentilium, etſi cum aliis viverent, loquerentur, agerent ſimilia, tamen intra ſe ipſos ſemper cogitaſſe Deum, in verbis factisque ſuis, ita ut, cum Jovem nominarent, Deum intelligerent, cum Neptunum, eundem Deum, quatenus maribus imperat, cum Minervam, Dei ſapientiam, cum Æſculapium, DEum ipſum, quatenus a morbis liberat, & vitæ reſtituit, atque ita de ceteris: eosdem etiam, cum ſacris adeſſent, vel ea facerent, verum DEum in mente habuiſſe. Atque hoc pacto Socrates, morti vicinus, cum vellet amicis ſignificare, DEO agendas eſſe gratias, qui eum e morboſa & miſera hac vita in vitam veram reſtitueret, id illis Symbolico loquendi more, illi cum Pythagoricis familiari, his ſignificaſſe verbis: Æſculapio, DEO vitæ reſtitutori, gallum, cantionem laudis, ob tenebras noctis evaneſcentes, & diei lucem inſtantem, reddi debere ab illis, nedum triſtiores eſſe debeant propter ejus deceſſionem. Quisquis in Pythagoræ & ſuorum Symbolicis & allegoricis tantillum verſatus eſt, novitque a Socrate Deum verum fuiſſe agnitum, cui omnia bona tribuerit, ac ut ejus miniſter voluntati illius, quousque eam norat, morem geſſerit, de hoc ultimorum admirabilis Viri verborum ſenſu nequaquam poterit dubi-*

tare

tare, quanquam & crederet, ſuos diſcipulos forte & externo modo ſancta ejus mentis votum ſimul executos fuiſſe. (e) Sic ille Canc. JÆGERO factum iſtud

(e) Non eſt noſtrum hoc loco totam SOCRATIS hiſtoriam excutere. Credemus quoque, multa alia huic Philoſopho famigeratiſſimo imputari, quæ ipſum commiſiſſe, nequaquam probabile eſt; quorſum illa maxime pertinent, quæ ſalſe hujus Viri memoriæ objecit LUCIANUS. Putamus, fruſtra diſputari de famoſo Socratis, quem ille ſibi adſiſtere credidit, genio, & ſatius eſſe tacere, quam temere argutari per ſuſpectiſſimas conjecturas. Mirum quoque erat genus condeſcenſus, ſive *ironia realis*, uti CLERICUS *Bibl. Chois. T. XXII. Part. II. Art. V.* loquitur, ſi idem Socrates ad redarguendam ſui temporis pæderaſtiam, vel potius, ut ſe juventuti inſinuaret ipſi præcepta virtutis daturus, nobiles pueros ad ſe accivit, &, ſimulato amore, cum ipſis, licet innocenter, ita familiariter tamen converſatus eſt, ut aliis occaſionem peſſimarum præbuerit ſuſpicionum. His omnibus dimiſſis ultima certe Viri facta defendi nequeunt. Laudatus certe CLERICUS, Vir ſine controverſia in hoc literarum genere doctiſſimus, *cit. loco*, quo alias ipſe non ſine exceſſu favit memoriæ Socratis, expreſſe monet, verum non eſſe, quod unum tantum Deum iſto ſenſu crediderit, quamvis conſtet, eum de cetero vulgares ideas de Divinitate & Theologiam fabuloſam rejeciſſe. Unde eo minus certus eſt alter ille commentarius, quem noviſſimis

iſtud Socratis ipſi objicienti reſpondit. (f)

Socratis verbis a Cl. Viro ſubjectum eſſe in textu notavimus: & ſi eſſet, ad excuſandum tamen vel purgandum eorum vitium nequaquam ſufficeret. Rationes judicii noſtri jam ibidem indicavimus. Præcipua autem verba CLERICI, ad quæ viſum eſt hoc loco alludere, paucis adhuc ſubjungimus: *Socrate*, inquit, *pouſſoit encore l' ironie plus loin, & s' en ſervoit meme, s' il eſt permis de parler ainſi, dans ſes actions. Il y avoit alors a Athenes une debauche exceſſive, & ſur tout l' amour des garcons y etoit commun. Socrate, qui tachoit ſur tout de gagner les jeunes gens, voyoit auſſi de beaux garcons, comme Alcibiade, Charmide &c. &, ſi l' on en croit ſes diſciples, parloit ſouvent de l' amitié, qu' il avoit pour eux, comme s' il en avoit eté amoureux ſelon le langage commun de ce tems-là. Il ſemble, qui il en uſoit ainſi pour ne pas paroitre trop ſevere & trop rigide aux jeunes gens, ou aux autres, qui etoient infectez des vices du tems, & pour pouvoir etre admis dans leur compagnie, afin d' avoir occaſion de les ramener & de ces exces ... Anſi c' eſt en vain, que quelques Epicuriens, ennemis de la vertu, lui ont reproché une debauche, dont il a toujours eté tres-eloigné.* V. & ſeqq. *On prouve, que ce Philoſophe auſſi bien, que ſes diſciples, avoit cru', qu' il n' y avoit qu' un ſeul Dieu ſupreme, qui eſt une intelligence immaterielle, qui voit tout, & qui gouverne le monde, ſoit par elle meme, ſoit par d' autres Dieux inferieurs. Il donne a ce Dieu ſupreme le nom de Jupiter, & aux autres divi-*

(f) At quam lubrica & periculoſa hæc ſit apologia, facile oſtenditur. Ponamus hanc mentem fuiſſe Socrati ceteriſque ſapientioribus,

---

nitez inferieures les noms des autres Dieux des Payens, ſans croire neanmoins, ce que la fable en diſoit. Il ſervoit ces divinitez ſelon l' uſage des Atheniens, quoiqu' il n' en eut pas la meme idee, qu' eux, dans la penſée, que ces Dieux ne desaprouvoient pas ce culte. . . . Si l' on demande ce, que le vrai Dieu peut avoir jugé de la conduite de Socrate, on ne peut repondre autre choſe, ſi non, qu' il n' y a perſonne ſur la terre, qui le puiſſe ſavoir. . . . Ce n' eſt pas, qu' il crut, qu' il n' y a, qu' un Dieu, comme l' ont dit quelques anciens Peres: mais ce fut, parce qu' il rejettoit les idées vulgaires, qu' on avoit de la divinitè & la Theologie des fables. Addimus ſtudio ingenioſiſſimum *Autorem* nuperum *des Voyages de Cyrus*, cujus in addito *Diſcurſu Mythologico* hæc verba extant: *On dit vulgairement, que Socrate a eté Martyr de l' unité divine pour avoir refuſé ſon hommage aux Dieux de la Grece: mais c' eſt une erreur. Dans l' apologie, que Platon fait de ce Philoſophe, Socrate reconnoit des Dieux ſubalternes, & enſeigne, que les aſtres & le Soleil ſont animez par des intelligences, a qui il faut rendre un culte divin. Le meme Platon nous aprend, que Socrate ne fut point puni pour avoir nié, qu' il y eut des Dieux inferieurs, mais parce qu' il declamoit hautement contre les Poetes, qui attribuojent a ces divinités des Paſſions humaines & des crimes enormes p. 48. ſeq.*

(f) V. *Opp. Poſth. p. 599. ſeq.*

ribus, quam Vir Doctus illis aſſerit. Num ipſis ideo abſque crimine licuit Deum verum & unicum ab iis agnitum ſub idolorum nominibus colere, idololatras, quos ad unius Dei cognitionem revocare debûerant, peſſimo exemplo in Idolorum cultu confirmare, & perniciosam hypocriſin ad extremum usque halitum continuare? Non opinor. Deinde non qualiacunque fuerunt Sỹmbola, aut hieroglyphica nomina, quibus uſus eſt Socrates, ſed omnia fûere realiſſima, ipſúm etiam ſacrificium galli in honorem Æſculapii, ut ipſe fatetur Poiretus, a Socratis amicis re ipſâ oblatum. Hæc vera fuit Idololatria, cujus notiones ab ipſo Deo in Scripturis ejuſque frequentiſſimis contra idolorum cultûm orationibus nobis datas ſequi potius tenemur, quam arbitrarias ejus ideas pro hỹpotheſiûm privatarum exigentia concipere. (g) Si reſervationes hujuſ.

(g) Vid ex multis *Eſai. c. XLI. XLIV. XLV. XLVI.* & Conf. maxime *Cap. I. ep. ad Rom. v. 22. ſeqq.* Certe conſtat, omnium temporum idololatriam fuiſſe hieroglyphicam, fuiſſe proxime directam ad divinitates ſupremo DEO ſubordinatas, remote autem DEum ipſum non plane excluſiſſe, maxime apud Sapientiores. Et tamen Spiritus DEI illos omnes ut idololatras, & divinitates ipſorum,

hujuſmodi mentales & clandeſtinæ idololatricorum nominum ad verum Deum applicationes efficerent, quo minus externus idolorum cultus apud gentiles impius fuiſſet aut illicitus, pars certe ejus maxima excuſari ac defendi poſſet. Nos vero longe aliud Dei judicium per totam Scripturam deprehendimus. Ut analogos hujus hypotheſeos abuſus, qui magna inde proclivitate fluunt, in præſentia taceam. (h)

§. VII.

tanquam idola condemnavit. Si idem cum ceteris fecit, vel ſe facere ſimulavit Socrates, ab hoc Dei judicio abſolvi non poteſt.

(h) Hujusmodi conſectaria in promtu ſunt. Si licuiſſet Sapientibus inter gentiles, qui unum Deum agnoſcebant, hunc DEum colere ſub nominibus idololatricis, & per ſacra idololatrica: quanto magis ſibi putabunt licere, vel ſaltem excuſationem ſibi paratam eſſe exiſtimabunt, qui etiam inter Chriſtianos diram quandoque perſecutionem fugiunt, cum forte diſſimulationibus aut æquivocationibus, cum verbalibus, tum realibus vellent uti, correcta interius intentione, & per regimen verborum ſecundum ſenſum animi. Neque enim ulla partium, in quas ſciſſa eſt Eccleſia Chriſtiana, tam longe & periculoſe diſtat ab altera, quam vera religio ſeparata eſt ab idololatria ſ. cultu Deorum, quocunque hic ſenſu intelligatur.

§. VII.

Quis inſuper negare auſit; plagia Theologiæ naturalis ex revelata in hujus præjudicium non raro diſſimulata locum aliquem mereri? Semper probabile viſum eſt prudentioribus, magnam partem ſapientiæ gentilis traditioni revelationis divinæ acceptam eſſe ferendam, (a) quamvis

(a) Magnam, uti diximus, ſapientiæ gentilis partem traditioni revelationis divinæ acceptam eſſe ferendam, multæ ſane rationes perſuadent. Primo eo nos ducit omnium gentium ex una communique ſtirpe origo. Quis dubitet (neque enim altius rem neceſſe eſt repetere) poſteros Noachi, quantumvis tandem longe lateque diſperſos, doctrinas & veritates e ſancto ore & familia communis hujus ſui Parentis diutius retinuiſſe, ſciviſſe, & propagâſſe, quantumvis obſcuratas ſenſim ſenſimque atque corruptas? Secundo ipſa hiſtoria Biblica ſatis clare teſtatur, primas de Deo ejusque cultu veritates inter ipſas etiam gentes a familia ſancta Patriarcharum diverſas diu viguiſſe, multaque fluxiſſe ſecula, donec per varios gradus idololatria, maxime craſſior illa & fœdior, ad omnes populos pervaſit, ſummumque obtinuit in mundo faſtigium. Tertio ad hoc illuſtrandum conferri merentur labores Doctiſſimorum Virorum, qui operoſiſſima collatione inſtituta inter tabulas revelationis & monumenta gentium cum antiqua,

vis proculdubio modum excedant, ut ſupra SOCINI occaſione docuimus, qui omnia huic fonti tribuunt. Quod inter ipſos Chriſtianos Theologia naturalis tam egre-
giam

tum moderna luculenta ubique earum rerum veſtigia deprehenderunt, quæ non aliter quam per traditionem ex primitivis illis fontibus ad eas manare potuerunt. Non caruit quidem ſemper exceſſu hæc eorum opera, quem, ut notum eſt, HUETIO certatim exprobarunt eruditi, quod ubique in monumentis gentilium Moſen ſe putaret inveniſſe. Quorſum & conjecturas refero nuperi Scriptoris, lectu alias digniſſimi, P. LAFITEAU in libro, cui titulum dedit: *Moeurs des Sauvages*; in quo id procul dubio multis lectoribus nimium videbitur, quod pleraque Americanorum iſtorum populorum inſtituta, mores in quibusdam ſeveriſſimos, & conſuetudines nunc mere civiles & nationales prima ex religione Majorum principia ſumſiſſe exiſtimat. Sunt vero fundamenta hujus conjecturæ, quantum quidem ea nunc memoria teneo, non admodum valida. Porro abs re non eſſe cenſeo, quod noviſſime monuit *Nobiliſſ. Autor Diſcurſus Mythologici* ſuprà cit. *On croit ordinairement, (ſic ille) que toutes les traces, qu' on voit de la religion naturelle & relevée dans les Poëtes & les Philoſophes Payens, ſe doivent originairement a la lecture des liures de Moyſe. Mais il eſt impoſſible de repondre aux objections, que les Incredules font contre cette opinion. Les Juifs & leurs liures furent trop long-tems cachez dans un coin*

giam acceperit formam, id rationi per revelationem illuſtratæ adjutæque tribuendum

de la terre pour devenir la lumiere primitive des Nations. Il faut remonter plus haut jusques au deluge meme. Il eſt etonnant, que ceux, qui ſont perſuadez de l' avthenticitè des liures ſacrez, n' ajent pas profite de cette idée pour faire ſentir la veritè de l' hiſtoire Moſaique ſur l' origine du monde, le deluge univerſel, & le retabliſſement de la race humaine par Noë. l. c. p. 146. ſeqq. Quicquid vero ſit de exceſſibus particularibus, res ipſa, quam diximus, a Viris Doctis evicta eſſe cenſeri poteſt. Quarto, ſi hoc ſupponatur, eo facilius erit rationem reddere, cur Theologia populorum orientalium, quamvis in aliis longe inferiorum, hac parte ſuperaverit traditiones & præcepta Græcorum, Romanorum, aliorumque populorum, qui ab his ſuos mores & præcepta acceperunt. Sc. Oriens prima ſedes fuit traditionis illius primitivæ, quæ nonniſi jam magnopere obſcurata & corrupta ad Occidentem pervenit, multo adhuc magis deinceps per falſam Græcorum & Romanorum ſapientiam ac ſpurias ratiocinationes, quam per ſuperſtitionem & barbariem Orientis factum erat, a primis fontibus abducenda. Conf. interim ad illuſtrationem hujus articuli HUETIUS iu *Quæſtionibus Alnetanis*, PFANNERUS in *Syſtemate religionis gentilium purioris*, & ex recent. LA CROZE in libro *du Chriſtianiſme des Indes L. VI.* atque *Autor cit. Diſcurſus Mythologici* per totum.

dum eſſe, ſolida pariter argumenta vel mediocriter attendentibus perſuadent. Quisquis hoc beneficio recte utitur, illi nulla de tam ſapienti rationis & revelationis conjunctione moveri debet controverſia, neque is plagii, quod modo accuſavimus, reus eſt. Id vero minime ferendum eſſe exiſtimamus, cum prætextu tam perfecti Syſtematis ſapientiæ & Theologiæ naturalis evehuntur nimium rationis lumina, vires naturæ, profectus denique quaſi ſola ratiocinatione impetrati. Illis, qui hac mente ſunt, operæ pretium eſt revocare in memoriam, quam excelſum, quam efficax ſubſidium Theologiæ naturali divina attulerit revelatio, & quam pauca ſint in religione, ſi ſummam rei ſpectemus, quæ ratio ſibi relicta & monſtrare poſſit cœco ac præoccupato tot erroribus humano ingenio, & ipſo etiam opere præſtare. Certe, dum plurimorum Theologia medios inter Chriſtianos Philoſophica magis eſt, quam Chriſtiana, dum ſæpe vix per tranſennam inſpectis ſacris literis nihil ſciunt aut credunt de Deo, niſi quod vel propria qualicunque ratiocinatione aſſequuntur, vel per traditionem Philoſophicam acceperunt, & tamen addito vel manifeſto, vel occulto Scriptura-

pturarum contemtu, aut ſaltem inexcuſabili earum neglectu, nonniſi magnifica de hac Theologia ſua naturali crepant, & præſumunt, illorum utique ampullæ certis ſe produnt indiciis, & revera magnum inane ſunt; quidquid vero rei habent admixtum, in ultima analyſi ex plagio, h. e. ex veritatibus revelatis, inter cujus præconia publica & privata nati ſunt & educati, ſuam potius originem trahunt, quam ex illis fontibus, quibus omnem ejus rei gloriam adſcribunt. Sapientius facerent, ſi a rivulis ad fontes, a ratione ad fidem Chriſtianam, a natura ad gratiam, ab uſu rationis legitimo ad ſanctum & ſpiritualem uſum divinæ revelationis in ordine divinitus præſcripto rite procederent, & majus illud efficaciuſque Verbi divini lumen vel hoc nomine ardentiſſime amare & religioſiſſime colere diſcerent, quia, abſque eo ſi eſſet, omnis reliqua eorum ſapientia in pleriſque mutila, tenebricoſa, imputa & imperfecta foret, & uſus admodum exigui: de cujus rei veritate triſtis neminem ſapientem & phænomenis vitæ humanæ inſpiciendis attentum dubitare ſinit experientia. Conf. Doctiſs. Viri, SAM. WERENFELSII Diſſ. egregia

de præſtantia religionis revelatæ, *Opuſcul. p.* 75. *ſeqq.* (b)

§. VIII.

Etiam illud, non ipſius quidem Theologiæ naturalis, ſed hominum vitio evenit, ut

(b) Verba Doctiſſimi Viri inter alia hæc ſunt. *Præterea*, inquit, *videant, ne nimium rationi ſuæ tribuant Rationales noſtri. Dicunt, ſolo rationis ductu inveniri poſſe totam illam religionem, quæ in S. literis traditur, aut ſaltem, quod in ea præcipuum eſt. Nihil dictu facilius eſt illis, qui jam cognoſcunt religionem iſtam. Tunc illud dicendum fuiſſet, ſi per totam ætatem de hac religione nihil a quoquam audiviſſent. Nunc vero ſimiles mihi videntur iis, qui, poſtquam a Præceptoribus, quicquid ſciunt, didicerunt, videri tamen volunt* αὐτοδίδακτοι : *aut cum de præclaris inventis audiunt, putant, ſe hæc omnia, niſi jam inventa eſſent, ipſos fuiſſe inventuros. Quodſi cognoſcere velimus, quid poſſit ratio hominis in invenienda religione, non noſtram rationem conſulere debemus, quos verbum Dei in viam deduxit — ſed illorum, quibus hoc Verbum eſt ignotum. — Dicam verbo. Religio mere rationalis, qualis in mundo reperitur, eſt religio gentilium. Religio Deiſtarum eſt religio eorum, qui poſtquam ex ſacris literis omnia depromſerunt, quæ placent, dicunt, ſe ea ratiocinando inveniſſe. Sic igitur ipſa experientia nobis evidentiſſime commonſtrat, DEum, ſi ab hominibus glorificari velit, modum ſe glorificandi ipſum patefacere, non rationi humanæ inveniendum relinquere debere.* Vid. & reliqua.

ut in illius ſtudio varias de Deo ceteriſque objectis analogis ideas præforment, quæ revelatæ Theologiæ cum damno poſtea ingeruntur. Fieri poteſt, imo ſolet, ut primo de rebus iſtis plurimum ratiocinentur homines, ſuisque liberrime indulgeant cogitationibus, quaſi in patente campo verſantes: deinde vero, ubi in Scripturas incidunt, ipſiusque Dei de hiſce doctrinis verba & ſententias audiunt, pleni ideis jam aliunde hauſtis animo non amplius libero divina excipiant oracula, ſed ea ad notitias præconceptas, de quibus magnifice ſentiunt, inflectant atque accommodent. Non carent ſpecie meditationes hujuſmodi præviæ. Creditur, ipſam rei indolem ordinemque naturalem poſtulare, ut primas rerum ideas, ipſius quoque Dei, ex ratione hauriamus: revelatam Theologiam has præſupponere, non primum docere, ac præterea quam plurima rationi libera relinquere in illius foro inveſtiganda ac definienda, quæ ut curatius in priore diſcutiantur & explicentur, fines divinæ revelationis non exigant. Nec repugnabimus noſtra ex parte his obſervationibus recte intellectis & legitime applicatis. Id vero nemo facile negaverit, varios, eosque haud con-

tem-

temnendos, abuſus in hanc methodum ſolere irrepere. Vix quisquam ſapiens abſque tædio leget ingentia illa volumina, in quibus licentioſiſſimæ diſputationes de Deo, attributis divinis, aliisque doctrinis ex omnium ætatum Doctoribus & ratiocinatoribus extant collectæ, quæ non tam aptæ natæ ſunt ad voluptatem ex cogitationibus de Deo concipiendam, quam potius tædium & nauſeam ingenerant hominibus ſeriis. (a) Damus aliud exemplum. Si qui ex Theologia ſua naturali præſumſerint opinionem, id ad Dei perfectionem ſummam pertinere, quod voluntate abſoluta agat omnia, eaque nunquam ſuo eventu fruſtrari poſſit aut excidere, niſi quis ſtatuere velit, Deum a creatura dependere, aut non ſatis præſcientiæ, aut non ſatis potentiæ habere, aliaque id genus plura, illi in religionis quoque ſuæ Syſtema poſtmodum transferunt has ſuas hypotheſes, & ingentem illius maſ-

(a) Vid. e. g. volumina Scriptorum Theologiæ Scholaſticæ, imo ipſa etiam *Dogmata Theologica* PETAVII, in quibus diſputationes Veteres de hiſce Capitibus mirifica diligentia collegit. Certe horum quam plurima non ſine admiratione legi tam mature in doctrinam Chriſtianam irrepſiſſe, ac præterea magnam ſapientiæ Chriſtianorum effeciſſe partem.

maſſam, ut conſtat, per eas corrumpunt, præconcepta illa de Deo idea validiſſime obſtante, quo minus clariſſima Scriptura-rum ſacrarum de veritatibus contrariis teſtimonia eos amplius convincere nequeant. (b) Quis neſcit numeroſa illa gravamina, quæ contra illatas in Theologiam revelatam ex anticipatis in Philoſophia Carteſiana ideis hypotheſes a Viris eruditis propoſita ſunt? Nunquam a me impetrare potui, ut iſta probarem omnia. Imo deprehenſum eſt mature, nimis longe provectas fuiſſe quorundam Theologorum Syſtemati Carteſiano acerrime repugnantium cenſuras. Sed & illud firmum eſt atque oppido certum, poſtquam ſemel decretum erat ſapientiæ illius amatoribus, vera eſſe omnia, quæ

(b) Hic Reformatarum maxime Scholarum ſcopulus atque tentatio eſt. Si ibi vincerentur hæc principia de DEO philoſophica & anticipata, vix dubium eſt, quin teſtimonia Scripturæ tam clara & concatenata de gratia DEI univerſali & connexis longe faciliorem acceſſum ad eas eſſent habitura. Illis vero tanquam fundamentalibus præſtructis mirum non eſt, Viros etiam doctiſſimos ſe quaſi coactos aut neceſſitatos putare, ut hæc quoque Scripturæ loca eum in modum explicent ac inflectant, qui primis illis veritatibus nil noceat.

quæ illis placuit ratiocinando ſecundum iſtius fili ductum tanquam vera colligere, eos parum deinde curaſſe, quid Scripturæ ſacræ de illis articulis verba in ſenſu obvio & manifeſto ſecum ferrent, quin potius, quoties ipſis hæc objiciebantur, maluiſſe delabi ad varias contra Scripturam, vel, ut illi malunt, ſuper Scriptura exceptiones non optimi commatis ſemper longius progreſſuras ſucceſſu temporis; multa ſc. diſputando, & quidem manifeſto cum exceſſu, de ſermone Scripturæ populari atque ad erroneas vulgi opiniones accomodato, cùm contra ab eo tempore jura & prærogativæ ſapientiæ ac Theologiæ naturalis immenſum quantum & invidioſis plane formulis evectæ fuerint. (c) Quod ad noſtram attinet æta-

(c) Quousque CARTESII & ſectatorum illius anticipata & fundamentalia Philoſophemata ſapientiæ veræ, & maxime Theologicæ, profuerint aut nocuerint? ſeria & a ſtudio partium aliena inquiſitione non indignum eſt. Ad minimum negari non poteſt, eorum pleraque facili errore, & pro indole fomitis, in quem illæ ſcintillæ inciderunt, in peſſimum & pernicioſiſſimum abuſum reipſa degeneraſſe, in multis etiam corvos deluſiſſe hiantes. Indiſcretum & non ſatis prudentibus cautelis] cuſtoditum de univerſali dubitatione princi-

ætatem, ea certe ad amplificandum augendùmque hoc malùm, quam ad ſanandum tollendùmque multis de cauſis prioribus quibuscunque proclivior eſt, ut ex creſcente novorum Syſtematùm Philoſophiæ & Theologiæ natùralis nùmero, & mirifice mùltiplicatis in iisdem diverſiſſimis rerum eo pertinentiùm ideis atque hypotheſibùs clariſſime

pium, longe adhuc imprudentius & malitioſius poſtea ab innumeris exercitum, priori credulitate & ſimplicitate longe pejores fructus tulit. Philoſophiæ ab jurisdictione Theologiæ emancipatio, quam maximi uſus fore crediderunt, in præciſione dogmatica ſpeciem non plane nullam præ ſe tulit: in praxi vero deinceps a plurimis in immanem philoſophandi licentiam & contemtum argumentorum Theologicorum omnium, quibus ille coërceri poſſet ac deberet, converſa eſt. Videbantur multa non ſine ratione monere de dignitate & pretio rationis adverſus nimiam in rebus ſapientiæ cujuscunque hominum autoritatem. Sed re ipſa tamen apud homines feroces & ſuperbos fermento hujus principii nec bene intellecti, nec modeſte uſurpati, cum ipſe rationis uſus in præcipitia ac devia deductus eſt, tum juſta quoque & legitima autoritas poſtea magis magiſque eviluit, idque non ſine culpa iſtorum Doctorum, qui ipſi a laudabilibus & neceſſariis ejus doctrinæ regulis non raro longiſſime receſſerunt. Mirum quantum evehebantur, quod contra confuſiones Philoſophiæ Ariſtotelicæ &

riſſime poteſt intelligi. Vix ullum enim horum Syſtematum eſt, quod non veſtigia præformet Theologiæ revelatæ ſuosque in ea

---

Scholaſticæ corporis & Spiritus diſcrimen in præclara luce collocâſſent. Nec id prorſus vanum eſt. Sed ſi quis conſideraverit, quem hiatum deinceps imperfecta iſta & mutila doctrina inter corpus & animam effecerit, quas novas & intricatas de utriusque nexu & ordine diſputationes produxerit, ſucceſſu temporis adhuc magis augendas & exaſperandas, plurimum certe huic operæ pretio decedere, facile quivis intelligit. Quantam in peſtem decantatum illud Carteſianorum de Scriptura populariter & ſecundum erroneam vulgi opinionem frequentiſſime loquente aſſertum tandem evaſerit, non obſcurum eſt, & vel nuper utiliſſimo inſtituto a Viro Doctiſſimo, JOH. JAC. RAMBACHIO erudita hujus argumenti titulique Diſſertatione occupatum. Alia id genus exempla nunc diſſimulamus. Id paucis monemus, vitium primarium hujusmodi conatuum pleruınque non tam reſidere in opiniunculis & ſententiis particularibus, quæ in ſcenam ſolent produci, quam in indiſcreta & nimis generali per inanem curioſitatem & pruritum commotione atque excitatione materiæ peccantis, h. e. ingentis maſſæ variorum ingeniorum animorumque, non ſemper optimorum, quorum tamen erroribus & vitiis corrigendis atque in ordinem redigendis longe aliis, cum purioribus, tum validioribus remediis opus eſt, ad quorum notitiam

ea uſus & commoda dilaudare & commendare non ſoleat. (d) Ubi autem fallunt eorum promiſſiones, & loco veritatis neceſſariæ & ſalutaris varios errores, eosque non leves, in ſinum ſuum Theologia revelata inde recipere cogitur, (loquimur hactenus generaliter & ſepoſita omni applicatione ſpeciali) non poteſt utique non fieri, quin hunc Theologiæ naturalis abuſum prævium acerbe tunc luat revelata religio. Scio, Viros inſignes & judicioſos exiſtimare, nullum aptius præveniendis hiſce abuſibus remedium eſſe, quam ſi præjudicia hujuſmodi Philoſophica & natæ ex iis quæſtiones Theologico Syſtemate exeſſe jubeantur, ſi nunquam fiant Doctrinæ Theologicæ religioni neceſſariæ, maneant ſemper problemata

uſumque legitimum illi ipſi conatus uſque adeo non pertingunt, ut potius eadem impedire, enervare, & in ſuſpicionem apud imperitos ſanctioris diſciplinæ homines adducere ſoleant.

(d) Noviſſima utique proſtant hujus rei ſpecimina, de quibus forte alibi plura dicemus. Neque mirum eſt ab omnibus hoc prætendi. Quid enim juvarent iſtæ merces abſque prætextu utilitatis? Sed eo infelicius ac periculoſius hoc negotium eſt, ſi in fumum iſtæ utilitates abeant, & noxia vere ſint inania.

mata Philoſophica, de quibus ſuam intra ſphæram cuivis libere ſentire & diſquirere liceat. Neque dubito, hanc regulam multis in caſibus, & non una ejus generis materia, longe rectiſſimam eſſe atque ſapientiſſimam. Cum Theologia naturalis occupatur in hujusmodi quæſtionibus aut doctrinis, de quibus revelata prorſus tacet: tunc ſecure & absque ullo periculo valere poteſt hæc regula. Sed quid tum fiet, ubi magna adeſt ſpecies, Scripturam S. ſ. revelationem contradicere præconceptis alibi ideis, aliterque docere, idque non tantum ſemel atque iterum, ſed in conſtanti ac perpetua ſua docendi forma: atque adeo inter utrumque forum certamen oriri videtur & colliſio? In his certe caſibus non video, quomodo Theologia revelata ab extraneis iſtis opinionibus libera manere poſſit, aut ſoleat: quin potius, ſi ſtandum ſit legibus multorum, qui præ ceteris hic peccare creduntur, ea in poſterum ſors erit Theologiæ, ut ſi diſſentire audeat ex reverentia Scripturæ a præliminaribus hujusmodi articulis, audire cogatur, nihil in his mutari poſſe, eſſe rem demonſtratam & irrevocabilem, jubeaturque mutare ſenſum Scripturæ, ejuſque nomine dicere, quod

quod eam vere non dixiſſe quam maxime probabile eſt. Plura de his nunc quo minus diſſeramus, neceſſaria prohibet brevitas. Provocamus compendii cauſa ad illa verba, quæ non ita pridem *Schediaſmatum* noſtrorum *p. 454.* de eodem argumento protulimus.

§. IX.

Recte erroribus vero Theologiæ naturalis pretio uſuique legitimo contrariis accenſetur ejus cum Ethniciſmo contemtibilis confuſio. Querelas legimus hujus generis apud Doctiſſimos Viros, *cum Ethniciſmus in eo conſiſtat, quod Dii multi, iique humanis imperfectionibus præditi, creduntur & aſſumuntur, facile hinc patere, quam graviter errent, qui Philoſophiam ſ. naturalem de Deo & mundo cognitionem Ethniciſmi nomine infamant, hocque titulo alios ab illius ſtudio abſtinent:* dicunt autem *non mereri hoc convicium, quicquid notitiæ ex legitimo rationis uſu & accurata naturæ contemplatione proficiſcitur, atque ex iisdem fontibus a gentilium ſapientibus derivatum hauſtumque eſt.* Veriſſimum hoc eſt: nec fieri poſſe credo, ut quisquam vere ſapiens unquam affirmet, Theologiam naturalem & Gentiliſmum unum idemque eſſe. Illa DEI donum ac beneficium: hic turpis illius corruptela atque perverſio eſt. Suſpi-

cor interim, ſi quid talibus formulis ſimile aliquando dictum fuerit, id ſenſum habere longe diverſiſſimum. Poteſt ſc. per gentiliſmum, non craſſum illud & abſurdum idololatriæ vitium, ſed ſtatus religionis & notitiæ extra revelationem ſpecialem ſub uno naturæ & rationis lumine intelligi, cumque multi hodie inter Chriſtianos, ſi ſapere aut ſapientiam quærere prætendunt, e Sapientum potius gentilium, nec ſemper optimorum, ſuæque rationis dictatibus, quam e ſacris Scripturis ſua non raro petant oracula, contemto ſæpiſſime & negligentiſſime habito Scripturæ & revelationis dono: talibus certe absque ulla objicitur injuria, eos ſe in ſcrutinio ſapientiæ & religionis ipſos ad conditionem gentilium redigere, & re ipſa ſe gerere, quaſi Chriſtiani non eſſent, h. e. quaſi non perfectiorem aut ſublimiorem, quam pura puta ratio & natura eſt, DEum & religionem cognoſcendi viam a ſupremo Numine accepiſſent, hincque tantæ ingratitudinis crimine revera maximo illo revelationis divinæ beneficio ſe præſtare indigniſſimos. (a)

§. X.

(a) Eandem obſervationem ad Deiſtas ſimili ratione applicat GUIL. SHERLOCKUS *T. II,*

§. X.

Placet quoque hac occaſione de eo breviter diſquirere: Bene ne factum ſit, an male, ſi ipſis etiam inſtitutionibus juventutis Chriſtianæ Catecheticis Theologia quædam naturalis tanquam pars ejusdem neceſſaria & hactenus male neglecta inſeratur ac præmittatur? Anſam huic quæſtioni præbent moderni quidam libri Catechetici ab eruditis Viris ſingulari inſtituto ac deliberato conſilio elaborati, in quibus hæc me-

An in Catechesi præmittenda Theol. N. neg: p: 106

Homil. ab ELIA JONCOURT Gallice *edit. p.* 313. Hæc ſunt judicioſi Viri verba. *Cette idee* (explicaverat ſc. Epheſ. II. 12.) *me rappelle l' affreux malheur de ceux, qui apres que le Fils de Dieu eſt venu au monde, & a procurè aux hommes les moyens de ſalut, ſe mettent volontairement dans la condition des Payens, a qui n' avoit point lüi la lumiere de l' Evangile; qui, quoiqu' ils ne ſoient pas idolatres, rejettent pourtant toute revelation, mepriſent la communion de Ieſus Chriſt & de ſon Egliſe, & ne puiſent toutes leurs connoiſſances par rapport aux plus intereſſantes verites, que dans la religion naturelle, qui ne ſauroit leur rien enſeigner de certain ſur le pardon des peches & ſur une bienheureuſe reſurrection. &c.* Sed, ut in textu diximus, in minutiore gradu hæc vera eſſe poſſunr in aliis quoque inter Chriſtianos, qui Deiſtæ dogmatici & conſummati non ſunt. Sunt enim hujus vitii gradus multi & varii,

methodus docendi juventutem valde commendatur, & Catechiſmos vulgares propter illius neglectum hiaſſe & erraſſe prætenditur. Dicitur, *ſupponi alias veritates rationibus ſolidis nondum demonſtratas: adſuefaciendos eſſe ipſos etiam Catechumenos, ut nihil credant absque demonſtratione & evidentia. Conſultum hinc eſſe, ut non obſtantibus tenebris, quibus religio naturalis obruta eſt per paſſiones & præjudicia, DEI & perfectionum illius notitia inde eruatur, & priusquam homagium fidei exigatur a Catechumenis, eorum rationem convincendam eſſe, & probandum, totos ſe ei debere, a quo vitam, motum, & eſſe ſuum acceperint.* Etiam illud additur, *ad exactitudinem rationis formandam eſſe juventutem: ſpem enim fore ampliſſimam, ſi id fieret, pubem Chriſtianam ſimul in bonos Chriſtianos & homines ratione excultos evaſuram: Catechiſmos fore inſtar curſus Logici, ex quo ſenſim ſenſimque juventus diſcat recte & accurate ratiocinari: imo non ſatis prædicari poſſe ſalutares effectus ex Catechiſtis rationalibus & Catechiſmis rationaliter ſcriptis (des Catechiſtes raiſonnables & des Catechiſmes bien raiſonnés) produturos.* Vid. *l' abregé de la Theologie & de la Morale Chretienne en forme de Catechiſme par* JAQUES SAURIN, cum in *Præf. p. IIX. IX. XII. XIII. XXII. ſq.* tum in *libri* ipſius *p. 1. ſeqq.* Per ſe apparet, Virum hunc doctiſſimum iſto conſilio occurrere voluiſſe incommodis credulitatis, qua plerique homines veritates religionis a prima juventute memoria potius quam judicio complectuntur, ut poſtea

per

per omnem vitam & doctrinæ ipſius, & rationum ejus probantium nullam aliam reddere poſſint rationem, niſi quod & has & illam a Magiſtris ſuis iſtum in modum acceperint. In hoc ſcopo nihil jure poteſt deſiderari. Nec illud (quod ad medium propoſitum attinet) temere quis negaverit, pro diverſitate indolis atque ingeniorum plura vel minora tentari poſſe in illo quoque inſtitutionis genere ad juventutem ſobrio examini ſeu explorationi veritatis adſuefaciendam. Sed quod ideo neceſſarium conſultumque ſit præter id, quod in Catechiſmis etiam ordinariis negligi non ſolet, ſpeciem quandam præparationis Philoſophicæ aut Syſtema Theologiæ naturalis in Catecheſi juventutis præmittere, ac præterea ab ipſa juventute prætendere, ut nihil credat ſ. in animum admittat abſque demonſtratione & evidentia, cujus ſc. ipſa judex ſit & arbiter, id ipſum, (ut mitiſſime loquar & prudentiſſime) niſi cautiſſime explicetur & exerceatur, tam propinquum eſt falſo, ut ſi vel paululum declinetur in hac via recto tramite, non falſum modo ſit, ſed etiam periculoſum & noxium. Nullibi hac methodo juventutem docuit, vel doceri voluit Scriptura, quamvis innu-

mera ibi legantur præcepta ad ipſam quoque juventutem ſpectantia. Cordis illa potius rationem ubique habet, quam ingenii: id quod & alias ſumme neceſſarium eſt, in ea maxime ætate, quæ, illis quoque fatentibus, qui hic ſcrupulos movent, ne quidem examinis & diſcuſſionis ſufficientis doctrinarum capax eſt. Niſi Spiritus Dei ſanctis inſtinctibus in cordibus mollibus & docilibus id præveniat, ſciolos apta eſt hæc methodus producere, non Chriſtianos. Non eſt verum, ſolidas & ſalutares veritates juventuti inter ſeriam divini Numinis invocationem ab idoneis Doctoribus inſtillatas efficaciam ſuam non prius exſerere, quam ope ingenii & ratiocinationis methodicæ ab illa poſſint digeri ſuoque ordine collocari. Nimiam methodi & ordinis ratiocinandi affectationem majorem de veritatibus maxime divinis convictionem dare, quam ſimplicem, humilem, & affectivum veritatis amorem ac ſtudium ſincerum, experientiæ ipſi manifeſtiſſime contrarium eſt. Præcipua inſuper ratio, cur tot graves & egregiæ veritates debitos ac genuinos fructus non ferant, nec divinam ſemper convictionem excitent in Catechumenis, non eſt defectus artis ratiocinandi, aut accurato

rato ordine diſponendi veritates, quas diſcunt, ſed ſpirituales tenebræ, ac profunda cordis humani corruptio, quæ longe efficaciorem medicinam requirunt, quam præſtare poſſunt levior quædam diſpoſitio & prima ratiocinationis juſtæ ſtamina, quorum tenera ætas capax eſt: Cum id nec ſumma in hoc genere peritia præſtet divini luminis & gratiæ auxilio deſtituta: ut adeo loco non ſuo & morbus & medicina quæratur. Denique, quoſcunque Schematiſmos Catecheta adhibeat in inſtitutione juventutis, ſi vel optimas rationes & ſolidiſſima fundamenta, uti ſane tenetur, addat doctrinæ & inculcet diſcentibus, ne ſic quidem beneficio ratiocinationis & examinis ptoprii, quod huic ſcopo ſufficeret, iſthæc omnia capient Catechumeni, de quibus hic ſermo eſt, ſed vel memoria, vel cor majores longe partes tamen habebit, quam ratio & ingenium. Si quis id ſapientiæ, quod teneris mentibus dari a Deo ſolet, ſi ipſum timeant, eique ſe aperiant dociliter, tamen velit referri ad ſubſidium ratiocinationis, forte aliquid dicet, quod ad ſenſum commodum reduci poterit apud benignos & ſapientes interpretes: Reipſa tamen & in legitima analyſi eo vere non pertinet. Con-

 clu-

cludimus inde, propoſitam ſupra Catecheticarum inſtitutionum reformationem, nonniſi additis plurimis cautelis atque temperamentis neceſſariis, admitti poſſe. Neque enim contradixiſſemus his meditationibus, niſi aliquid in iis deprehenſum fuiſſet, quod conſcientia ſeria vitandum avertendumque judicare ac ſuadere debuit: ceteroquin in his caſibus vere ſapientes viri imperfecte quidem loqui poſſunt, reipſa & examinatis quibusvis rationibus diſſentire non poſſunt.

§. XI.

Ad extremum ad evehendam ultra juſtos limites, naturalem Theologiam non parum confert naturæ & gratiæ in præſumendis humanarum cogitationum fontibus frequentiſſima confuſio. Paucis ejus erroris meminiſſe ſufficiet huic loco: etſi non ſufficiat neceſſitati & gravitati hujus moniti. Loquimur de hominibus inter Chriſtianos viventibus. Hi ſæpe ſapienter cogitant, & a veritate afficiuntur qandoque ſatis vivide. Putant tunc, fructus hos eſſe ſui ingenii, ſuæ perſpicaciæ, rationis ſuæ rectæ, cum id

forte

forte ſit longe falſiſſimum. (a) Gratiæ divinæ ſpirituſque divini eos prævenientis ac pulſantis beneficio múlta hujuſmodi deberi, quæ homines in his dijudicandis ac diſcernendis inexercitati rationi ac natûræ tribuunt, longiſſime probabilius eſt. Nec tamen ipſis magnopere prodeſt hæc gratia, ſi

(a) Nihil certius eſt, quam hoc ipſum in praxi a pauciſſimis ſapienter attendi. Perpetuus utique eſt cœli & inferni, ac rerum omnium, in cogitationes, motus, pulſusque animi humani influxus. Quos Deus inhabitare & regere non poteſt, eos ſaltem perpetuo prævenit, quærit, pulſat, & afficit. Intereſt etiam quam maximè providenriæ divinæ cauſa, ut oriantur, ac dirigantur, cogitationes hominum ſub potentiſſimo & ſapientiſſimo illius imperio. Hujus rei veſtigia ſæpe aperta ſunt, ſæpe occûlta, veriſſima tamen & realiſſima. Plena eſt Scriptura hujuſmodi exemplorum, in quibus eæ cogitationes, ea conſilia, eæ denique notitiæ a *Deo* inſpiratæ dicûntur fùiſſe hominibus, quas humanas merè & ex ſolo ingenio humano profectas eſſe, ſi divinum hoc teſtimonium abeſſet, crederent ùniverſi. Fuerint horum multa, maxime quæ illuſtriora erant & pùblica, extra ordinem. Certe in ipſo ordine naturæ & gratiæ idem hic operoſiſſimæ Dei Providentiæ ſtudium eſſe, vix poteſt dubitari. Neque ſufficit dicere, quod non opus ſit Deum hoc modo vocare in ſubſidium

ſi loco gratitudinis debitæ in materiam arrogantiæ & amoris proprii eam rapiunt, & prorſus invito Numine in naturæ laudes & amplificationem convertunt, per quod in gratiæ ſuæ plenitudine voluerat agnoſci & glorificari. Commendari hic meretur inſignis *Homilia* S. R. LÖSCHERI nuper edita **von gewiſſenhafften Gedancken/** quam noviſſime legimus, atque ideo e recenti ſenſu allegamus.

COROL-

---

in rebus atque circumſtantiis, quæ naturæ ipſiuſque mentis humanæ vires non ſuperant. Certiſſimum enim eſt, neque in natura hominis gubernanda Deum eſſe otioſum; neque ex eo, quod aliquid ex naturæ viribus oriri potuit, reipſa inde ortum eſſe, certo poſſe concludi. Una eademque actio ſæpe apud hunc ex natura, apud alterum ex gratia promanat. Admirabilis Dei gratia deſcendit ad viliſſima in ſpeciem motiva, ut ea ſanctificet, cum contra majorem præ ſe ſpeciem non raro illi fructus ferant, quos natura genuit & oſtentat, quam quæ in ſanctiſſimis ac diviniſſimis actibus motibusque deprehenditur. Horum omnium ad doctrinam, quam in hoc §. tractamus, applicatio juſta & facilis eſt.

COROLLARIA COGNATA.

1. DEus in verbo ſuo contra omnis generis Idololatras & falſas de ſuis perfectionibus ideas frequentiſſime, raro contra Atheos diſputavit. Cur hoc factum ſit? lector Scripturæ peritus haud difficulter intelligit. (a)

2. Non bene merentur de Theologia naturali

(a) Veriſſimum eſſe, quod hic diximus, ipſa docet inſpectio, Ubique exiſtentia Dei cognatæque proxime veritates ſupponuntur tanquam certæ, liquidæ, obviæ & facile cognoſcibiles, idque cum convictione & certitudine. Nulla gens, nullus populus, cujus in S. literis mentio injicitur, accuſatur a Spiritu Dei, quod nihil Divinitatis crederent. Ubique contra populum Judaicum Deus per Prophetas ſuos diſputat, quod in falſis Divinitatibus, falſoque Numinis alicujus cultu, diligentiores & conſtantiores ſint quivis alii populi, quam ille in vero Deo colendo. Id unum ſæpe requiritur, ut oculos aperiant, ut cœlum & terram intueantur, ut opera quævis obvia conſiderentur. *Quis non novit ex his omnibus*, ait Hiobus, *quod manus Domini faciat iſtud? c XII. 9.* (Audiamus quoque Spiritum Dei exclamantem apud Eſaiam ad quovis homines:) *Annon ſcitis? annon auditis?*

naturali & revelata, qui ſolida in ſe exiſtentiæ divinæ argumenta propter ratiunculas profano-

---

annon indicatum eſt ab initio vobis? annon intelligitis fundamenta terræ? Tollite in altum oculos veſtros, & videte, quis creavit hæc? &c. *Nonne ſcivisti? Nonne audiviſti! Deus æternitatis, Iehova creans fines terræ non fatigatur* &c. *c. XL. 21. 26. 28.* Mira autem & paradoxa eſt hæc methodus docendi Dei de ſeipſo, ſi tam operoſum, tam intricatum & difficile eſt negotium, probare Dei exiſtentiam ad juſtum uſque & ſapientem aſſenſum. Illud in ſpecie miror, quod Sapientes illi, qui affectatiſſima moroſitate longe difficillimam hodie faciunt exiſtentiæ corporum demonſtrationem, non intelligant, quam longe abeant cum ab ipſius rei natura, tum a methodo demonſtrationis divinæ, quæ ubique ſupponit, neminem ſanæ & integræ mentis, imo ſanorum ſenſuum, de hac veritate poſſe dubitare: æque ſane ac deliraret is, qui, cum cibos menſæ ſuæ appoſitos videat, tangat & guſtet, horum exiſtentiam ac præſentiam veram ſenſibus ſuis vividiſſime perceptam Philoſophica & rationali demonſtratione prius evincendam eſſe crederet. Cetera fateor mihi non diſplicuiſſe parallela P. TERTRE verba, quæ proinde non piget adſcribere. *L' Ecriture S.* inquit, *ne s' apuye, que ſur les preuves tirées de la creation & du bel ordre de l' univers, pour nous convaincre de l' exiſtence de ſon Auteur. S. Paul ayant dit, que les Sages du Paganiſme etoient inexcuſables, il n' en aporte point d' autre raiſon, ſi non, parcequ'*

ſanorum & prætextu methodi ac ordinis accuratioris (qui tamen valde controverſus) ſuſpecta reddunt & imbecillia. (b)

3. Senſui communi repugnat, a Deo libere

ils connoiſſoient aſſez le Createur par la vuë des Creatures; C' eſt dont une neceſſitè, que le genre humain ait dans le temoignage des ſens un moyen ſur de connoitre l'exiſtence des corps, & ie nier, c' eſt renverſer la religion. Ainſi la ſeule reponſe, qu' on doit faire aux raiſonnemens extravagans de l' inſenſe, que i' ai mis au priſes avec noſtre Theologien (Vid. præcedd.) *c' eſt de lui dire, que ſi pour douter de la religion il n' a point d' autre fondement, que l' incertitude touchant de l' exiſtence des corps, desl il ſe declare pour un fou; car il n' y a, que des fous, qui puiſent former ſerieuſement des doutes ſur une verite' de cette nature. Refut. du P. Malebranche Part. III. p. 52. ſeq.*

(b) Notæ ſunt nuperæ de hac materia controverſiæ, in quibus certe de eo non quærebatur: an liceat de majore vel minore hujus aut illius argumenti particularis valore modeſtè diſquirere? neque enim quiſquam tam injùſtùs fùit aut abſùrdus, ut hoc liberùm eſſe negaret. Id potiùs offendebat, quod optimæ in ſe rationes pro demonſtranda ad conſcientiam Sùpremi Nùminis exiſtentia, non ſingulæ, ſed univerſæ, rationes ab ipſo Spiritù Dei omnibus aliis prælatæ, rationes nonniſi ineptis cavillationibus ab Atheis vellicatæ, rationes ad pùlſandum cor æque ac ad convincendùm ingenium

bere agente ut rem contingentem exiſtentiam ſuam accepiſſe, nec tamen habere ſuæ exiſtentiæ initium: unde inutiles Theologiæ naturali difficultates inferunt, qui hanc veritatem ipſi etiam rectæ rationi incertam faciunt. (c)

4. Argumentum exiſtentiæ divinæ a conſcien-

idoneæ, tam contemtim haberentur, atque a nonnullis etiam riderentur, atque ad deridendum exponerentur, toto robore fundamentalis demonſtrationis ad operoſas & longe petitas ſubtilitates revocato, cavillationibus adverſariorum æque, ac ullæ aliæ, expoſitas. Cui malo quousque poſtea allatum ſit remedium, nec ne? ex monumentis in hanc rem ultro citroque editis non difficile eſt judicare. De cetero nullum eſt dubium, poſt prima illa Præceptorum judicia ſciolos & temerarios juvenes argumenta iſta conſueta, licet ſolidiſſima, ſapientiæ & demonſtrationis prætextu adunco ſemper naſo in poſterum eſſe ſuſpenſuros, quod plerumque Academicorum Doctorum id cenſurarum genus amantium operæ pretium eſſe ſolet.

(c) Ad ea hæc quæſtio exempla pertinet, ex quibus patere poſſit, ad quem gradum voluptas contradicendi miliumque terebrandi prætextu ἀκριβείας poſſit aſcendere. Diximus autem in corollario, contra ſenſum communem eſſe, a *Deo libere agente* creaturas ut *res contigentes* exiſtentiam ſuam accepiſſe, nec tamen habere exiſtentiæ ſuæ initium; ut ſimul innueremus, eos, qui quondam

ſcientia petitum ex Rom. II. 15. habet authoritatem divinam atque Apoſtolicam. Vo-

timuerunt, ne ipſam generationem Filii Dei in Divinitate ſucceſſivam conſtituere neceſſe ſit, niſi ſtatuatur, poſſe aliquid ab æterno originem ſuam ab alio habere, eſſentialia & libera in DEO confundere, neque cauſam ſatis legitimam habuiſſe generationis illius divinæ exemplum ad hanc quæſtiunculam traducendi. Ne illud quidem exemplum huc pertinet, quod nonnulli de emanatione quadam Spirituum finitorum ex DEO docuerunt, hanc enim non eſſentialem, ſed liberam & quidem in tempore factam ſtatuunt, quod vel idem eſt in ſumma rei cum creatione, vel, ſi quid diverſum ſonet, vix ac ne vix quidem poteſt explicari: cetera vero longiſſime abeſt ex mente illorum autorum ab immanibus illis abſurdis, quibus vulgo oneratur, ut alibi oſtendimus. Quoad rem ipſam nihil clarius eſt; quam quod is, qui ſemper extitit, nunquam inceperit exiſtere: neque enim opus habuit, ut ad exiſtentiam demum deduceretur. Interrogetur ſuper hac quæſtione quivis alius, qui haſce diſputationes aliâs ignorat, & ſolam ſimplicis veritatis rationem habet absque præoccupatione, certe nunquam aliter reſpondebit. Unde, quoties video, Viros alias acutiſſimos hanc contradictionem non cernere, non poſſum aliter, quin credam, eos nolle potius ipſam videre, quam ut non videant aut ſentiant: cum tamen ipſis non difficile ſit minutulas quandoque rationes & admo-

Voluit hoc indicio cognoſci, qui legem inſcripſit, ipſaque accuſatio & excuſatio indicat

---

dum incertas tanquam demonſtrationes Mathematicas exoſculari. Certe hoc in rerum genere Eruditi cum omni ſua ſubtilitate & ἀκριβείᾳ non raro longius a veritate, & docilitate ad veritatem abſunt, quam multi alii ipſis longiſſime inferiores aut hebetiores. Sapientes gentilium creationem mundi in tempore non ſemper eſſe aſſecutos, aut hac ipſa, quam diximus, ratione eo deductos, non ſane miror. In cauſa non fuit defectus demonſtrationis in iſta ratione, ſed ipſorum falſa & ſuperba ſapientia, per quam etiam in manifeſtis veritatibus palparunt in tenebris. Magis mirum eſt, ſi ratio revelatione heic illuſtrata atque ab Ethnicorum quisquiliis hac parte liberata hunc nexum non videat, aut de illius certitudine dubitet. Maxime vero mirum, quod inter ipſos Chriſtianos aliqui hærere velle videantur, an ſatis certo & perſpicue creatio rerum omnium ex nihilo in ipſis etiam Sacris literis doceatur? Veteribus nonnullis Theologis aliquid ex pulvere Scholaſticorum adhæſiſſe circa hanc quæſtionem, plane certum eſt vel ex ea ſola, quam adducunt de radiis ſolaribus, ratione. Putabant, hos ſimul cum Sole exiſtere. Enimvero id verum non eſſe ipſa motus natura docet, per quem non ſine ſucceſſione ac diverſitate loci temporisque radii ex ipſo corpore Solari effluunt, & uſquequaque diffunduntur. Non moviſſet itaque hæc ratio Viros doctiſſimos, niſi hic Philo-

indicat judicem tali foro compententem. (d)

5. Ordo

ſophiæ Scholaſticæ ſui temporis more nimis credidiſſent. De altera quæſtione acceſſoria: an, ſi dicatur, mundum ſ. univerſitatem rerum creatarum omnium ab æterno vel conditam eſſe, vel condi ſaltem poſſe, æternitas DEI mundique plane eſſet eadem? ſic ſtatuendum eſſe exiſtimo: non fore eandem ratione quorumvis momentorum ſibi invicem ſuccedentium, qualis in DEI æternitate ſucceſſio non datur: porro non fore eandem ex hypotheſi & mente illorum, qui putant, creari ab æterno, & a DEO ſuam eſſentiam & exiſtentiam accipere, non eſſe contradictoria. Non poſſunt aliter docere ſemel admiſſo iſto principio: neque falſum dixerim conſequens, dum antecedens verum ſit. Sed ſi hæc hypotheſis vana ſit & contradictoria, ut recte creditur ab aliis, non male ex ipſius rei natura concluditur, quia mundi creata æternitas figmentum eſt, illum non poſſe a priori quoque æternum eſſe, niſi abſque principio & per ſeipſum. Huncque nexum acutius inſpexerunt Veteres illi æternitatis Mundi aſſertores, quam moderni Sapientes. Rectiſſime proinde docent, qui non modo ipſo facto Mundum ex Nihilo in tempore creatum eſſe, ſed ne quidem aliter creari poſſe, ſtatuunt.

(d) Dolendum eſt, huic argumento propterea vim convictivam fuiſſe detractam, quia ſint, qui excipiant, dictamen illud conſcientiæ eſſe perſuaſionem vanam educatione contractam, quod non

adeo facile refellatur, ſi nondum aliis argumentis evictum fuerit, dari Deum. &c. Vis & efficacia argumenti alicujus interna eſt, neque pendet a facilitate vel difficultate recipientis. Internam & nativam huic rationi ſoliditatem nemo negabit. Deinde nemo dixit, hoc ſolùm argumentum, & primo loco adhibendùm eſſe. Rurſus id argumentum non ſolorum Atheorùm cauſa proponitur: ſed ad uſùm & demonſtrationem generalem. Porro ſi ex titulo conſcientiæ divinùm forùm apud profligatæ impietatis homines evincendùm ſit, non certe ſiſtenda ſunt exempla conſcientiæ languidæ, cauterizatæ, & dormientis, vel etiam per otiùm quaſi de moralitate actionum philoſophantis, ſed phænomena conſcientiæ excitatæ & vividè ſe demonſtrantis. Sic ſoleo hanc materiam in docendo illuſtrare. In toto complexu eorum, quæ ad phænomena conſcientiæ referri ſolent, mùltos etiam actus divinos ab actibus hùmanis diſtinctos intervenire, inde pateſcit, quia deprehenditur eſſe hic aliquid, quod in homine ſe exerat ſæpe inſcio & aliunde prævento, non raro etiam invito & reluctante, quod ſedem ſùam habeat in intimis hominùm receſſibus, quod pro norma habeat regùlam ſanctam ſibi ſemper conſtantem, &, ſi ſibi relinquatur, invariabilem, quod pro ſubjecto habeat homines ſæpe ferociſſimos, ſecùriſſimos, & indomitos: quod pro objecto habeat ipſa etiam arcana cordis hùmani, quod, ut ex omnibus apparet indiciis, nec adeſt,

lis ſupponit ordinantem: ordo autem contingens

nec operatur, nec recedit caſú aut temere, ſed ſub directione reſpectuque ſtatus interni ipſius hominis, ubi non impeditur, operatur vividè, profunde, efficaciter; maxime vero in ſupremo ſuo gradu ſtupendos edit effectus humiliationis, condemnationis, afflictionis, vel ex altera parte apud bonos tranquillationis & lætificationis. Hæc phænomena conſcientiæ reipſa extare inter homines qui negat, negat Solem in meridie. Ex illis vero non obſcure patet, Autorem conſcientiæ eſſe Ens ab ipſo homine diſtinctum, eique hactenus extraneum: eſſe ens aliquod ſûpremum, quod poteſtatem habeat in ipſum hominem: Eſſe omniſcium, quod ſe ad arcana cordis uſque penetret: eſſe potentiſſimum, quod vim ſuam in ipſa quoque corda hominum poſſit extendere; Eſſe Ens ſanctum, quod ne umbram quidem peccati ferre queat, & cum ipſius hominis confuſis & impuris actibus ſe nunquam miſceat: Ens juſtum, quod impunitum peccatorem non dimittat: Ens ſapientiſſimum, quod gradus ſui ad hominis animum acceſſûs prudentiſſime moderetur: Ens omnipræſens, quod ne ab ipſis quidem hominis intimis excludi poteſt &c. conſequenter Deum. Quiſquis poſt horum omnium examen ſincerum & integrum adhuc garrire audet de vana imaginatione & ſimilibus, ille aliis poſthac demonſtrationibus & remediis opus habebit, quam ſubtilitatibus artificioſiſſime & per omnes demonſtrationis Geometricæ

tingens ſuperaddit ordinantem liberum. (e)

6. Conſenſum gentium cultiorum & rationabiliorum ſolidum eſſe pro exiſtentia Numi-

---

rigores caſtigatis. Propter ipſum vero vim convincentem hujus argumenti de conſcientia in dubium vocare eſſet longe inſipidiſſimum. Ceteræ ad locum *Rom. II. 14. 15.* exceptiones jam ſatis ſolutæ ſunt.

(e) Ordo quivis realis ſuum habet fontem ac principium. Ordo infinitus ac perfectiſſimus in ipſo Deo. Ordo omnis finitus & limitatus extra ſe in alia cauſa & principio, cum a ſe ipſo oriri non potuerit. Hinc, quia ordo eſt, ſupponit ſapientiam ordinantis; quia contingens eſt, infert ordinantis libertatem. De ordine mere imaginario nulla hic quæſtio eſt, quamvis & ille ſuum habeat principium. Nonne autem & ipſe Spiritus Dei ex Univerſi ordine, harmonia, & concentu demonſtrat ſupremi Numinis exiſtentiam, ſapientiam, poteſtatem, providentiam perfectionesque illius ceteras? An id argumentum vim ſuam amittit in ore hominum? Nec dici poteſt, Spiritum Dei autoritate agere in iſtis ſermonibus, non demonſtratione. Id longiſſime abeſt a vero. Imo vero, ſi fieri poſſet, ut neceſſaria emanatione ex Deo mundus efflueret, tamen, quia tam egregius in mundo ordo & connnexio eſt, non eſſet hic ordo abſque ordinante. Deus illum vel ſic ordinaret, ſed exercitio ſapientiæ & potentiæ ſuæ neceſſario.

Numinis argumentum, quidquid ſit de rudibus & incultis, magnas rationes habet. (f)

7. Theologiam naturalem probro afficit, qui

(f) De valore vel gradu valoris hujus argumenti plurima inter Eruditos diſputatio eſt. Rideri certe non debet; maxime inter Chriſtianos. Neque opus eſt totius Orbis itineraria & obſervationes, aut ſingulorum hominum ſuffragia, hunc in finem corradere & emendicare. Sufficiunt, quæ ſcimus, quæque hactenus ad liquidum deducta ſunt, ad id, ut inde colligamus, doctrinam ſenſibus non obviam, hominibus carnalibus & mundanis facillime, quantum in ipſis eſt, obliviſcendam, & in quam plurimis eorum inclinationibus & concupiſcentiis vehementer obſtantem, atque etiam, ut conſtat ex Hiſtoria, antiquiſſimis temporibus minime controverſam non ſine magna providentia in maxima ad minimum humani generis parte fuiſſe tam conſtanter, atque inter impedimenta validiſſima, conſervatam, quantæcunque alias tenebræ ſeſe huic notitiæ ſucceſſu temporis admiſcuerint. In ſubſidium enim hic vocanda eſt traditio, quousque illa patet, univerſalis, antiquiſſima & noviſſima, quæ dogmati de Divinitate & proxime annexis favet extra omnem controverſiam. Ut plura alia jam dimittamus a Viris Doctis non indiligenter excuſſa. Paucis: In argumento hiſtorico, quale hoc eſt, vix plura & graviora ſapiens deſideret, quam quæ extant, & a multis

qui putat, Deum otioſum & Deum ſine mundo eſſe unum idemque. (g)

8. Qui Theologiam naturalem recte hono-

falſis traditionibus, & ſupervacuis ratiocinationibus hactenus vindicata & perpurgata ſunt. Si quis inſuper cogitet, nonniſi poſt multas alias rationes, & ſuo loco, ad hoc quoque argumentum attendi, nullum cavillationibus locum relinqui, eo credet facilius.

(g) Fateor, me id corollarium poſuiſſe occaſione theſeos cujusdam Regiomontanæ, quam juxta alias ſimiles iterata editione ad publicam deteſtationem excitandam propoſuit S. R. D. LANGIUS. Sic enim ibidem docebatur: *Mundus nec eſſe cœpit, nec eſſe deſinet. Qui Deum fingit ſine mundo, fingit Deum otioſum.* Quisquis hæc verba, & quocunque etiam animo, poſuerit, abſurda ſane & perniciosa locutus eſt. Vidi poſtea, de autore & ſcopo illarum theſium Regiomontanarum ad declinandam peſſime dictorum invidiam varias hic ibi recenſeri hiſtoriolas, quæ veræ, an falſæ ſint? non inutile eſſet evulgari ab iis, qui accuratiorem ejus rei notitiam habent. Nemo interim non videt, ſive ſerio, ſive per irriſionem, repræſentari in iſtis theſibus nexum doctrinæ de neceſſitate morali creandi mundum ex titulo bonitatis & ſapientiæ divinæ, niſi quis Deum fingere ſibi velit otioſum. Niſi me omnia fallunt, alius quidam *Anonymus* certius hic allegari poteſt, qui in *ſuccinctis Meditationibus de Exiſtentia Dei &c.* §. 27. hæc habet:

honorat, fugit non modo emanariones phyſicas creaturarum ex DEO neceſſarias, ſed etiam neceſſitatem moralem ortus earum ex DEO vi attributorum ejus eſſentialium. (h)

9. Ipſa etiam Theologia naturalis genuina & legitima longe majorem habet rationem cordis, quam ingenii.

10. Recte credere plus eſt, quam recte ratiocinari.

DIS-

Poſſibile tantum eſt, quod perfectiſſimum. Sed, quia, quicquid in Deo poſſibile concipi poteſt, exiſtat, neceſſe eſt, id quod produxit, coæternum ipſi eſſe debuit. p. II. Vidit hic Autor vinculum hypotheſium, idque candidius, quam alii, profeſſus eſt. Conatus eſt poſtea Vir quidam Doctiſſimus imprudentem hanc confeſſionem emollire, & in viam reducere. Sed putem, id non ſatis feliciter eſſe præſtitum.

(h) Quæ hoc loco ad vindicationem hujus doctrinæ contra oppoſitas mihi non uno loco exceptiones afferri poſſent, jamjam præoccupare ea de cauſa nolumus, quoniam animus nobis eſt vel nihil ultra de his controverſiis dicere, poſt jacta fundamenta ſatis ſolida, quorum examen unicuique relinquimus, vel, quicquid de tota hac cauſa atque ad vindicationem veritatis a nobis defenſæ annotari porro merebitur, in eum ſervare locum, qui iſtis omnibus ex inſtituto tractandis paulo plenius ſufficiat.

DISSERTAT. II.
DE LITURGIA QUADAM COELITUS, SI CREDERE FAS EST, INSPIRATA.

SUMMARIUM.

1. Scriptores R. E. moderni invictam vim probandi liturgiis Eccleſiaſticis ineſſe exiſtimant ad Proteſtantes confutandos in materia Eucharistica. 2. Feliciore autem compendio abſolvere poſſunt hanc controverſiam, ſi vera eſt, quæ in eadem Eccleſia proſtat, Liturgia divinitus inſpirata. 3. Præmittitur Hiſtoria illius Abbatiſſæ Hiſpanicæ, cui eadem revelata fuiſſe dicitur. 4. Libri, in quo reperitur, cœleſtia ſubſidia, una cum illius titulo indicantur. 5. Summa illius libri capita. 6. Judicia de hoc libro ſumme favorabilia, atque benigniſſima ejus fata in maxima parte Eccleſiæ Romanæ. 7. Paucorum ejus communionis judicia contraria: item QQ. Proteſtantium. 8. Rationes generales adverſus hujus libri authentiam. 9. An is haberi poſſit pro approbato in Eccleſia Romana? 10. Fœdiſſima conſectaria ex hypotheſi falſitatis & impoſturæ fluentia. 11. Denique fit tranſitus ad Liturgiam Eucharisticam inſpiratam, quæ in libro cit. reperitur, cum quibusdam Annotationibus mox exhibendam.

§. 1.

§. 1.

NOtum eſt, in Controverſiis Romanæ Eccleſiæ cum Proteſtantibus in materia Evchariſtica robur haud infirmum poni in argumentis ac demonſtrationibus ex Liturgiis Eccleſiarum petitis; maxime poſtquam novam ſpeciem atque egregie pictam iisdem non ita pridem conciliavit Scriptor in hoc genere celeberrimus, EUSEBIUS RENAUDOTUS, Abbas & Theologus quondam Pariſinus, qui, ut confirmaret hanc diſputandi rationem ab anteceſſoribus infeliciter, ut putat, tractatam, eamque invictam redderet, rejectis contemtisque cum Proteſtantium, tum ſuorum quoque laboribus priſtinis, nova methodo ſolis ex Liturgiis triumphare docet Catholicos, & ex iis ſolis omnia ad liquidum conatur deducere. Quodſi jam probanda eſt, non dicam, præſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti, ſed transſubſtantiatio, ſed ſacrificium, ſed permanentia & adoratio Sacramenti, communionis ſub una ſpecie innocentia, uſus linguæ incognitæ illegitimus, cum ceteris omnibus, ſufficit jam ſupponere, Liturgiæ veteris & Apoſtolicæ formam fruſtra in ſacris quæri literis: imaginarium eſſe Exemplar cœnæ Evangelicæ

licæ & Apoſtolicæ, quod inde repetant Proteſtantes atque delineent: Illud potius in traditione, h. e. in communi conſenſu omnium Chriſtianorum quærendum eſſe: In dictis autem capitibus Eccleſias Orientales & Occidentales accuratiſſime convenire, quicquid ſit de formularum Liturgicarum primis Autoribus, ex quo primum ſcripto conſignatæ fuerint: Eccleſiæ univerſalis majorem adhuc autoritatem eſſe, quæ eas communi applauſu recepit, eamque, cum adverſus ipſam portæ inferorum prævalere nequeant, mendacio aut errori non eſſe obnoxiam. Sic rem iſtam per compendium & plene tamen confectam eſſe arbitratur Vir Doctiſſimus, cujus veſtigia alii deinceps certatim ſecuti ſunt. Quo jure, quave injuria heic triumphaverit RENAUDOTIUS? non eſt nobis propoſitum data hoc loco opera examinare, unde nec ea, quæ *privatis* in *Scholis* noſtris *in H. E.* aliquando circa primarias Viri hypotheſes dogmatico-hiſtoricas annotavimus, hunc ipſum in locum transferemus. Merentur interim cum gloriationibus Renaudotianis componi doctiſſimæ *Diſſertationes* Magnif. noſtri Cancell. PFAFFII *de oblatione & conſecratione Veterum Euchariſtica*, nec non geminæ aliæ B. D. JANI,

Theo-

Theologi olim Wittebergenſis, quarum una *Liturgiam Eccleſiæ Evangelicæ Liturgiæ Apoſtolicæ Act. II. 42. recenſitæ conformem* contra RENAUDOTIUM vindicat: altera adverſus eundem, *Sacrificium Liturgiis Orientalibus ignotum eſſe* probat. Add. quoque ejusdem Viri in hoc maxime literarum genere peritiſſimi *Annotationes* ad *Homiliam* Euſebii Alex. *de Die Dominica* ab ipſo editam.

§. II.

Poterant vero longe feliciore facilioreque compendio Eccleſiæ Romanæ DD. totam hanc cauſam abſolvere, ſi vera ac cœlitus data eſt in ipſius ſinu Liturgia iſta, quam notiſſima illa Abbatiſſa Hiſpanica, Maria d' Agreda *Civitati* ſuæ *Myſticæ*, libro, ut jactatur, ex cœlo inſpirato dictatoque inſeruit. Hæc non exhibet nobis Liturgias ab hominibus conſarcinatas, vel ex ipſorum etiam hæreticorum conventibus derivatas, ſed primam & originalem Liturgiam ipſius Domini divinitus revelatam, atque adeo prorſus avthenticam. Hic præciſæ ſunt ambages univerſæ de avthentia Manuſcriptorum Orientalium, de ſinceritate verſionis, de ſenſu verborum

etiam

etiam recte converſorum, de conſenſu Orientalium & Occidentalium cùm Hiſtorice, tum dogmatice conſiderato: Amputatæ ſunt difficultates moleſtiſſimæ traditionis controverſæ, & per ſuſpectos canales ad noſtra usque tempora deductæ. Id unum probandum ſupereſt, Eccleſiam hunc theſaurum, quem nec Apoſtolis datum erat ſcire, aliisque detegere, etiamnum vere poſſidere, & ex hoc inſtrumento nunc tuto omnes noſtras definiri poſſe controverſias. Enimvero, priusquam oſtendamus, etiam hic pro auro carbones venditari, nonnulla de Autore, de argumento, & fatis hujus libri hiſtorice præmittenda ſunt, quod hac ipſa brevi *Diſſertatione præliminari* jamjam præſtabimus.

§. III.

Primum ut pateat, quanta ſit fueritque apud ſuos Sanctimonialis illius Hiſpanicæ exiſtimatio atque autoritas? ex *Commentariis Vitæ* illius cum applauſu & approbatione Superiorum editis præcipua Hiſtoriæ ipſius perſonalis momenta repræſentabimus. Summa hæc eſt: Mariam iſtam Anno 1602 Agredæ veteris Caſtellæ oppido ſanguine ex utroque Parente immaculato (h. e. ut opinor,

opinor, nec Judaico, nec Mauritanico ſanguini permixto) genitam infantem adhuc, ne quid temporis inane elaberetur, Deum habuiſſe Magiſtrum, ex quo nondum primum ætatis annum ſupergreſſa pleniſſime perceperit, unam dari cauſam omnium cauſatum principem, quanta ſit vitæ humanæ miſeria, quænam primitivæ naturæ fuerit integritas, quæ gratiæ pulchritudo & efficacia, aliaque ſimilia: hisque intellectus illuſtrationibus analogos etiam voluntatis excitatæ motus atque affectus reſpondiſſe. Ceſſante hac intuitiva viſione eam ab inſtitutione hac paſſiva deſcendiſſe ad exercitium ſenſuum, uſumque rationis, in quo tamen mox notiones omnium articulorum fidei, & præceptorum legis gratiæ, ut & S. Matris Eccleſiæ, infuſæ ipſi fuerint, addita etiam tam diſtincta cauſarum naturalium comprehenſione, ut per eas facile tanquam per ſcalam ad Creatorem adſcenderit ad primum cœli conſpectum dicens apud ſeipſam: (cetera enim per ætatem nondum fari potuit) Hæc domus eſt & habitatio iſtius Domini, quem probe novi, quem diligit anima mea; heu quam ſplendida! quam decora! Conditorem ejus, quantum poſſumus, exaltemus.

Cre-

Creſcente ætate ſecutas eſſe divinas dereli-ctiones & ariditates, ex illius parte vitæ genus in media ætate puellari ſolitarium, triſte, atque ad quævis externa impeditum, ut ipſi Parentes ſtuporem & inertiam hoc, quicquid in ea erat, interpretati durius ipſam habere inciperent, eaque toti familiæ, ipſique etiam famulitio oneri & contemtui eſſet. Senſim tamen ſenſimque ad ſe rediiſſe Parentes, conſpectaque filiæ pietate ſingulare ipſi in ædibus Oratorium conceſſiſſe: Ibi aliquando hanc vocem perſonuiſſe ad Mariam puellam; Convertere ad me, Sponſa mea, terrenis rebus, caducis illis & perituris, renuntia. Surge Columbula mea, & ad me evola. Hanc vocem excepiſſe votum ſuſcipiendæ vitæ Monaſticæ, ejuſque voti nuncupati B. Virginem, Joſephum, aliosque nonnullos cives cœleſtes digniſſimos adfuiſſe teſtes. Hæc virginis arcana primum aliis innoteſcere cœpiſſe per quendam Confeſſionarium tam ſublimen rerum ſpiritualium in hac puella notitiam vehementer admiratum: deinde alia ſimilia venerabilium QQ. Sacerdotum teſtimonia famam hanc reddidiſſe luculentiorem. Cum poſtea Carmelitico ordini ab initio a Parentibus deſtinata eſſet, divina voce

una

una cum Parente utroque duobus fratribus duabusque ſororibus Franciſcanam Familiam ingredi juſſam eſſe. In probationis ſuæ periodo horrendas paſſam eſſe tentationes Dæmonis nonnunquam ſub figura animantium maxime terribilium, alio tempore ſub imagine demortui hominis, ipſi apparentis, eamque maxime ad obſcœnitates verbis, factis, & inſtinctibus fœdiſſime pellicientis; ſed & ex altera parte eſſe eam gaviſam multis raptibus, ecſtaſibus, & apparitionibus cœleſtibus: quibus tamen Antiſtes Cœnobii cum ceteris Monialibus haud prius fidem adſtrinxerit, quam id ipſis a Viris ſpiritualibus Ordinis Franciſcani, quibus ſacra inſpectio in hoc Monaſterium incumbebat, imperatum eſſet: omnia enim iſta phænomena ad alias longe cauſas retuliſſe. Fuiſſe id in raptibus hujus Virginis quam maxime mirabile, quod in illo ſtatu frequentes in nova Mexico aliiſque Americæ regionibus miſſiones obiret non modo, ſed etiam reipſa multa Jndorum millia ad Romanam fidem converteret, quod prodigium multis & paradoxis verbis in *cit. Commentario* deſcribitur. Exinde vero maxime conſtitiſſe, quod vere præſens Spiritu adfuerit apud Indos Maria

 Monialis,

Monialis, quoniam Indi illi converſi Sacerdotibus Catholicis exactiſſime deſcripſerint perſonam, vultum, habitum omnemque formam Magiſtræ ſuæ, quorum omnium archetypon nullibi quam in perſona Mariæ fuerit deprehenſum. Notat autem ad hoc miraculum MICHAEL GEDDESIUS, Eccleſiæ Salisburienſis Cancellarius, qui hanc Vitam Mariæ d' Agreda *Miſcellaneis ſuis* inſeruit, nonniſi poſt 40. annos ab exceſſu hujus Monialis ecſtaticas illius ad Indos miſſiones divulgatas fuiſſe, ceteris quoque omnibus, qui teſtes hujus rei eſſe debuerant, fato pariter defunctis. Etiam illud breviter adjiciendum, ecſtaticam illam prædicationem Evangelii quingentis vicibus fuiſſe repetitam. Reliqua, quæ ſequuntur, non minus ſplendida ſunt. Dabimus verba quædam ipſius Hiſtoriæ. *In hoc ſtatu elevatiore præter Angelum ſuum Cuſtodem ſex alios miniſterio ſuo deputatos habuit Maria. Primus, tanquam interventor in aula cæleſti; ſecundus ut ipſius in eadem aula Orator ſ. internuntius: tertius facem menti ejus præferebat. Quartus propugnator & cuſtos illius erat contra impetus Spirituum hoſtilium. Majeſtatis divinæ ſplendorem ipſi quintus manifeſtabat. Sextus denique*

&

& ultimus ad œconomiam divinæ gratiæ deliciarumque cæleſtium , quibus anima ejus inebriabatur, explicandam ei adſtitit. Poſtquam Abbatiſſa Monaſterii facta eſt, B. Virgo ipſi promiſiſſe dicitur, ſe Præſulem futuram, altera vices illius ſolum geſtura. Quare & nova Abbatiſſa thronum erigi juſſit in medio Chori, ac ſtatuam poni B. Virginis, atque ad hujus pulvinar depoſuit regulas & ſigillum Cœnobii, ritu poſtea apud haſce Moniales duraturo. Porro in eadem Vita commemoratur, datam fuiſſe huic Abbatiſſæ cognitionem rerum creatarum omnium ab Empyræo cœlo ad imum usque telluris centrum cum accuratiſſima diſcretione minutiſſimarum partium: proximam fuiſſe cognitionem diſtinctam totius militantis Eccleſiæ cum omnibus ac ſingulis ejus ordinibus, theſauris atque miraculis, ut & tota œconomia gratiarum donorumque ſpiritualium. Sciviſſe etiam arcana quævis ſtatus Politici per totum terrarum orbem, qua de cauſa ipſe Rex Philippus IV. eam ſæpius inviſerit, perque literas conſuluerit conſilia ipſius in ſummis rebus requirens. Additur, hoc ſubſidio eam aliquando detexiſſe infernales Dæmonum machinationes adverſus Hiſpa-

niam, quam hæretici Catholicis quibuſdam Principibus adjuncti invadere tum temporis conſtituerint: quod vero conſilium detecta Hiſpaniarum Regi atque Pontifici Romano conſpiratione fuerit interverſum. Plura alia ex hac Legenda, ne tædium creemus plurimis Lectorum, de perſonali Hiſtoria Mariæ d' Agreda decerpere jam nolumus.

§. IV.

Pergimus potius ad illius librum decantatiſſimum, cujus ſcribendi elaborandique gratia non modo inſtrumentum delecta eſt divinitus hæc Maria, ſed etiam excellentiſſimis dotibus atque ſubſidiis in hunc finem inſtructa & præparata. Nihil dici poteſt illuſtrius aut magnificentius, quam quod ipſa in *Introductione* ampliſſima Libro ſuo præmiſſa & *primis* illius *Capitibus* de hac re commemorat, aut in *Vita* ipſius ab aliis quoque Autoribus prætenditur. Reluctanti ab initio atque incapacitatem ſuam ac timiditatem diu obvertenti multis rationibus obedientiam Sancti perſuaſerunt Angeli. Archangelus maxime Michaël non inculcavit ipſi tantum voluntatem & juſſa Altiſſimi, ſed etiam internis ſuis illuſtrationibus

&

& doctrinis de magnificis his myſteriis Domini eam inſtituit. Ipſe Chriſtus Dominus, poſtquam in Feſto Conceptionis Mariæ eidem apparuit, conceptis verbis dixit, velle ſe & præcipere, ut reſervata hucuſque occulto ſapientiæ ſuæ judicio arcana per ipſam deſcriberentur, eamque ad obedientiam cohortatus eſt. Tandem non tam hiſce revelationibus & rationibus, ut ipſa palam fatetur, quam obedientiæ erga Præfectos ſuos ceſſit, tantumque opus aggredi apud animum ſuum conſtituit. Scribit hiſtoriam inter ditiſſimos cœli influxus, & tamen poſtea, partim prævalente timiditate propria, partim juſſu Confeſſionarii vicarii, hoc quicquid erat, in ignem conjicit ac diſperdit. At felicius ſucceſſit negotium, poſtquam iteratis ex cœlo mandatis, iiſque accerrimis, ipſi hæc provincia denuo impoſita fuit, Chriſto Domino iterato ſuo alloquio eam conſolante, poſtquam ob combuſtas priores paginas, addita etiam indignationis ſuæ comminatione, ipſam increpaverat. Acceſſit etiam nova B. Virginis apparitio, quæ his verbis eam eſt allocuta: Filia mea, hactenus nondum deſideratos fructus tuliſti ex arbore Hiſtoriæ meæ, quam ſcripſeras, neque ad illius me-

dullam te penetrâſti. Nunc tibi omnes eas dotes confero, quibus opus habes ad id omne, quod Dei dextra in Te operabitur. Id unum neceſſe eſt, ut paſſive te habeas, nec impedias curſum torrentis gratiæ divinæ, quam Omnipotens in me derivavit, ut ex parte in te quoque deflueret. Addita quoque ſunt ſymbola. Induit eam B. Virgo veſte nive candidiore, atque inſtar Solis ſplendeſcente: cinxitque pretioſiſſimo cingulo &c. cum hac paræneſi: Labora fideliter ac diligenter, ut me imiteris, meaque ſis filia genuina ex meo Spiritu generata, & ad pectus meum ſublata. Meam tibi benedictionem impertio &c. Hæc ſi vera ſunt, quid pluribus opus eſt? Iſtis, ſi credere fas eſt, ſubſidiis tandem concinnatum eſt Volumen ſpiſſum Hiſtoriæ illius inſpiratæ B. Virginis, eique ſequens præfixus titulus: *Myſtica Dei civitas, miraculum Omnipotentiæ, & Abyſſus gratiæ: ſive Hiſtoria divina ac Vita Virginis Dei, paræ, Reginæ & Dominæ noſtræ, Mariæ ſanctiſſimæ, culpæ EVæ Reparatricis & Mediatricis Gratiæ, his ultimis ſeculis per eandem Dominam ſervæ ſuæ Mariæ a Ieſu &c. revelata, novam in mundi lucem, in Eccleſiæ Catholicæ lætitiam, atque ad fiduciam mortalium excitandam.* Nec tamen ante obitum, quod quidem mirum vide-

videri poſſit, lucem publicam hic liber adſpexit. Ne vero id ſuſpicionem aliquam fœtus aliunde ſuppoſiti apud difficiliores excitaret, plurima cum diligentia ἐργοδιῶκται hujus operis ſe caviſſe dixerunt, avtographum in ſcrinio defunctæ repertum cum certo ab ipſius manu exaratis ſcriptis aliis conferendo.

§. V.

Summam libri ſi quis deſideret, aut nondum perſpectam habeat, dimiſſis iis, quæ ad Hiſtoriam Chriſti Domini a Sacris Scriptoribus recenſitam, hocque in libro mirificis ac ampullatis ut plurimum circumſtantiis amplificatam pertinent, iſta maxime capita, quibus B. Virginis Hiſtoriam exhibet ex arcanis ſuis hactenus incompertis, delibabimus. Traditur igitur, miniſterio Gabrielis Archangeli Joachimum & Annam, B. Virginis Parentes juſſos eſſe ſe copulare matrimonio, quem in finem Annæ viſibiliter apparuerit, Joachimo tantum per ſomnium admonito. Poſt 50. annorum ſterilitatem, poſt multa inde tolerata opprobria, & fuſas ad Deum in ipſa quoque ab Joachimo delecta ſolitudine preces, eundem Angelum nativitatem filiæ Parentibus hactenus orbis indicâſſe, adjuncto vaticioni,

ticinio, eam fore magnam, electam, omnipotentem & Spiritu S. plenam. Ita fœcundatam fuiſſe Miraculo Annam, ut deinceps ſterilis permaneret, divina operatione temporarium effectum, non perpetuum, relinquente. Intta ſeptiduum, & quidem myſtici ſenſus cauſa delectum, totam formationem B. Virginis in utero materno fuiſſe abſolutam. Immaculatam prorſus cum ratione corporis, tum ratione animæ fuiſſe ipſius conceptionem, eum in modum, ut in maxima parte R. E. docetur, & vere iſta flagrabat eo tempore controverſia. B. Virginem a prima ſtatim conceptione ſumma virtute ac ſapientia floruiſſe actus ſuæ rationis & fidei reflexos jam eo tempore exercentem, ita ut lachrymas quoque in utero matris propter hominum peccata ſparſerit, cetera vero gradu ſola viſione beatifica inferiore Deum Triunum cognoverit, ut & quoſvis homines & angelos cum ipſorum ordinibus, dignitatibus, & operationibus, omnes irrationales creaturas, in ſua quamque indole & conditione: cognoverit creationem, ſtatum, lapſumque angelorum, integritatem & lapſum primorum hominum, naturam cœlorum, ſtellarum, & planetarum, elemento-

mentorum quoque; purgatorii denique, limbi, & inferni. B. Virginem in utero materno cœpiſſe fungi officio Mediatricis, Reparatricis,& Advocatæ. Diabolum ſingularibus hiſce eventibus turbatum conatum fuiſſe primo dubitationem Annæ de veritate conceptionisinjicere;deinde hac aliiſque viis abortum procurare; peregrinas vicinasque, maxime etiam domeſticas, feminas in Heram concitâſſe, ut ipſam plurima cum contumelia & acerbitate tractaverint; omnes autem hos conatus fruſtra fuiſſe. Ipſum pariendi tempus Annam divino indicio præſciviſſe; virginem vero infantem in media illius ecſtaſi in lucem a matre fuiſſe editam, ne ſc. Principiſſa Cœli uſu rationis jam tum prædita naturales partus ſequelas eo tempore ſenſibus ſuis perciperet. Hanc nativitatem SS. PP. continuo Gabrielem annuntiaſſe Angelum, ut appropinquantem Meſſiæ adventum ex nativitate futuræ illius matris intelligerent. Per angelos, & quidem proceſſione diſpoſitos, infantem Mariam recens genitam in cœlum eſſe deportatam &c. (Vid. infra) Hunc raptum cœleſtem Parentes B. Virginis ignoraſſe, quoniam interea Angelus aliquis aſſumto corpore aëreo infantem repræſentaverit. In-

fantem Virginem in cunis manus complicaſſe in forma crucis, utpote crucis filii ſui aliquando naſcituri memorem. Eam mille angelos cuſtodes & miniſtros habuiſſe ordinarios, inque eo numero 70. Seraphinos, diviſis ceteroquin variis inter eos Officiis. Ante tertium ætatis anuum obtuliſſe ſe ad vaſa domus lavanda, & everrenda pavimenta & areas: deſideraſſe etiam ex amore paupertatis veſtem ſimpliciorem colore cinericiam, qualem hodie Moniales S. Claræ gerunt. Tertio ætatis anno ex voto in templum fuiſſe a matre deductam, prout NB. in more fuerit poſitum filiabus primogenitis regiæ tribus Juda, tribusque Sacerdotalis Levi; eamque templum ingredientem vocem audiviſſe dicentem: Veni, Sponſa mea, electa mea: veni in templum meum, in quo abs te laudari & celebrari cupio. Hac occaſione ſecunda vice in cœlum deductam eſſe ab angelis, ibidemque votum ſolviſſe caſtitatis, paupertatis, obedientiæ, clauſuræque in templo perpetuæ. Tempore deſponſationis adveniente per miraculum florentis in ejus manibus virgæ in ſponſum fuiſſe electum Joſephum. Tertia vice corporaliter in cœlum translatam eſſe, ut ad negotium incarnationis Filii

Dei

Dei in ipſa præpararetur. Gabrielem Angelum in Legatione ſua multa millia angelorum ſecum attuliſſe, quorum habitus, vultus, & veſtimenta curioſe deſcribuntur. Eodem conceptionis tempore totius cœli commotionem factam, Solem, Lunam, & ſtellas novam lucem accepiſſe: aves ſingulari alacritate ad cantum excitatas, plantas & arbores fructibus atque odore auctas, omnes denique Creaturas occultam quandam vivificationem & mutationem expertas eſſe. In itinere ad Eliſabetam cognatam ægrotos miraculoſe reſtituiſſe, ut & in reditu: ſua oratione & imperio Zachariæ hactenus muto uſum vocis reddidiſſe: abeuntem Johannem infantulum allocutum eſſe, ejuſque manus oſculatum: in itinere Betlehemitico ultra 1000. angelos ordinarios 9000. alios comites acceſſiſſe, ſtipante per totum iter latus Mariæ dextrum Michaële Archangelo. Quod de ipſa hiſtoria partus Dominici recenſetur, *Orat. Natal. I.* notabimus. In itinere præſentationis Ieſu infantis in templo Hieroſolymitano flantibus ventis frigidis B. imperaſſe Virginem, ut molliores erga infantem omnem in ſe moleſtiam converterent. Poſt reditum in urbem Nazaret novas accepiſſe revelationes B. Virginem per Filium ſuum

ſuum ipſi inter alia detegentem, quemadmodum Adamus primus Sociam culpæ Evam habuerit: ita ſecundum ac cœleſtem Adamum matrem ſuam ſociam & coadjutricem in Redemtionis negotio velle habere. Appropinquante tempore proditus Chriſti ad prædicandum Evangelium his verbis B. Virginem SS. Trinitatem eſſe allocutam: Maria, Sponſa & filia mea, offer mihi Unigenitum tuum in Sacrificium. Hoc deinde Mariam feciſſe. Certo ſenſu applicari poſſe ad Mariam, quod de Patre dictum eſt: Sic DEus dilexit mundum &c. ita etiam hanc ſic amaſſe mundum, ut unigenitum ſuum ad ſalutem noſtram daret, &, niſi dediſſet, non potuiſſe impleri redemtionis humanæ opus absque eo matris cum voluntate Patris conſenſu. Additur deinceps, B. Virginem id Filii ſui ſacrificium altera vice iterâſſe, imo ipſum quoque Filium Matri valedicturum veniam ejus exoraſſe & conſenſum, declarantem, ſe opus Patris executurum cum illius aſſiſtentia. Jejunium quadrageſimale Filii in deſerto in domicilio & ſolitudine ſua pariter ſervaſſe B. Virginem, & cum eadem perfectione: ac deinceps partem cibi ab Angelis Domino adminiſtrati recepiſſe; ipſas

etiam

etiam aviculas, quæ cantu ſuo victorem Dominum honorârunt in deſerto, eodem cultu B. Virginem in æde Nazarethana eſſe proſecutas. Cum poſtea Chriſtus Dominus pedeſtri itinere terram peragraret Judaicam, idem quoque præſtitiſſe Mariam patrando miracula, docendo, Dæmones profligando. Eandem a Filio baptizatam eſſe, poſtquam præſentibus primis Diſcipulis ipſum Nazaretam reverſum prona adoraverat: Sicut contra Diſcipuli ei ut Matri ac Dominæ hunc cultum, atque inter eos primus Johannes, exhibuerint; in baptiſmo autem Mariæ hanc vocem auditam eſſe: Hæc eſt Filia mea, in qua mihi complaceo. Chriſtum Dominum una cum Matre Johannem B. ſupplicio ptoximum in carcere viſitâſſe, miraculoſe ac inviſibiliter illuc translatos: totum divina & angelica luce ſplenduiſſe carcerem: confortatum ſuaviſſimo Domini & B. Virginis alloquio Johannem, ipſo adhuc Domino præſente, truncumque decollati inter Brachia ſua tenente, ultimum ictum carnificis excepiſſe. &c. Cum Dominus in monte glorificaretur, eodem tempore præſentem adfuiſſe inviſibiliter B. Virginem, non quod fidei ſuæ corroboratione opus haberet, ut Apoſtoli,

ſed

ſed quia, quod mera apud Apoſtolos fuit gratia, idem quaſi debebatur Reginæ & Matri tanquam ſociæ & Coadjutrici Filii in Redemtionis negotio. In paſſionis Dominicæ tempore B. Virginem Petro Apoſtolo Chriſtum abneganti veniam & remiſſionem impetrâſſe, exeunti etiam poſt abnegationem unum ex Angelis ſuis ſubmiſiſſe, qui ipſum conſolaretur atque erigeret. Eandem partim viſibili præſentia, partim in Spiritu, omnibus paſſionibus & actibus paſſionis Filii ſui interfuiſſe, omnia tanquam præſentem inſpexiſſe accuratiſſime, ſuasque partes habuiſſe in omnibus, tandem etiam ſub cruce Filii ſui dolores ac paſſiones Deo offerentem ac præſentantem. Ad ipſius orationem & imperium facta eſſe miracula eo tempore viſa & audita. Eam una cum Filio DEI moriente Dæmones & Caput eorum, Luciferum, in abyſſum tunc relegâſſe, deinde receſſiſſe in Cœnaculum, & erexiſſe diſcipulos Chriſti, maxime Petrum, (cujus rei paradoxæ commemorantur circumſtantiæ) poſtea reſcuſcitati Domini primam apparitionem, eamque glorioſiſſimam, in comitatu Sanctorum quorumvis & Patriarcharum ex Limbo noviſſime eductorum recepiſſe. Quicquid tem-

temporis Domino reſuſcitato 40. illis diebus ſuperfuerit a neceſſariis apparitionibus, in cœleſti hac aula & congregatione apud B. Virginem in Cœnaculo fuiſſe tranſactum. Aſcendentem Dominum Matrem ſuam ſecum duxiſſe, quæ ſimul in Cœlo & terra præſens erat, ac poſt triduum ſuæ manſionis in cœloglorioſa in hunc mundum reverſa eſt. At reverſam eſſe ex cœlo tanquam Subſtitutam ſ. Vicariam Filii ſui in nova Eccleſia, quo munere tamen ita defuncta ſit, ut in perſona Petri Vicariatum externum & viſibilem ipſi a Domino concreditum, & in ceteris Apoſtolis Sacerdotium honoraret, atque, quamdiu Hieroſolymis una vixerint, quovis mane benedictionem ab ipſis peteret impetraretque: Poſtquam in Pentecoſtali concione tria hominum millia ad Dominum converſa fuerunt, Petrum hos Neophytos omnes ad B. Virginem adductos ſingulari Oratione exhortatos eſſe, ut eam tanquam Matrem, Patronam, & Mediatricem apud DEum, a qua non minus, ac ipſi, nimirum Apoſtoli haberent lucem, conſolationem, remedium contra peccata & quaſvis miſerias vitæ humanæ, reciperent colerentque: Nihil tunc actum eſſe ſ. pro Eccleſia, ſive

contra

contra eam, in quo B. Virgo, ſive clam, ſ. palam, ſive conſilio & doctrina externa, ſ. inſpirationibus & operationibus internis, ſ. immediate, ſ. per miniſterium Angelorum ipſi ſervientium ſuas partes non habuiſſet. Symbolum Apoſtolicum juſſu & directione B. Virginis fuiſſe confectum, Petro incipiente, ceteris deinde reliqua ſingulatim adjicientibus, illam vero primam hujus Symboli profeſſionem ad genua Petri, ut Vicarii Chriſti, provolutam edidiſſe. Divina voce juſſum eſſe Petrum cum ſibi, tum cæteris Apoſtolis, diſtribuere & aſſignare provincias, in quibus Evangelium prædicarent, quod & factum eſſe cum ſpecialiſſimo narratur indicio. Fabricâſſe eandem B. Virginem 12. cruces, quas Apoſtoli ſinguli in peregrinationibus ſuis portarent, dediſſe quoque ſingulis Reliquiarium, repoſitis in unoquoque tribus Spinis coronæ Dominicæ, laciniis ex pannis, quibus olim Chriſtus infans involutus fuerat, guttulis item ſanguinis partim in circumciſione, partim in paſſione effuſi. Per ipſam converſum eſſe Saulum. Eam Jacobum in Hiſpania Evangelium prædicanti glorioſe apparuiſſe, eo quidem loco & modo, quo Cæſar-Auguſtæ hodie adhuc ejus rei memoria celebratur.

Eidem

Eidem quoque deinceps, in loco ſupplicii, cum jamjam apud Johannem Apoſtolum moraretur Epheſi, glorioſiſſimo cum apparatu obviam factam viſamque benedictionem impertiviſſe, &, quemadmodum ille directis ad eam precibus rogaverat, animam ipſius ad ſe aſſumtam Filio ſuo in cœlo præſentâſſe, Angelorum aliquo perſonam illius Epheſi interea agente; imo & diſponente B. Virgine, atque unum ex angelis ſuis ad comitatum & defenſionem ablegante, corpus Jacobi Apoſtoli in Galliciam fuiſſe transportatum. Herode porro contra Eccleſiam ſæviente B. Virginem miſiſſe unum ex principibus angelis ſuis ad Thronum Altiſſimi, huncque a SS. Trinitate remiſſum hac forma retuliſſe datum ſibi reſponſum: Princeps Cœli, Dominus exercituum edixit, eſſe Te Matrem, Dominam, & Gubernatricem Eccleſiæ, vult itaque, ut tanquam Regina & Domina Cœli & terræ fulmen anathematis adverſus Herodem pronunties. Eam tamen hanc ſententiam non eſſe executam, niſi poſtquam ſecunda & tertia vice per eundem Angelum exceptiones ſuas in Cœlo interpoſuit, in ultimo tandem imperio & voluntate acquieſcentem, & per eundem An-

gelum ſignificatum in Hiſtoria Evangelica mortis genus ipſi infligentem. Tempore controverſiæ Antiochenæ indeque inſtituti Conventus Hieroſolymitani (Act. XV) Petrum Hieroſolymam ex Epheſo vocaſſe B. Virginem, ſcriptis ad eam literis, quarum titulus fuerit: *Mariæ Virgini Deiparæ Petrus Apoſtolus J. C. Servus ipſius aliorumque Dei ſervorum*: earum vero exemplum in hac legitur Hiſtoria. Veniſſe etiam una cum Johanne Apoſtolo, ſed nonniſi poſt ſuperatam tempeſtatem atrociſſimam & diuturnam, & ſuperatam quidem, licet præſente & apparente Domino ipſo, imperio B. Virginis Luciferum hujus turbinis Autorem ex Mari Mediterraneo valide profligantis. Claudit denique, ne quidquam ultra addamus, Hiſtoria aſcenſionis B. Virginis in Cœlum, primum quidem anima, deinde etiam cum reſuſcitato corpore. Circumſtantiæ ſunt, non modo hactenus recenſitis, verum & innumeris aliis ejuſdem tenoris, quæ ſilentio præterivimus, ſimillimæ.

§. VI.

Quod ad fata hujus libri attinet, dici non poteſt, quanto cum applauſu primum in

in Hiſpania, in qua poſt obitum Autoris in lucem protractus eſt, deinde ſenſim ſenſimque in omnibus Orbis Catholici partibus is fuerit ſuſceptus. Oſtendunt hoc editiones frequentiſſimæ, quarum prima An. 1666. Madriti procurata eſt ex avtographo. Secutæ ſunt aliæ, partim in idiomate primitivo, h, e. Hiſpanico, partim in verſionibus, Uliſſiponæ, Perpiniani, Antvverpiæ, Maſſiliæ, Panormi, Milani & (quam ipſe ex Italica verſione poſſideo, & in tota hac Diſſertatione uſurpavi) Tridenti excuſæ, ut alias recentiores, quas Bibliopolæ Germani in noſtro ſermone vernaculo procurârunt, ſilentio nunc prætercam. Accedunt ad idem demonſtrandum magnifica Virorum inſignis apud R. Catholicos autoritatis & doctrinæ teſtimonia, quibus hunc librum ſtatim ab initio muniverunt, ornârunt, & commendarunt Eccleſiæ ſuæ. Hunc in finem conſcripta eſt tota Vitæ Abbatiſſæ illius Hiſtoria, cujus aliquam ſupra epitomen dedimus, & quæ ſola, ſi vera eſſet, omnibus ceteris præſtaret teſtimoniis. ALPHONSUS SALIZANES, Miniſter tunc Generalis ordinis Franciſcani, in epiſtola ad Provincialem de Burgos, JOSEPHUM XIMENES SA-

 MINIEGO,

MINIEGO, magnum totius hujus Scenæ inſtructorem, cenſuræ & veniæ impreſſionis loco data teſtatur non modo, ſex doctiſſimos Viros, quorum nomina & officia indicat, ſeveriſſimo examine de rebus & verbis inſtituto communi conſenſu deprehendiſſe ac judicaſſe, quod nihil ibi extet Sanctæ Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium: idemque judicium ſuo poſtea ſuffragio pleniſſime approbat atque confirmat. ANDREAS MENDO, Concionator & Theologus Regius ex Societate Jeſu profeſſus eſt, mirifice ſe affectum eſſe claritate, dexteritate & profunditate Scriptoris, unde plane cognoverit, cœleſtem hanc eſſe doctrinam, & pennam Autoris a manu plus quam humana directam: omnia, quæ ibi contineantur, veritates eſſe ſinceras nullis revelationibus apocryphis, aut vanis diſcurſibus permixtas: ſub finem quoque repetit, nullam in hoc libro doctrinam, clauſulam, rationem, aut verbulum extare, quod Scripturæ, fidei Catholicæ, pietati aut bonis moribus repugnet, imo eum ſublimis & ſanæ doctrinæ pleniſſimum eſſe. MICHAEL d' ESCARTIN, Tarraconæ Epiſcopus, ſuo in teſtimonio multis plane & ſeriis argumentis divi-

divinam hujus libri avthentiam probare conatus eſt. DIDACUS de SYLVA, Ordinis Benedictini Monachus, & Epiſcopus Gaditanus poſt maxima elogia ſuam his verbis concludit ſententiam: dolere ſe, quod ſapientia careat angelica, cujus beneficio ſuum æſtimium, deſiderium, atque venerationem pro merito hujus libri ſatis luculenter poſſet exprimere. Neque dubium eſt, plura id genus novis, quæ poſtea ſecutæ ſunt, editionibus ac verſionibus paſſim acceſſiſſe, de quibus eos diſpicere volumus, quibus id negotium curæ cordique eſt. Conſonant certe cum eo, quod Advocatus Fiſcalis FIRMATUS ARACIELI dato ex mandato teſtimonio affirmavit, meruiſſe hunc librum notorium illum & communem applauſum, quo gaudeat. Poſtquam occaſione verſionis Gallicæ hujus civitatis Myſticæ nonnulli Doctores Sorbonici ſuam in hunc librum ſtrinxerunt cenſuram, de qua poſtea nobis erit dicendum, usque adeo hæc ſententia diſplicuit multis aliis, ut fere cum indignatione eam exceperint; quam in rem BÆLIUS in ***Dictionarii*** ſui *T. I. tit. Agreda* ſchediaſma quoddam allegat hujus tituli: *L' affaire de Marie d' Agreda & la maniere, dont on a cabalé en Sorbonne ſa condamnation; & ex eo ſeqq. verba*: ***L'*** *odeur de*

 ſaintetè

ſainteté, dans laquelle eſt morte cette bonne Religieuſe, & la canoniſation, qu' on pourſuit en la Cour de Rome, m' avoit donne une ſi haute idée de ſa perſonne, que je fus ſurpris d' apprendre, que la Faculté de Theologie de Paris s' aſſembloit pour condanner ſes ouvrages. & rurſus: *C' etoient quelques ames venales, qui a la ſollicitation des 3. Prelats, aux quels ils ſont devouez, en pourſuivoient la condamnation.* Contigit equidem Romæ, ut hic liber juſſu Tribunalis Inquiſitorii inter libros prohibitos aliquandiu interdiceretur, procul dubio, quia non diu ante hæc tempora contra falſas, eaſque famoſas, reliquias in agro Granatenſi detectas, diuque a ſuperſtitioſis Hiſpanis protectas acris Romæ lata fuerat ſententia, & recenti adhuc Urbani IIX. decreto nimiæ in his caſibus feſtinationi cautum erat. At prudentiæ prophylacticæ potius id opus videbatur, quam exactæ ac decretoriæ cenſuræ; Innocentius enim XI. Papa alias haud nimiæ credulitatis ex fama reus, precibus Regis Hiſpaniæ, Caroli II. & Reginæ hoc dedit, ut per Brevia Apoſtolica interdictum in eorum gratiam ſolveret, idque per Nuntium ſuum Mellinum Aulæ Hiſpanicæ renuntiaret, a quo tempore nullum ex parte Romæ obſtaculum liberrimus hujus Hiſtoriæ uſus invenit. Imo prorſus digna ſunt memoratu, quæ in

in *Commentariis Trivultinis* ad *An. 1725.* ex Roma *Nova* in hanc rem recitantur *Literaria.* Hæc ſunt illius *Diarii* verba: *On voit icy* (ſc. Romæ) *un imprimé de huit grandes pages d' impreſſion ſerrée ſans nom d' Auteur ou d' Imprimeur, qui a pour titre: Relatio ſtatus cauſæ librorum ſub titulo: Myſtica Dei civitas: a Ven: Serva Dei, Maria a Jeſu d' Agreda, conſcriptorum contra æmulos, publicantes, prohibitos eſſe, ut impediant eorum lecturam & fructum inde provenientem. L' Auteur apporte les preuves les plus apparentes pour perſuader, qu' en Eſpagne apres un long examen ces liures ont etè approuvez, & leur lecture permiſe par le Tribunal de l' Inquiſition: que le decret du S. Office, par lequel ils furent deffendus le 26. Juin 1681. fut revoquè ou ſuſpendu le 9. de Nov. de la meme année par Innocent XI. a l' inſtance du Roi d' Eſpagne, de la Reine, & de la Reine douairriere: que les Papes Alex. IIX. Innoc. XII. & Clem. XI. n' ont point regarde cet ouvrage comme defendu; qu' enfin le 26. de Sept. 1713. la Congregation de l' Indice a declarè, que ces liures ne ſont pas defendus, mais qu' il etoit permis de les lire, comme avant le decret du 26. Juin 1681. Pour comble on rapporte 3. miracles, comme ayant eté faits en confirmation de la bonté de ces liures.* V. *menſ. Sept. l. c. p. 1699.* Nec certe absque ratione hæc nova iſti, quod citavimus, Diario inſerta ſunt.

§. VII.

Hactenus propitia libri facta recenſuimus. Pergendum jam eſt ad ſiniſtra. Su-

ſpenſio Congregationis Romanæ jam citata vix meretur huc referri, cujus judicii rationes latent in præcedentibus. Altioris indaginis eſt cenſura DD. Sorbonicorum A. 1696. in verſionem Gallicam Civitatis Myſticæ a THOMA CROSETO, Recollectorum Ordinis, eodem anno Maſſiliæ editam, recenſita in Diario Eruditorum, ſ. Journal des Savans ad A. 1696. atque inde a BÆLIO in ſuos loculos derivata. Sc. 68. Propoſitiones pro more ex eo libro extractas damnarunt Cenſores ut temerarias, ut contrarias ſapientiæ regulis ab Eccleſia præſcriptis, ut fabulam & autorum Apocryphorum ſomnia redolentes, denique ut exponentes hæreticorum & impiorum deriſioni religionem Catholicam. Docet interim eadem Hiſtoria, rem iſtam non eſſe abſque magno tumultu in Sorbona geſtam, opponentibus quibuſdam Collegis, non eſſe licitum præcipitare damnationem libri, cujus examen ſibi Summus reſervaverit Pontifex, imo jamjam demandaverit Cardinalibus a ſe ad hoc negotium deputatis. Quam juſta igitur & ſapiens iſta DD. QQ. Sorbonicorum ſententia ob momenta ſua interna videri poſſit, nullam tamen autoritatem publicam adepta eſt, quod ipſum

procul

procul dubio & aliarum muſſitationum & opinionum clandeſtinarum fatum fuit, quales ne in ipſa quidem Hiſpania, & quidem apud Viros non infirmi ordinis, deficere, teſtes adſunt honeſti & periti. Interim cum Sole ſit clarius, totam hanc ſcenam comparatam eſſe ad divinam ac cœleſtem dogmati de immaculata B. Virginis conceptione, aliisque ſimilibus, autoritatem conciliandam, per ſe clarum eſt, fieri aliter non poſſe, quin totus Ordo Dominicanus hunc librum tanquam ſuſpectiſſimum repudiet. Nec tamen publicum ejus rei teſtimonium mihi jam occurrit præter illud, quod in IGNATII HIACYNTHI AMATI de GRAVESON *Hiſtoria Eccleſiaſtica variis Colloquiis digeſta T. VIII. Part. I. p. 76. b.* invenio. Verba Scriptoris ſatis adhuc recentis ex Ordine Dominicano, & quidem in libro Romæ in gratiam Principis, ſummis procul dubio dignitatibus Eccleſiaſticis deſtinati, ſcripto extantia hæc ſunt: *Alia*, inquit, *Cenſura perſtrinxit eadem Pariſienſis Facultas quendam Librum, cujus Autoris nomini parco, in quo novæ & hactenus inauditæ jactabantur revelationes, quas non recepit Eccleſia, Scripturæ S. ad ſenſum improprium detorquebantur, & multa ſtupenda obtrudebantur miracula ac prodigia, inter quæ hoc unum præ ceteris aliis me olim legiſſe adhuc*

 memini

memini, quod videl. Beatiſſima Virgo Maria, ſtatim ac nata eſt, ab angelis fuerit adorata, & actutum celebri pompa ac ſolenni angelorum comitatu in cœlum etiam cum corpore translata & poſita in Altiſſimi throno &c. Profecto hiſce revelationibus opus non habet Eccleſia, nec illis fictitiis prodigiis indiget Beatiſſima Virgo Maria, quæ omnigena cœleſtium donorum copia abunde exornata innumeris ac veris cumulatur honoribus. Hinc merito culpari debent illi Scriptores, qui, ſive deſcribendo Vitas SS. ſive Chriſti Domini ejusque Virginis Matris texendo Hiſtoriam novas, ſed fictas, revelationes publicârunt, commenta & fabulas inſeruerunt, & inſolita prodigia excogitarunt, quæ ſua novitate ſimplicium animos allicere poſſent. Grande illud malum, pietati ac religioni exitiale, obſervavit ſummus ſui ævi Cenſor ac doctiſſimus Scriptor noſter Melchior Canus &c. Quod ad Proteſtantes attinet, facile utique præſumi poteſt, quid illi de tali libro atque inſtituto ſua ſecundum principia ſint exiſtimaturi. Noſtros quidem de hac re valde ſolicitos fuiſſe, in monumentis publicis non deprehendo. Aliquoties illius meminerunt Eruditi *Novantiquorum* Autores, & quidem ad *A. 1718. p. 243.* occaſione *Miſcellaneorum Geddeſianorum*, idque breviſſime. In *Lexico Hiſt. Univ. T. P. I. 63. ſeq.* paucula quædam ex BÆLIO decerpta ſunt, qui ſua ex parte ſatis in hac Hiſtoria copioſus eſt. In his maxime verbis ejus

de

de *Civitate illa myſtica* ſententia continetur, dum ſcripſit: *L' ouvrage de Marie d' Agreda eſt manifeſtement plein des fables, & des Doctrines abſurdes; cependant comme il favoriſe les fauſſes idèes, que l' on veut avoir de la dignitè eminente, & du pouvoir illimitè de la S. Vierge, il faut ſe ſervir de toutes ſortes des machines pour venir a bout de le cenſurer a Paris. L' Auteur de la lettre* (epiſtolæ ſupra citatæ) *fait plus de tort, qu' il ne penſe, a ſon Egliſe, & a ſa nation, lorsqu' il etale les brigues, qui ont etè employèes par ceux, qui vouloient faire cenſurer la Citè Myſtique de cette Abbeſſe Eſpagnole. Il n' eut point fallu cabaler, ſi les eſprits n' euſſent etè dans un endurciſſement prodigieux: il n' eut point fallu recourir a des adouciſſemens. La Cenſure auroit etè faite du bonnet, & perſonne n' eut murmurè. Tous les Tribunaux de l' Inquiſition euſſent prevenu la Facultè de la Theologie de Paris, au lieu, qu' ils ſont ſi alertes a condamner les ouvrages, qui s' oppoſent tant ſoit peu aux traditions les plus douteuſes, mais favorables a l' augmentation du culte des ſaints. l. c. lit. D. p. 99.* MELCHIOR GEDDES, Cancellarius Eccleſiæ Salisburienſis, totam quidem Mariæ d' Agreda Vitam variis annotationibus reſperſit, ſed ſub illius finem ſenſum animi ſui his maxime verbis complexus eſt. *Hi Annales*, inquit, *tot ſcatent figmentis, iisque depromtis e ſpuriis atque ſuppoſititiis ſcriptis, quæ jam ante 13. ſecula rejecit Antiquitas: item tot Scholaſticis ac Myſticis opinionibus, ut nemo, niſi ſuperſtitione plane occæcatus,*

clare

clare non percipiat, libros hoſce partum eſſe hominis in libris nauci verſatiſſimi, & qui tam in Myſtica, quam Scholaſtica Theologia omne tulerat punctum. Idque tam clarum eſt, ut nemo ſatis deteſtari poſſit impudentiam oris, & perfrictam frontem eorum, qui putidum iſthoc figmentum pro divina Hiſtoria Orbi Chriſtiano venditare atque obſtrudere non erubuerunt. Neque ſatis deplorare poſſumus ignorantiam & cœcitatem illorum, qui credunt, Hiſtoriam iſtam a dicta Moniali divinitus inſpirata fuiſſe conſcriptam: id quod tamen in Hiſpania & Luſitania nemo non ſibi perſuadet, ſolis exceptis Dominicanis Fratribus, quibus, quod immaculatæ conceptionis Liber hic fundus ſit, improbatur, & Jeſuitis, qui portentoſis converſionibus Neo-mexicanis non plus fidei adhibent, quam Quixoti fabulis. Hactenus GEDDESIUS ex verſione mihi, quia anglica non calleo, a Viro quodam Docto ſubminiſtrata. Ad extremum adjicio ἐπίχειρον Celeb. Critici, Dn. *la* CROZE, qui occaſione non admodum quæſita hæc ſcripſit: *Mais, ce qui eſt encore plus deplorable, on a ſubſtituè a l' Ecriture S. un nouvel Evangile, que l' on pretend dicte de la bouche meme de la S. Vierge, Ouvrage, dans lequel il y a plus que du Fanatiſme. Je parle ici de la Cite Myſtique de Marie d' Agreda, qui eſt a preſent traduite en pluſieurs langues, & dont toutes les Editions ſont autoriſées par les Univerſitez d' Eſpagne, & par les louanges & le conſentement de l' Inquiſition. Tout Chretien judicieux & ſavant, qui voudra ſe donner la peine de lire ce liure, y*

de-

decouvrira bientot un deſſein ſecret de tourner en ridicule la religion, & d' en ſapper les fondemens. V. & *ſeqq. Hiſt. du Chriſtianiſme des Indes p. 334. ſeqq.*

§. VIII.

Pluribus teſtimoniis opus non eſt. Poſſunt hæc obvia ad ſcopum noſtrum ſufficere. Meretur autem hæc cauſa non tam autoritatibus, quam rationibus expendi, quales quidem non contemnendæ in allegatis teſtimoniis continentur. Supereſt igitur, ut in compendio exhibeamus argumenta principalia, per quæ fieri non poteſt, quin liber decantatiſſimus origine & autoritate ſua cœleſti dejiciatur, quam ſi amiſit, ne humanam quidem exiſtimationem atque innocentiam tueri poterit. Non operoſe urgebimus argumentum negativum Silentii Scripturarum Sacrarum, quamvis in ſe ſatis validum in his circumſtantiis. Multa prorſus ibi ſunt, quæ, ſi vera eſſent, nequaquam debuiſſent omitti aut negligi a Sacris Scriptoribus, imo potius valere ac innoteſcere per omnes ac ſingulas ætates Eccleſiæ. Si amplificationem & ornamenta harum doctrinarum in tam ſeram ætatem Deo placuiſſet differre, ad

mini-

minimum fundamenta jacta eſſent in S. literis, quorum tamen neque volam neque veſtigium ibi adeſſe ocularis quemque docet inſpectio. Eſt igitur hæc paulo craſſior πρόφασις, quod hæc talia ac tanta noviſſimis temporibus reſervata fuerint, atque ideo nihil eorum in Scripturis S. reperiatur. At majus atque ponderoſius eſt contradicere S. literis, quam in iis non extare. Vidimus quidem, Cenſores hujus libri confidentiſſime teſtari, nihil eſſe in hoc libro Scripturæ contrarium. Sed hoc dignum eſt talibus Viris judicium, qui Scripturas legunt, ut iſti ſolent. Nihil Scripturæ magis contrarium eſt, quam falſa & perverſa interpretatio. Talibus ſcatet hic liber ex cordatorum quoque Catholicorum confeſſione. Et res uſque adeo manifeſta eſt, ut vix alibi tanta in copia, & tam miſera cum receſſione a ſenſu divinitus intento, peccatum eſſe facile quis ſit deprehenſurus. Videantur ſpeciminis loco vel ſoli illi textus, qui ex Apocalypſi Johannis paſſim allegantur. Nihil ea exegeſi infelicius atque ineptius. Et tamen in Vita hujus Feminæ, ut ſupra annotatum eſt, prætenditur, immediatam & ſublimiſſimam rerum naturalium & ſupernaturalium

noti-

notitiam eidem hoc fine fuiſſe infuſam, & quidem, ut Scriptioni hujus Hiſtoriæ cœleſte ac divinum afferret ſubſidium. Nihil Scripturæ magis contrarium, quam errores & falſitates. Quid vero aliud enunciabitur de libro, in quo non modo capitales Eccleſiæ Romanæ errores univerſi, ſed quævis etiam traditiones & minutiæ inaniſſimæ partim Scripturæ teſtimoniis, partim revelatione illa extraordinaria infucatæ in meras veritates arduas, ac cœlitus detectas convertuntur? Nihil Scripturæ magis contrarium, quam additiones & colorationes ipſius ſimplicitate, ſapientia, & integritate indignæ. In hoc libro, cujus maxima pars in uberiori Hiſtoriæ Evangelicæ paraphraſi & divina amplificatione conſiſtere dicitur, paſſim, vel ubique potius, nihil reperias, quam una ex parte exaggerationes incredibiles & ampullatas, ex altera vero aptas infantibus demulcendis fabulas, quas gravitas ac dignitas Sanctiſſimæ Hiſtoriæ certo certius repudiat. Judicet Lector extra partes conſtitutus, annon commentationes iſtæ, quarum vel ſola multitudine & mole Hiſtoria Evangelica obruitur & involvitur magis, quam illuſtratur, famoſis pſevdo *Evangeliis in-*

fantiæ

ſantiæ Chriſti, *Vitis* ejusdem apocryphis, *Pſevdo-Evodiis & Meletiis*, ſimilibusque aliis fabularum reconditoriis longiſſime ſimiliores ſint, quam genuinæ Hiſtoriæ Evangelicæ, qualem nobis Sacri Scriptores reliquerunt? Nonne excuſabiliores fuerunt iſtæ laciniæ traditionum apocrypharum, cum adhuc humana fide & incertis rumoribus ſpargerentur, quam ſunt hodie, dum ſumma cum temeritate pro divinis & irrefragabilibus venditantur veritatibus? dum tanquam excellentiſſima & in noviſſima tempora ex plenitudine gratiæ ac ſapientiæ Dei reſervata Scripturæ S. commendantur ſupplementa? Conferantur ad hunc ſcopum vel ſolæ *Proluſiones Marianæ* B. JOH. ANDREÆ SCHMIDII ex Noſtratibus Theologis, & patebit noſtris, ex quibus fontibus primum hujusmodi traditiones fluxerint, & quam ſtupendum ſit eas ad tantum dignitatis & autoritatis gradum nunc demum velle evehere. Etiam illud certum eſt, omnes prudentiæ regulas in his additamentis violari. Abeſſe debuerat ſtylus ille Scholaſticus, ſalebroſus, & diſputatorius, qui huic negotio tam apte convenit, atque quadrata rotundis. Quare & conſarcinatores hujus fabulæ neceſſe habuerunt

runt confingere, notitiam accuratiſſimam Theologiæ Scholaſticæ Myſticæque Moniali a teneris cum intelligentia peritiaque terminorum fuiſſe inſpiratam. Quis hujusmodi ineptias unquam ſerio credet, aut aliis temere patietur perſuaderi? Abeſſe debuerant otioſa & libera problemata Hiſtorica, critica, dogmatica, & retentis quam caſtigatiſſime gravioribus & maxime ad rem facientibus cetera omnia relinqui diſputationibus doctorum. Nunc vero credere jubemur tanquam indubie verum, utpote cœlitus revelatum, quod antehac ne quidem inter probabiles ſententias locum invenerat ullum. Abeſſe nimia debuerat copia talium cupediarum, ne vileſcerent, & illæ tamen in tam ſpiſſo volumine heic nobis exhibentur largiſſime, ut mole ac numero Hiſtoriam Evangelicam immenſum quantum ſuperent, & vix ullum factum, vix ulla hiſtoria ibidem extet, quæ non adaucta & in elementum novæ hujus Recenſionis converſa ac transmutata fuerit, coactiſſime ſæpe, & absque omni nexu ac veriſimilitudine. Si de B. Virginis dignitate & excellentia animus erat magnifice ſcribere, ea ſaltem dici debuiſſent, quæ cum ſtatu hujus vitæ & pere-

grinationis potuiſſent conſiſtere, abeſſe autem oportebat ἀσύςατα quævis & contradictoria, in quibus manifeſta eſt ſtatus mortalitatis & ſtatus gloriæ confuſio, quæ præterea ad ipſam uſque perſonam Salvatoris, plane contra totius doctrinæ de Humiliatione & exinanitione illius tenorem in S. literis propoſitum, in toto hoc libro extenditur, non alia procul dubio de cauſa, quam ne cogantur Matrem ſupra ipſum evehere Filium. Tolerabilius fuiſſet, & magis ſpecioſum, ſi modeſtis & prudentibus verbis deſcriptus eſſet cultus, quem putant B. Virgini deberi. Sed quod in hoc libro idem cultus B. Virginis ſine pudore inculcatur ea in forma, quæ cum intolerandis, atque ab ipſis cordatis R. Catholicis haud probatis exceſſibus conjuncta eſt, atque ad ſummum uſque ſuperſtitionis gradum provecta, id vere totam denudat fabulam, & ſuis ſe clariſſime prodit indiciis. Sc. jam in ſtatu hujus vitæ adorata & invocata fuit B. Virgo, ac pro Domina & Regina cœli & terræ declarata & agnita ab Angelis & hominibus. Sc. omnia, quæ Chriſtus fecit & paſſus eſt, quæ ipſi evenerunt in Officio ſuo Mediatorio, ſ. bona, ſ. mala, eadem quoque & illa

illa fecit & paſſa eſt, eadem ipſi quoque acciderunt. Sc. Chriſtus neceſſe habuit a Maria Deo offerri! Illius conſenſu opus fuit ad miniſterium adeundum. Absque illius conſenſu ne Pater quidem cœleſtis Filium ſuum in mortem & ſacrificium tradere potuit, vel voluit. Quicquid fere vel beneficii, vel pœnæ tunc erat diſpenſandum, non ipſe Filius DEI, ſed B. Virgo Matris & Reginæ poteſtate executa eſt. Si vel iſta ad Filium remiſit per legationem angelorum ſuorum, id unum reſponſi loco obtinuit, poſſe ipſam ſuo jure uti &c. Quam prodigioſa quæſo hæc ſunt aſſerta, omnique ſanæ Theologiæ contraria! Plura, nec leviora, ipſe facile Lector adjiciet. Nobis ad alia progrediendum eſt.

§. IX.

Subiungimus quæſtionem: an liber iſte *Civitatis Myſticæ* pro approbato in R. Catholica Eccleſia poſſit haberi, nec ne? Erunt procul dubio, qui negent eſſe approbatum, ut vel ex Graveſoni ſupra citata intelligimus ſententia. Sed potiores eſſe affirmandi rationes, admodum veriſimile eſt. Prodiit liber cum ſolennibus Doctorum approbati-

onibus. Habent iſtæ maximum pondus, quam diu Superior Poteſtas eas non reſcindit aut rejicit. Id hactenus factum non eſt: imo potius prima, quæ Tribunal Inquiſitionis ad cautelam objecit tantiſper, impedimenta diu non duraverunt. Liberum fecit librum Innocentius XI. & ſententia quidem poſitiva. Reliqui Pontifices ſucceſſores nihil ſtatuerunt hujus libri juribus adverſum. Id ſufficit ad approbationem, ſi quæſtio ſit de libro accuſato & ſub examen vocato; præterquam quod ne opus quidem ſit, aut moris Romani, ut Romani Pontifices de ſingulis libris, quibus in Eccleſia R. tanquam bonis & ſalutaribus uti licet, publicum ſtringant judicium. Accedunt editiones & verſiones frequentiſſimæ: uſus univerſalis: publica hujus libri ad Summos Principes dedicatio; Spes & expectatio Autoris inter Divas referendæ: altum ipſorum etiam diſſentientium ſilentium, vel timidiſſima ſaltem contradictio. Hæc omnia ſigna ſi librum aliquem approbatum non indicent, quid tandem requiretur? Etiam hæc ratio conſideratione digna eſt: fieri ſc. per ipſam rei naturam non poſſe, ut media inter ſummum hujus libri cultum & indignabundam ejus rejectionem

via

via teneatur. Aut vera ſunt, quæ de perſona Autoris ac de libri hujus natalibus ſupra retulimus ex monumentis publicis, aut falſa. Si vera habeantur, non certe liberum tunc erit eadem vel admittere, vel ſuo loco relinquere. Omnis cunctatio, dubitatio, aut repudiatio in contumeliam ipſius Dei, Chriſti, & B. Virginis redundabit. Repudiabitur liber divinus & canone dignus. Suum excellentiſſimo & ipſam etiam Scripturam plenitudine luminis & gratiæ ſuperanti cimelio denegabitur pretium. Si falſa ſunt, quam horrendum id crimen, quam fœda impoſtura, quam periculoſa illuſio hæc eſt! Deteſtanda & ad orcum releganda ſunt hæc media cum tanta nominis divini profanatione conjuncta. Hinc jam colligimus, Eccleſiam Romanam, cum non poſterius, ſed prius credat, ipſoque opere ſe credere demonſtret, librum iſtum reipſa amplecti & colere talem, qualem ſe venditat. Dixerit forte aliquis, hæc cogitata noſtra oriri ex ignorantia conſuetudinis & prudentiæ Romanæ. Hanc non probare omnia, quæ tolerat. Ad multa connivere, donec liquidius pateat, quid de illis ſit mature tandem ſtatuendum? Uſque dum a Sede Apoſtolica quidquam fue-

 rit

rit definitum, omnia fide ſolum humana, nondum vero divina, recipi & credi. Non eſſe conſultum, ut ſtatim damnentur aut rejiciantur poſitiva ſententia hujuſmodi libri, turbari enim pietatem fidelium, eosque per cenſuras intempeſtivas in ipſa quoque cultus Sanctorum & B. Virginis ſubſtantia vacillare, quod utique cavendum ſit. Enimvero has conſuetudinis & prudentiæ Romanæ regulas non ignoramus. Integrum fere ſeculum a primis hujus libri incunabilis effluxit. Fert igitur ætatem. Neque quicquam eſt in poſterum, quod metuat. Deinde falſum eſt tolerari ſolum, quod ubique tanto cum applauſu & cum ſtupenda aviditate permittitur excipi. Niſi crederent, bonum eſſe hunc librum & innocentem, ac prodeſſe ipſum nutriendæ fidei ac pietati Chriſtianorum R. Catholicorum, nunquam factum eſſet, quod factum re ipſa eſſe, in hunc usque diem clamat experientia. Diſtinctio inter fidem humanam & divinam hac in cauſa merus fucus, mera fraus Politica eſt. Sc. hoc ſub præſidio tuta eſt privatorum ſuperſtitio, & ex parte Summorum Antiſtitum ſemper ſalva eſt rima elabendi, ſi præter ſpem & expectationem aliquid erratum eſſe vel tandem

omnibus

omnibus pateſiat. Sed non curabit Juſtus Judex hanc diſtinctiunculam, quodſi interim tot mille animæ ſub velo humanæ fidei aut credulitatis permittuntur ſeductioni & abuſui ſacroſancti nominis ſui. Quodſi ſeductæ hæ animæ credunt, Deum hæc omnia revelaſſe, & quidem maxime ſublimi manifeſtationis genere, certe Deo hæc revelanti putabunt ſe credere, & ſic eorum fides aut falſa eſt, aut divina. Abſurdum eſt motivum fidei divinæ alibi quam in teſtimonio divino quærere. Hoc vero adeſſe non dubitant. Si R. P. ſua deciſione efficere poteſt, ut hæc humana fides in divinam convertatur, nec tamen hoc utitur medio, non certe prudentia hæc eſt, ſed inexcuſabilis negligentia in uſu ſuæ infallibilitatis, a qua hæc transmutatio fidei divinam in indolem atque certitudinem dependet.

X.

Quicquid vero illi de hoc libro credant, aut non credant, expendi ſane meretur, quam ſcandaloſa & fœda inde fluant confectaria, ſi per graviſſimas rationes & indicia appareat omnis illius ſcenæ falſitas.

Sponte ſua indé conſequitur, vel Monialem illam Hiſpanicam miſeris illuſionibus fuiſſe deceptam, & imperite a Magiſtris ſuis ſpiritualibus hunc Enthuſiaſticum Spiritum foventibus tractatam: vel eam hunc librum ab aliis compoſitum ſibi paſſam eſſe ſupponi, ſeque ipſam induci, ut religionis promovendæ cauſa omnem iſtam ſpeciem fingeret ac mentiretur, quod ſane facinus priore malo longe eſſet fœdius atque deterius: vel Monachos Franciſcanos totius impoſturæ Autores fuiſſe, & poſt fata maxime Mariæ d' Agreda de ipſa dixiſſe & venditâſſe, quæcunque voluerunt. Quodcunque horum aſſumatur, peſſimi certe exempli & periculoſiſſimæ conſequentiæ emerget negotium, Eccleſiæ Romanæ non admodum honorificum. Si falſa ſunt iſta, patebit exinde, quousque cæca & imperite facilis credulitas non vulgus tantum, ſed Magnos etiam & Doctos Viros apta nata ſit provehere, ut vel unius feminæ ſomnia, vel unius aut alterius Monachi impoſturæ, unice propter affinitatem quandam cum opinionibus regnantibus, tantam partem Eccleſiæ in admirationem, applauſum, & conſenſum abripere poſſint. Si falſa ſunt, patebit, regnare in Eccleſia R. injuſtum

hoc

hoc principium ac vere noxium, quod ſatius ſit etiam incertis, nimiis, & falſis in materia devotionis, imo etiam fraudibus hujus generis, liberum permittere curſum, quam vel eminus aliquod accerſere periculum, ne quisquam ex eorum cenſura vel interdicto ſuſpicionem hauriat, aut metum, abſolutæ ac illimitatæ ſubmiſſioni erga ſuos Doctores & Antiſtites contrarium. Si falſa ſunt, patebit, quam parca ſit in ea Eccleſia diſcretio Spirituum, cujus tamen tam amplas ſe poſſidere credit divitias. Quodſi enim ne tanta quidem rationum pondera, quanta in hac cauſa magno apparent numero, diffidentiam apud Viros alias tam ſagaces & acutos excitant, nihil ſupereſt, quam ut credamus, nolle eos videre veritatem, & hæc phænomena non ex veritate, ſed utilitate, ſolere metiri. Si falſa ſunt, patebit, rectiſſime & ſapientiſſime facere Proteſtantes, quando tot Legendis, narrationibus, & mirabilibus hujus Eccleſiæ parum commoventur: Vel manibus enim palpant, inter tot exempla malæ fidei de maxima iſtarum traditionum parte ſe nunquam eſſe ſecuros. Si falſa ſunt, patebit, in Eccleſia Romana non meliorem, ſed majorem prævalere partem, & eſſe longe abſur-

abſurdiſſimum, huic potius, quam illi, ſe totum permittere. Denique ſi falſa hæc ſunt, ac tam valida adſunt falſitatis indicia, patebit, Eccleſiæ Romanæ Antiſtites, etiam Summum, coram Deo inexcuſabiles eſſe, quod in re tanti momenti ſuum non faciunt officium; de quo tamen ipſi viderint.

§. XI.

Ad extremum quod in ſpecie attinet ad ſuſpiciones Celeb. LA CROZE ſupra adductas, eas ſuo loco pretioque relinquimus: fatendum tamen eſt, quod Vir ſtatus Eccleſiæ Romanæ ex vetere experientia peritiſſimus analogo, eoque valde adæquato, exemplo, quod ibidem pluribus verbis allegat, permotus in eas cogitationes inciderit. Putem vero, ſatis originum alterius ordinis in promtu eſſe, unde Hiſtoriæ illius inſpiratæ natales poſſint commode & plene derivari. Hinc mihi MICH. GEDDESII annotationes paſſim interſperſas, prolatamque tandem ſententiam, magis placuiſſe, totique negotio convenientiores videri, non diffiteor. Supereſt jam, ut Lectori repræſentemus ex hoc Libro Liturgiam

turgiam illam Evchariſticam, cujus gratia totam hanc Præfationem conſcripſimus. Præſtabit illa vicem ſpecialis exempli, quo hactenus paulo generalius dicta non parum illuſtrari poterunt & confirmari. Eam certe nemo leget niſi ſtupens, & plenus indignationis adverſus ſummam talia ſub nomine divinæ revelationis obtrudendi audaciam, ex quocunque tandem fonte ac principio profecta ſit. Neque fruſtra aut gravi absque ratione hæc dici, cum lectio ipſa, tum noſtræ ad hanc Liturgiam annotationes, docebunt, quas quidem non dabimus niſi neceſſarias & principes, ne otio Lectoris Christiani, melioribus maxime principiis innutriti, abuti velle videamur.

SEQUI-

SEQUITUR JAM IPSA

HISTORIA INSTITUTIONIS COENAE DOMINICAE

COELITUS INSPIRATA ET DICTATA

EX

MARIÆ D' AGREDA CIVIT, ATE MYSTICA

P. *II.* *L. VI.* *C.* XI. *TOM. III.*

vers. Italicæ ſec. edit. Trid. *p. 244.* uſque ad *p. 257.*

MAgno cum timore præſentem tractatum de hoc miſteriorum myſterio, auguſtiſſimo ſc. Evchariſtiæ Sacramento, iisque, quæ in ipſius inſtitutione contigerunt, aggredior: quare, dum mentis oculos ad lumen, quod me in hoc negotio gubernat & dirigit, recipiendum attollo, tot mirabilium rerum, tot Sacramentorum ſimul conjunctorum intelligentia cum adeo exili mea facultate comparata

parata me plane pudefacit: ut turbato ſim animo, cum verba ſatis idonea ad explicandum, quod video, mentemque meam exprimendam deficiant. (a) Poſt legalem cœnam, quam a ſtantibus & quaſi in itinere

(a) Horum verborum occaſione, & ſuadentibus fundamentis ſupra poſitis, multa venire poſſunt in mentem Lectoris attenti. Vera cum non ſint, quæ hic traduntur, tanquam a Spiritu Dei profecta recipi non poſſunt. Quod ſi autem cogitat, pia, quam vocant, fraude Moniali hunc fœtum fuiſſe ſuppoſitum, certe ſibi temperare non poteſt, quin deteſtetur abuſum nominis divini in his verbis latentem. Si credit, hæc ſcripſiſſe ſuo ex ſenſu Monialem, & prætextu tamen divini nominis, atque luminis extraordinarii ſcientem volentemque ſimulaſſe affectum verbis iſtis expreſſum, ne ordinaria tantum & nota omnibus dogmata tradere videretur, mirabitur ad minimum, quousque audacia cordis humani in rebus quoque divinis poſſit procedere. Denique ſi ſibi perſuadet, (quod quidem minus probabile eſt, quam cetera) dictata illa univerſa revera quidem obveniſſe animo iſtius feminæ, ſed a Spiritu illuſionis, qui illius aliorumque credulitate ſit abuſus ad divinam quaſi autoritatem erroribus atque abuſibus in E. R. ex traditione DD. uſitatis conciliandam: cum horrore & humiliatione tum cogitabit de magna poteſtate Principis tenebrarum in Lucis quoque Angelum ſe transformandi.

nere poſitis fieri oportebat, uſuali cœna defunctus eſt Chriſtus, accumbens cum Apoſtolis ad menſas vel ſcabella ſeptem ſex digitos ſolo ipſo altiora, ad quorum ſingula tres, ex more Hebræorum, cibum capere ſolebant. Abſoluta poſtmodum lotione pedum juſſit ipſius Majeſtas præparare menſam aliam eo gradu elevatam, quo noſtræ ſolent eminere: quo ipſo finem ceremoniis legalibus, rebusque per humiles menſas priores figuratis, impoſuit, initiumque fecit conſecrandi in menſa ſeu altari elevato, quale hodie apud Eccleſiam Catholicam in uſu eſt. (b) Tegebat tunc menſam novam ſumtuoſa mappa, eique ſuperim-

(b) Si quisquam Doctorum Scholaſticorum hæc proponeret, dubiasque & controverſas interpretum Hiſtoriæ Evangelicæ ſententias atque conjecturas in hunc modum digereret, facilior utique eſſet venia, ejusque opiniones ceterarum in opinionum catalogo ea cum conditione locum invenirent, ut poſthac novam refellendi materiam Harmoniæ Evangelicæ Scriptores haberent. Verum quod Oraculi inſtar & per dictata quaſi cœleſtia credere jubemur, Dominum cum diſcipulis ſtando celebraſſe cœnam legalem ſ. Paſchalem, cum Scriptura eum menſæ accubuiſſe conceptis verbis referat, ipſique etiam Judæorum Magiſtri, excepto Paſchate primo Aegyptiaco, ſtationem nec neceſſariam, nec uſi-

ſuperimponebatur diſcus cum poculo inſtar calicis formato, quod vino neceſſario ſecundum voluntatem Chriſti, Salvatoris noſtri, diſpenſando ſufficeret. Ipſe Paterfamiliâs divino inſtinctu admonitus vaſa hæc pretioſa & ſmaragdina dono deinceps dedit, unde & poſtea Apoſtoli, quoties facultas ipſis erat loci temporisque, quo cœnam celebrarent Dominicam, iisdem uti perrexerunt. (c) Poſtquam igitur Chriſtus

---

tatam apud ſe fuiſſe teſtentur; quod credere jubemur cœlitus, tres diſtinctas cœnas fuiſſe, lotionem pedum fuiſſe intermediam, in elevatione menſæ, uſu novi altaris modernis ſimilis rituque comedendi tantam mutationem, & quidem ad ſignificationem diſcriminis V. & N. T. interveniſſe, id vero manifeſto ſatis indicio vel fraudem, vel illuſionem hujus ſcriptoris prodit. Hic enim partim Scripturæ ipſi contradicere, partim omnium diſſimillimas vero ex omnibus interpretum conjecturis eligere, partim nova myſteria plane ſuperflua ex partium ſtudio confingere deprehenditur.

(c) Pretioſis vaſis ac ſupellectile cara in adminiſtratione prima ſacræ Evchariſtiæ uſum eſſe Dominum, tantum conjiciendo hactenus divinarunt Scriptores Romanæ Eccleſiæ Liturgici. Cum enim nihil hujuſmodi oſtendat, imo ne inſinuet quidem Hiſtoria Evangelica, id unum ſupererat, ut ad rationem decori & convenientiæ confugerent. Au-

Chriſtus cum duodecim ſuis Apoſtolis, & quibusdam aliis diſcipulis, conſedit ad menſam: panem azymum afferri juſſit, vinumque purum, de quo quantum neceſſe erat, pane diſco impoſito, calici infudit. Dehinc

diamus ex multis Card. BONAM: *Quis vero*, inquit, *qualisve fuerit primi hujus ſacrificii apparatus? incertum eſt, vixque aliud dici poteſt, quam omnia decentiſſime compoſita & ornata fuiſſe, quantum loci, temporis, perſonarumque conditio, atque aliæ circumſtantiæ permittebant. Rer. Liturg. L. I. C. V. p 41.* De calice vero, quo Chriſtus primum uſus ſit, ex Baronio ad A. C. 34. n. 63. refert, *argenteum fuiſſe hinc inde duas habentem anſulas, Bedæ adhuc tempore Hieroſolymæ viſum & aſſervatum. l. c. L. I. C. XXV. p. 370.* Quodſi vero Liturgiam noſtram inſpiratam conſulimus, cadit quidem calix ille argenteus, & Hieroſolymitanum illud depoſitum ſuum amittit pretium, quia nunc traditur, vaſculum illud ſ. calicem fuiſſe ſmaragdinum (*tutte queſte coſe ricche & pretioſe di petra di ſmeraldo*:) ſed aliunde reſarcitur continuo hæc jactura per divinam certitudinem adminiſtrati ſtatim ab initio magnifice Sacramenti, ut eo minus cauſæ habeant hæretici magnificentiam ſacrorum ſacri luxus titulo reprehendendi. Mirum, quod nulla veſtium ſacrarum in deſcribendo hoc actu fiat mentio; quarum alias non ſolent obliviſci Scriptores R. E. Hiſtorici atque Liturgici. Confer. omnino THOMASSINUS *de V. & N. Eccleſiæ diſciplina P. I.*

hinc, & ſtatim poſt iſta, Dominus vitæ Apoſtolos verbis ad initimas usque medullas penetrantibus alloqui cœpit, dulcemque flammam ac incendium amoris ſuo ſermone in iis excitavit: alia quoque myſteria celſiſſima de ſua divinitate, de humanitate, de operibus denique redemtionis ſimul revelavit: atque inſuper charitatis & pacis vinculum commendavit, hancque, quaſi innexam ſacroſancto, quod moliebatur, myſterio ipſis reliquit, addita promiſſione, ipſos ſe mutuo diligentes ab æterno Patre dilectum iri, ſicut ipſum Filium ſuum diligit. Acceſſit, ut eodem beneficio vim hujus promiſſionis intelligerent

L. II. C. XLIV. p. 366. ſeqq. cujus inter alia hæc verba ſunt: *Cæterum*, inquit, *Apoſtoli, cùm regalis Chriſti Sacerdotii, quod ſibi traditum eſſe cernerent, magnam omnino præceptam animo haberent opinionem, intelligerentque, in veteri lege præſcriptum eſſe a Deo, ut Pontifices ſummi in fungendo munere Prophetici Sacerdotii certis quibusdam ac propriis uterentur veſtibus, non potuere, quin & ſuas Eccleſiæ Sacerdotales attribuerent veſtes, unde Sacerdotii ſanctitas apud fidelium vulgus majore in honore eſſet. Nam etſi noſtrum hoc Sacerdotium ſupra veteres umbras & figuras longe excellat, nudam tamen in ſe & apertam nondum veritatem habet, ſed ſignis adhuc ſenſibilibus obvelatum eſt.* Sed hæc ſunt ex minimis.

rent, ſcirentque, ſe electos eſſe ad fundandam novam Eccleſiam, legemque gratiæ, renovato inſuper interno lumine, per quod ſuprema dignitas, excellentia, & prærogativæ, cum ſuæ, tum puriſſimæ Matris Virginis ipſis patebant. Præ ceteris autem propter Officii rationes, cui deſtinabatur, S. Johannes Apoſtolus hac luce colluſtrabatur. Magna vero Domina, loco ſuo ſingulari, in quem ſeceſſerat, in ſublimi contemplatione poſita, omnia, quæ Filius ipſius peragebat, in Cœnaculo obſervabat accurate, profundiſſimeque præ omnibus Apoſtolis, ipſis etiam Angelis in forma corporea ad adorandum ſuum Dominum, Regem, & Creatorem adſiſtentibus, penetrabat. Iidem Angeli in puncto temporis Enochum & Eliam in cœnaculum adduxerunt, providente ita Domino, ut hi Patres, unus ex periodo legis naturalis, alter ex legis ſcriptæ tempore adeſſent fundationi legis Evangelicæ, admirandorumque iſtorum myſteriorum fierent participes. (d). Cum vero

(d) Ut ſc. tota paraphraſis Hiſtoriæ Evangelicæ de Cœnæ Dominicæ inſtitutione ſcateret novis & portentoſis circumſtantiis, Henochus etiam & Elias erant advocandi in cœnaculum, & quidem non ſolum ut teſtes & ſpectatores, ſed etiam ut con-

vero hi adſtarent omnes, & cum admiratione facta Autoris vitæ intuerentur, apparuit in cœnaculo perſona æterni Patris cum Spiritus

---

vivæ. Exiſtimo vero, non ſine Numine factum, ut iſta tam confidenter inſererentur narrationi quaſi ex cœlo acceptæ, poſſunt enim vel ſola ad deſtruendam fabulam ſufficere. Non dicam, formulas Patrum legis naturalis, legisque ſcriptæ, item fundationis legis Evangelicæ Scholaſticam potius Theologiam notorie ſapere, quam Biblicam atque divinam. Non prolixe urgebo, ſi Sancti hi Patriarchæ in forma viſibili præſentes non Domino tantum, ſed ipſis etiam Apoſtolis fuerunt conſpicui, nullam rationem afferri poſſe, cur Sancti Evangeliſtæ hanc circumſtantiam ſibi omnino cognitam majore deinceps ſilentio preſſerint, quam præſentiam Moſis & Eliæ in monte, dum glorificatus eſt Dominus. Ne illud quidem moroſe nunc exagitabo, quod non ex revelatione, ſed ex vulgari admodum traditione ſtatuitur, Sanctos illos in carne mortali tunc adhuc vixiſſe, imo etiamnum vivere; (*li quali ſe trovavano, come anco al preſente ſono, vivi in carne mortale*) etiamſi tota conditio ſtatus cœleſtis, in quo procul dubio vivunt cum reliquis Cœlitibus, ipſa teſte Scriptura mortalitati iſti repugnet, quicquid etiam præter DD. E. R. alii ex modernis definiant & excogitent, ut ſc. defendere poſſint, Moſem & Eliam teſtes illos fore geminos, de quibus Apoc. XI. ſermo eſt, in propria nim. perſona apparituros, prophetaturos, morituros atque

Spiritus S. perſona, eundem in modum, quo id olim factum eſt apud Jordanem & in

reſurrecturos. His vero dimiſſis quis credat Sanctos jam extra hujus vitæ viæque œconomiam conſtitutos Sacramenti viatoribus deſtinati factos eſſe participes, huncque in finem ex paradiſo deſcendiſſe? Quis credat, Petrum Apoſtolum, tanquam primum Sacerdotem, ipſisque hoc nomine ſuperiorem panem porrexiſſe Evchariſticum? Deinde, quid hoc eſt, viſionem beatificam, in cujus ſpe per Evchariſtiam confirmati fuerint, reſpectu Enochi & Eliæ per tot ſecula divina voluntate dilatam ſub finem mundi ab ipſis obtinendam eſſe? (*e dagli effetti della communione queſti due Santi vennero di bel nuovo confortati per l' aſpettatione della viſione beatifica, la quale da tanti ſecoli ſe gli e prolungata per volonta divina, dovendola ottenere al fine del mondo*) Quis ille finis mundi eſt? an finis Teſtamenti & œconomiæ Veteris? num vero conſummatio ſeculi? Si hæc intelligitur, præterquam quod nec Theologiæ R. Catholicæ hæc ſententia concordat, an igitur Enochus & Elias tum demum ad viſionem admittentur beatificam? An ideo corpus & ſanguinem Dominicum in his terris acceperunt, ut ſperare poſſent, ſe poſt multa demum ſecula Deum eſſe viſuros? Paradoxa eſt omni ex parte hæc Enochi & Eliæ Deputatio, & immenſa certe credulitate opus habet, qui hæc tanquam vera, nedum ut divinitus revelata, credere aptus eſt atque idoneus.

in monte Tabor (e) Quamvis autem Apoſtoli diſcipulique omnes ac ſinguli aliquid hujus interius ſentirent, iſta tamen viſio paucis patefacta eſt, Johanni maxime Evangeliſtæ, cui ſemper aquilinus oculus ac privilegium divina intuendi obtigerat myſteria. Eodem momento cœlum univerſum in cœnaculum Hieroſolymitanum ſe

(e) Quæ hic de viſibili apparitione perſonæ Patris, perſonæque item Sancti Spiritus, ac poſtea de utriusque voce & ſuffragio commemorantur tanquam parallela aut ſimilia Hiſtoriæ Baptiſmi & glorificationis Filii Dei cum iis, quæ de manifeſtationibus divinis in S. legimus literis, non conveniunt. In Baptiſmo & glorificatione Chriſti vox Patris audita eſt ex cœlo & nube. Viſibiliter eum præſentem fuiſſe, non legitur. De vocali quodam & perſonali ſuffragio Sancti Spiritus altum utrobique ſilentium eſt. In forma autem humana, & per hanc viſibili ipſum apparuiſſe, nullum plane exemplum habet aut veſtigium. Procul dubio igitur ad meram amplificationem & exornationem Hiſtoriæ inſtitutionis Cœnæ Dominicæ glorioſæ hæ circumſtantiæ excogitatæ ſunt ac deſtinatæ. Quod vero eodem loco additur, cœlum univerſum ſe tunc cum SS. Trinitate in Cœnaculum contuliſſe, (*Si tranſferi in quel punto tutto il cielo nel Cenaclo di Gieruſalemme*) id tanqum inepte dictum, mirum in modum poſſet exagitari ſi liberet,

ſe contulit, uſque adeo magnificum erat opus fundationis Eccleſiæ N. T. & legis gratiæ noſtræque ſalutis æternæ parandæ. Ut vero rectius actiones ab Incarnato Verbo tunc ſuſceptas aſſequamur, notari velim, eo quod duas illud habet naturas, divinam ſc. & humanam in una perſona, quæ Verbi eſt, cunjunctas, alterutrius quoque naturæ actiones mutuo de una eademque perſona prædicari, prout eadem perſona DEus & homo nominari ſolet. Quo poſito conſtat, cum dico, Verbum incarnatum æterno ſuo Patri locutum eſſe, id non ita intelligendum, quaſi divina ejus natura locuta eſſet, aut precata, eadem quippe cum natura Patris eſt: verum innuitur, eum in humana natura, quæ & Patre, & ſeipſo, qua perſona eſt divina, inferior eſt, atque ad inſtar noſtræ anima & corpore conſtabat, orationem peregiſſe. (f) Hoc reſpectu Chriſtus, Bonum noſtrum, Patrem ſuum æternum in Divinitate

(f) Sc. ut tritiſſimam hanc in Scholis Theologicis diſtinctionem diſceremus, inſtitutione extraordinaria per cœleſte quoddam Oraculum opus erat, præterquam quod omnia ſtylo magis Scholaſtico, (quo nunquam uſus eſt Spiritus Dei) quam Biblico expreſſa ſunt.

tate ejus & perfectione infinita magnificis laudibus confeſſus eſt in cœnaculo, poſteaque pro genere humano his interceſſit verbis: (g) Mi Pater, Deus æterne, profiteor Te,

(g) Vel ſola hæc Chriſti ad Patrem Oratio totam prodit ſcenam. Faciat periculum Lector candidus, & vel minimum extra partium ſtudia poſitus, & judicet de Autore vel Autoribus hujus Sermonis. Attendat genus dicendi Scholaſticiſſimum, quod Salvatori noſtro ſupponere longe abſurdiſſimum eſt. Attendat ſententias & problemata Scholæ huic Teſtamento Domini permixta e. g. de generatione æterna Filii *Dei* per intellectum divinum, aliaque id genus plura. Attendat conjunctam inſtitutionem omnium N. T. Sacramentorum, cujus neque vola neque veſtigium eſt in tota Hiſtoria Evangelica. Attendat numerum Sacramentorum N. T. ſeptenarium ſolenniter ab ipſo Domino, ſi credere fas eſt, determinatum; attendat tranſitiones orationis iſtius ab uno Sacramento ad alterum, atque cauſas ſingulorum inſtitutioni præmiſſas: attendat inſertum characterem Sacramenti indelebilem, deletam in Baptiſmo Peccati originalis maculam, aſſignatam claris verbis Baptiſmo ætatem infantilem, conditionem & confeſſionem in Sacramento pœnitentiæ, merita ad gloriam impetrandam, inſtitutum Sacerdotium, datum Eccleſiæ Caput Vicarium; & facile deprehendet, ex quo promtuario hæc Oratio deſumta ſit. Præterea totam hanc Orationem copioſam &

prolixam, præſentibus quidem Apoſtolis, at ſine verbis, ac ſine ulla demonſtratione externa perfeciſſe Dominum prætenditur, ſc. ut ratio reddi poſſit, cur SS. Evangeliſtæ nihil hujusmodi ſacræ inſeruerint Hiſtoriæ, cum tamen accurate alias, quæ de his tradenda habebant Eccleſiæ, deſcripſerint. Enim vero ſi hic non ſolius Evchariſtiæ, ſed omnium N. T. Sacramentorum Autor & Fundator eſſe voluit Dominus, plane repugnabat finibus hujus inſtitutionis diſſimulatio & reticentia: omnino enim conſtare debebat Apoſtolis, non minus atque Baptiſmi ſacræque Cœnæ inſtitutio, ut reliqua quoque Sacramenta autoritatem habeant in Eccleſiæ perpetuam, ipſo Domini præcepto & ordinatione conſtitutum eſſe. Dum nihil hujusmodi Apoſtolis revelavit, indicio id eſt luculento, totam hanc orationem confictam eſſe & fabuloſam, atqué cum aperta divini Nominis profanatione conjunctam. Certe ne umbra quidem rationis afferri poteſt, cur Dominus Evchariſtiam & Baptiſmum tam claris inſtituerit verbis, reliquorum autem Sacramentorum, ſi quæ eſſent, ordinationem clam peractam in noviſſimis demum temporibus manifeſtare voluerit, poſtquam per 16. jam ſecula in Eccleſia Chriſtiana valere & adminiſtrari debuerant. Revelatio inſtitutionis Sacramentorum non ad finem mundi, ſed ad initia Eccleſiæ pertinet, ſunt enim pars religionis Chriſtianæ neceſſaria, atque ab inſtituto Domini unice pendens.

Divinitatis tuæ incomprehenſibilis, cujus ratione Tecum idem exiſto una cum ſancto Spiritu, generatus ab æterno per viam intellectus Tui, ut figura tuæ ſubſtantiæ, & ejusdem naturæ tuæ individuatæ imago. Redemtionem hominum, quam commiſiſti mihi, nunc in natura implebo humana in virginali meæ Matris utero a me adſumta, eamque ſecundum plenitudinem beneplaciti Tui perficiam, tranſiturus poſthac ab hoc mundo ad dexteram tuam, omnesque eos tibi traditurns, quos mihi dediſti, ut eorum nemo pereat, quantum in noſtra voluntate ſitum eſt, & quousque erunt, qui hoc quærant admittantque remedium. Deliciæ meæ converſatio cum filiis hominum, quæ ſi abeſſet, orphani eſſent ac derelicti in mundo absque auxilio meo, & niſi quocuncque modo ipſis præſens adſiſterem. Decrevi igitur, Mi Pater, ipſis largiri pignus inextincti mei amoris, præmiique æterni iisdem a me parati, certi ac ſecuri. Conſtitui indefectibilem eorum, quæ pro ipſis feci præſtitique, memoriam. Cupio, ut in meis meritis remedium facile & efficax adverſus peccatum inveniant, in quod per inobedientiam primi hominis inciderunt, jusque felicitatis æ-

ternæ, ad quam ſunt creati, ipſi vero eam amiſerunt, liberaliſſime reſtituam. Quoniam autem pauci erunt, qui hanc juſtitiam conſtanter tueantur & retineant; idcirco aliis adhuc remediis opus habent, quibus ea reſtitui poſſit & augeri, per diverſa media, viasque varii generis in ſtatu peregrinationis ſuæ periculoſæ ſanctificandi ſe & juſtificandi. Aeterna hæc noſtra voluntas erat, propter quam ex nihilo quoque creati ſunt, ut ipſis noſtra divinitas, perfectiones noſtræ, atque æterna felicitas, Tuusque maxime amor communicarentur, qui me non minus ad nativitatem paſſibilem, & humiliationem ad mortem usque crucis ſuſcipiendam impulit. His vero omnibus nequaquam ſatisfiet, niſi nova accipiant remedia homines eorum infirmitati, noſtræ autem ſapientiæ potentiæque noſmet ipſis communicandi congrua. Expedit igitur adeſſe modo quodam viſibili & ſenſibili, proportionato ſtatui ſenſibili hominum, & cum effectibus tamen inviſibilibus conjuncto, quorum eorum quoque Spiritus immaterialis & inviſibilis particeps fiat. Propter hos fines celſiſſimos Tuæ exaltationis & gloriæ Tuum, Mi Pater, Fiat, æternæ nimirum voluntatis

tuæ

tuæ requiro, cum meo, tum omnium miſerorum afflictorumque Adami filiorum nomine: unde, tametſi eorum crimina Tuam provocent juſtitiam, ipſorum tamen miſeria & neceſſitas ad infinitam tuam miſericordiam confugit, cui inſimul ego interpono quævis humanitatis meæ indiſſolubili cum divinitate mea vinculo unitæ opera, obedientiam, qua me ad paſſiones quaſcunque, ipſius etiam mortis, obtuli, humilitatem, qua me hominibus praviſque eorum judiciis ſubjeci, vitæ meæ paupertatem ac moleſtias, contumelias & paſſiones meas, mortem & amorem, qui me ad hæc omnia Tuæ cauſa gloriæ ſuſcipienda permovit, ut ſanctum tuum Nomen agnoſceretur & adoraretur ab omnibus Creaturis tuæ gratiæ gloriæque capacibus. Tu, Domine, & Pater mi, feciſti me Fratrem & Caput hominum, electorumque omnium, quos nobiſcum in æternum Divinitate noſtra frui convenit, ut filiorum jure mei ſint in bonis ſempiternis cohæredes, qua membra autem benignum Capitis influxum accipiant. Quapropter hæc ipſis largiri ex fraterno amore deſidero, cupioque, quantum in me eſt, illos omnes ad amicitiam & communionem tuam, ad

eum-

eum denique finem, ad quem ab initio in primo homine, naturali quondam ipſorum Capite, formati ſunt, mecum deducere. Duce hoc amore immenſo, Domine & Pater Mi, per teſtamentum diſpono, ut ab hoc tempore mortales quicunque regenerari poſſint Sacramento Baptiſmi, & in gratiam tecum redire cum abundantia gratiæ, idque ſtatim, dum naſcuntur carentes adhuc voluntate propria, ita ut ſufficiat, alios pro ipſis id Sacramentum expetere, ut renaſcantur, ut tuæ ſint gloriæ hæredes, ut tanquam Eccleſiæ meæ filii interno illo charactere, qui nunquam poſſit amitti, ſignentur, ut purificati a peccati originis omnisque alterius peccati macula maneant, ſi forte adulti baptiſmum receperunt: ut donis fidei, ſpei, & charitatis ornentur, quorum ope Te ut filii cognoſcant, in te confidant, Teque propter te ipſum diligant: ut denique eas acquirant virtutes, quibus poſſint moderari paſſiones vitiatas per peccatum, ac ſine fallacia, quod bonum malumve eſt, dignoſcere. Sit hoc Sacramenrum porta Eccleſiæ meæ, eosque ad participationem ceterorum quoque Sacramentorum beneficiorumque gratiæ noſtræ reddat idoneos. Porro cupio, ut al-

terum

terum ab hoc Sacramentum recipiant, quo in fide ſancta, quam profiteri tenentur, confirmati, atque ad uſum rationis provecti hanc valide defendere diſcant. Quoniam porro humana fragilitas in obſervatione legis meæ facile deficit, nec tamen mea permittit charitas, ut quisquam absque remedio facili & commodo pereat, in promtu ipſis eſſe volo Sacramentum Pœnitentiæ, cujus ope cum dolore agnoſcentes & confitentes culpam ad ſtatum juſtitiæ revertantur, pergantque acquirere merita ad gloriam promiſſam impetrandam neceſſaria: Satanas vero, quod eos a gratia & felicitate Baptiſmali rejeciſſet, nullum cum ſuis triumphandi locum inveniat. Per hæc Sacramenta ſi juſtificati fuerint homines, tranſire ipſis licebit ad ſummum amorem, arctiſſimamque unionem, cujus quidem mecum ineundæ in hujus vitæ exilio mortales erunt capaces. Id autem fiet, cum Sacramentatum me modo quodam ineffabili in cor ſuum receperint, ſub ſpecie panis & vini, ſic ut in ſpecie panis relicturus ſim corpus meum vinum, & pariter cum ſanguine in venis atque in ſpecie vini meum ſanguinem non ſolum, ſed in venis ejusdem corporis; hincque

que totum in utroque realiſſime me ſiſtam, & diſpenſabo in hac forma Sacramentum illud Evchariſtiæ myſterii pleniſſimum; me enim dono ut alimentum cibumque conditioni humanæ ac ſtatui viatorum convenientem, idem quoque facturus ad conſummationem usque ſeculi. Ne vero ad finem uſque vitæ progreſſi Sacramento purificante & protegente homines careant, volo unctionis extremæ Sacramentum extare, quod pignus inſuper reſurrectionis in illo ipſo corpore, quod hoc Sacramento ſignatum eſt, expectandæ exhibeat. Cumque univerſa iſta Sacramenta pertineant ad ſanctificandum membra corporis myſtici Eccleſiæ meæ, in quo ſummum ordinem, ſummam concordiam, ſervare decet ſingulis congruam miniſterii partem adſignando; velim quoque, ut ſuos hæc Sacramenta Miniſtros habeant a ceteris diverſos, atque in excellente Sacerdotum gradu poſitos, idque Sacramentum Ordinis ad eos ſingulariter diſtinguendos ac ſanctificandos cum ſpeciali excellentia valeat. Quamvis autem id omne a me accipiant, hoc tamen, quicquid eſt, perficiendum erit cujusdam interventu Capitis, mei in poſterum Vicarii perſonam meam repræſentaturi, ſupremi-

premique Sacerdotis, in cujus voluntatem claves cœli depono, omnesque mortales ad illius obſequium obſtringo. Denique ad majorem Eccleſiæ meæ perfectionem Matrimonii quoque Sacramentum conſtituo, quo vinculum naturale humanæ propagationi deſtinatum ſanctificetur. Quibus obſervatis ſtatus & ordines univerſi Eccleſiæ meæ amplificabuntur ornabunturque infinitis meis meritis. Hæc, Pater æterne, ultima mea voluntas eſt, cujus tenore hæredes meritorum meorum quosvis mortales inſtituo, Eccleſiamque meam, cui eadem innecto, ipſorum facio depoſitariam. Hanc ipſam Orationem Chriſtus Dominus perfecit præſentibus Apoſtolis, at ſine verbis, aut ullo alio ſigno externo. Interim Beatiſſima Mater in receſſu ſuo ipſum obſervabat & ſequebatur, proſtrataque humi, Matris titulo, Patri æterno preces ſanctiſſimi ſui Filii offerebat. Quamvis autem nihil poterat intenſive, quod meritorium eſſet, operibus illius adjungere: attamen tanquam Coadjutrix ad hanc petitionem concurrit, (quemadmodum & alias fecerat) ſua ex parte divinam fomentando miſericordiam, ut æternus Pater non ſuum ſolum Unigenitum, ſed Matrem

Matrem quoque & ſociam ejus fideliſſimam reſpiceret, & Filii Matrisque orationes, pro ſalute hominum, reſpective tamen, benigne acceptaret. (h) Ea occaſione præter hoc & aliud mirabile opus a Regina patratum eſt a Filio ejus Sanctiſſimo ipſi deman-

(h) Quæ in tota hac Hiſtoria Cœnæ Dominicæ de B. occurrunt Virgine, totius libri argumento & ſcopo ſunt ratione materiæ & formæ ſimillima. Omnia eo redeunt, B. Virginem in omnibus egiſſe ut Coadjutricem Filii in negotio redemtionis, & Patrem cœleſtem non ſolius Filii, ſed etiam Mariæ Virg. in his omnibus rationem habuiſſe. Hinc in ſpecie dicitur, B. Virginem, quæ etiam abſens in Spiritu intellexerat Orationem Filii ſui, Patri æterno eam obtuliſſe, quaſi vero ea absque hac Matris oblatione valida non fuiſſet, & neceſſe habuiſſet per Matrem Deo offerri. Hæc ſane Theologia in univerſum abſurda & inepta eſt. Neque credam, ſapientes & cordatos Eccleſiæ R. Theologos tam manifeſtos atque periculoſos exceſſus eſſe probaturos. Clauda & inſipida diſtinctio, quæ ſubjungitur (ſc. quamvis nihil potuerit B. Virgo intenſive, quod meritorium eſſet, operibus Filii adjungere, attamen ut Coadjutricem ad hanc petitionem concurriſſe) non tollit ſcandalum. Nec hoc enim verum eſt, & officium illud Coadjutricis in Redemtionis negotio in univerſum novitium & ſuperſtitioſum hominum commentum eſt, non divina aut cœleſtis revelatio.

mandatum. Quod ut intelligatur, ſciendum, Luciferum lotioni pedum præſentem cum ex iis, quæ Chriſtum facere videbat, tum, quod ipſi cœnaculo excedere permiſſum non erat, callide perſpexiſſe, magnum quid in gratiam Apoſtolorum parari; quamvis autem ſe mirifice debilitatum ſentiret, omnique vigore roboris exutum, impulit tamen ipſum furor implacabilis & ingens ſuperbia, ut exploraret hæc myſteria, ſperans aliquid ſuæ malignitatis admiſcere. Enimvero magna Domina intellecto hoc Luciferi conſilio, jure ſibi a Filio conceſſo, accenſa Zelo & amore gloriæ Altiſſimi, cum poteſtate Reginæ Draconi omnibusque illius cohortibus infernis, ut e veſtigio ſe ex cœnaculo in infernum præcipitarent, imperavit. (i) Novam hic vir-

(i) Hic lotioni quidem pedum interfuiſſe Caco-Dæmonem maloſque Spiritus, ſed non Cœnæ Dominicæ, aſſeritur, & hoc quidem ideo, quoniam B. Virgo conſpicata in Spiritu, velle Satanam explorare præſens myſterium, ipſum pro autoritate ſibi a Filio conceſſa ad Orcum relegaverit. Nihil hujusmodi in ſacra extare Hiſtoria, per ſe clarum eſt. Nec illud valde urgeo, tempus lotionis, quod nimis confidenter hic figitur, valde controverſum eſſe, ut nôrunt Eruditi. Hoc ma-

virtutem ſanctiſſimæ Mariæ donavit Brachium Altiſſimi ad valorem iſtum contra Luciferum rebellem exercendum, eo quidem

---

xime obſtare video, quod de Juda Iſcariote, quem Evchariſtiæ præſentem fuiſſe nec ipſa hæc Inſpirata Hiſtoria inficiatur, conceptis verbis dicitur, poſt acceptam buccellam Satanam in illum ingreſſum eſſe, eumque in propoſito proditionis confirmaſſe. Eum igitur cum malis Spiritibus in infernum tunc relegatum fuiſſe, credi non poteſt. De cetero poteſtas illa B. Virginis in Satanam ordinaria & miraculoſa precario conficta eſt. Si precibus id actum diceretur, tolerabilius eſſet: ſed poteſtate Reginæ & ex delegatione Filii ea omnia ipſam non hic tantum, ſed ſæpius, præſtitiſſe affirmatur, cujus rei certioribus teſtimoniis, quam hæ Legendæ ſunt, opus eſt. Præterquam quod nulla ratio afferri poteſt, cur præſentia impotens ac inviſibilis Dæmonum minus locum habere potuerit in prima Evchariſtiæ inſtitutione, quam in aliis occaſionibus atque temporibus. Si præſentes adſunt mali Spiritus in celebratione Evchariſtiæ ordinaria, cur non in prima adeſſe potuerunt absque detrimento gloriæ Dominicæ? ut adeo hæc circumſtantia unice ad exaggerandam Sacramenti hujus dignitatem comparata videatur, quæ tamen ut inde repetatur, nihil prorſus opus eſt. Denique captivitas illa Dæmonum vix brevi ſpatiolo duraviſſet, cum Paſſioni Dominicæ, quæ illa ipſa nocte incepit, eos interfuiſſe nemo dubitet.

dem gradu, ut non modo non reſiſtere poſſent Dæmones, ſed nec regredi ipſis liceret ex infernalibus cavernis, priusquam divina permiſſione intereſſent paſſioni & morti noſtri Redemtoris, per quas conſummari debebat victoria, ipſi vero reddi certiſſimi, Jeſum Meſſiam & Redemtorem mundi, verum Deum, verumque hominem exiſtere. Unde jam perſpicimus, quo pacto Lucifer cum ſuis Dæmonibus cœnæ quidem legali, lotionique pedum, ac toti inſuper paſſioni Dominicæ, nec tamen Cœnaculo adfuerit, cum Chriſtus Sacroſanctam Evchariſtiam inſtitueret. Præcipitato itaque Lucifero continuo elevata eſt Regina magna ad excelſum in contemplatione præſentium myſteriorum exercitium. Sanctique etiam Angeli Ipſi tanquam novæ fortique Judith epinicia cecinerunt ſuper ingentibus his triumphis a Dracone infernali reportatis. Nec minus eodem tempore aliud quoddam Canticum Patri ſuo æterno pro conceſſis ratisque ad preces ſuas beneficiis Chriſtus obtulit. His ita peractis Chriſtus in manus ſuas venerabiles accepit panem ſuper diſco jacentem, rogataque interius a Patre ſuo venia, ut per ipſum ſibi liceret pro illo non ſolum

tempore, ſed in perpetuum quoque in Sancta Eccleſia, pronuntiandorum verborum virtute, vere & realiter in ſua natura humana perſonæ divinæ unita ſe præſentem ſiſtere: ſicut ipſe paratus eſſet verba iſta pronuntiantibus obedire: Sublatisque etiam in cœlum tanta cum majeſtate oculis, ut Apoſtolis, ut Angelis, ut ipſi etiam Virgini Matri novus inde & reverentiſſimus ſubnatus ſit timor, gratias egit Patri, quod petitioni ſuæ annuiſſet, ac ſubito verba conſecrationis pronuntiavit ſuper pane, inſecuta continuo tranſubſtantiali illius in verum ſuum corpus transmutatione; pariterque verba conſecrationis vini ſuper calice, vino in verum ſuum ſanguinem converſo, addidit. Eodem temporis articulo, quo verba ſua abſolvit Dominus, Pater æternus reſpondit: Filius meus dilectus hic eſt, in quo mihi complacui, & complacebo in æternum. Is utique ad finem usque ſeculi erit cum hominibus, quousque duraturum eſt eorum exilium. Idem perſona Spiritus S. confirmavit. Dehinc ſanctiſſima Chriſti humanitas in perſona Verbi profundiſſime ſe coram Divinitate in corporis & ſanguinis Sacramento humiliabat: Porro Maria Virgo ſuo in loco humi

humi poſtrata Filium ſuum adorabat Sacramentatum cum incomparabili reverentia. Deinde ipſum adorârunt Angeli illius cuſtodes, & cum ipſis omnes Spiritus cœleſtes reliqui, & poſt ipſos Enochus quoque & Elias, cum proprio ſuo nomine, tum ex partibus antiquorum Patriarcharum & Prophetarum legis naturalis & ſcriptæ, ſuo quisque ordine: Omnes denique Apoſtoli, magno huic myſterio fidem habentes (excepto ſolo Juda traditore) pari cum humiliatione ac veneratione, ut cujusque partes & conditio ferebant. Secuta eſt magni noſtri Sacerdotis, Chriſti, manu corporis & ſanguinis conſecrati elevatio, hoc fine, ut omnium, quotquot huic novæ aderant Miſſæ, nova inde exoriretur adoratio. Hac elevatione durante maximo præ cæteris lumine illuſtrata eſt Maria puriſſima, poſt hanc Johannes, deinde Enochus & Elias, ſingulari ratione edocti, quomodo ſub ſpecie panis ſacratiſſimum corpus, & ſub vini ſpecie pretioſiſſimus ſanguis lateant, & in ſingulis tamen ſit Chriſtus integer vivus & verus propter unionem animæ ſuæ ſanctiſſimæ cum corpore & ſanguine proprio inſeparabilem; quomodo ibi adſit di-

vinitas, cum in perſona Verbi, tum in Patris & Spiritus S. Perſona, ita ut virtute concomitantiarum iſtarum inſeparabilium præter humanitatem Chriſti Domini in Eucharistia tres perſonæ adſint ſingulæ. Id omne ſublimius reliquis divina cognovit Domina, cognoverunt tamen & ceteri pro ſuo quisque gradu: cognoverunt inſuper verborum conſecrationis efficaciam, & quam divina virtus illis ineſſet, per quam, cum a quocunque Sacerdote præſente aut futuro, atque in debita materia, ſecundum intentionem Chriſti pronuntiata fuerint, ſubſtantia panis in corpus, vinique ſubſtantia in ſanguinem convertantur, accidentibus ſine ſubjecto relictis, datoque his novo ſubſiſtendi modo, ne pereant: idque tanta cum certitudine & infallibilitate, ut cœlum cum terra prius ſit deſiturum, quam fallere poſſit hujus formulæ efficacia in conſecratione corporis & ſanguinis Chriſti, dum, ut par eſt, a Sacerdote & Miniſtro Chriſti pronuntietur. Speciali viſione Diva noſtra heic didicit Regina, quomodo ſacrum Chriſti corpus ſub accidentibus panis & vini absque mutua alteratione delitеſcat, cum nec corpus vicem ſubjecti ſuſtinere poſſit, neque ipſa

illa

illa accidentia eſſe queant forma corporis Chriſti. Hinc cum eadem extenſione & qualitate perdurant, quam antea habuerunt: occupant illum ipſum locum, quem prius occupaverant, ut in hoſtia conſecrata videre licet. Manet etiam Sacratiſſimum corpus indiviſibile, quamvis ſuam retineat magnitudinem, nec una pars cum altera confundatur. Eſt totum in tota hoſtia, & totum in ſingulis hoſtiæ partibus. Nec dilatatur, nec limitatur ab hoſtia, ut nec a corpore hoſtia, quoniam neque extenſió propria corporis Chriſti menſuratur a ſpeciebus accidentium: neque ſpecierum extenſio proportionem habet ad ſpecies corporis ſanctiſſimi, atque adeo utrinque diverſo exiſtendi modo gaudent. Quare corpus Chriſti ſe penetrat cum quantitate accidentium, ut ab illis tamen haud impediatur: & quamvis cum ſua extenſione naturali caput alium locum & ſpatium aliud a loco manuum, hæque locum a loco pectoris diverſum quærerent: tamen hoc non obſtante ſper divinæ vim potentiæ Corpus conſecratum in tota ſua magnitudine uno loco ponitur, neque enim ibi ullus ad ſpatium naturale, quod occupat, reſpectus eſt, imo, cum ſine illis cor-

pus quantitativum eſſe poſſit, ab iſtis omnibus abſtrahitur. Præterea Corpus Chriſti in Sacramento ne quidem in uno loco conſiſtit, neque in una hoſtia, ſed in multis ſimul ac ſeparatim, etiamſi forent hoſtiæ conſecratæ innumerabiles. (k) Plus dicimus

(k) Conſiderari hic meretur quam diligentiſſime tota illa Transſubſtantiationis Evchariſticæ deſcriptio. Nullus unquam Doctor Scholaſticus de hoc dogmate tam ſpinoſe, tam artificialiter, tam præciſe ac ſubtiliter, tam Philoſophice, diſputavit, uti hic docetur ex lumine immediato & doctrina Spiritûs. Conferatur cum his forma docendi de ſanctis divinisque veritatibus, myſteriis maxime, qua Spiritus Dei uſus eſt in inſpiratione atque inſtitutione Apoſtolorum aliorumque Virorum Dei indubii characteris, & facile erit arbitrari, quam longe hujus ſimplicitas, gravitas, brevitas, ac venerabilitas diſtet a cothurnis, tricis, battologiis, & Scholaſticiſmis doctrinæ in hac parte Hiſtoriæ Inſpiratæ propoſitæ. Quicquid unquam ab audacibus ingeniis in Schola temere & intricate dictum eſt pro transſubſtantiatione, ex quo illa inter Chriſtianos nata eſt, pro concomitantia animæ & corporis, corporis item & ſanguinis, pro Divinitatis quoque ſacramentali præſentia, pro ſeparatione accidentium a ſuo ſubjecto, pro efficacia Verborum conſecrationis in ſumma præciſione, aliisque ſimilibus, id in meras doctrinas cœleſtes, in certiſſima myſteria, in veritates ſublimes convertitur, novisque ſupplementis mirum in modum augetur

cimus. Intellexit Domina noſtra, ſacrum Chriſti corpus, quamvis naturalem ab accidentibus dependentiam non habeat, non tamen in eſſe ſuo Sacramentali ultra id tempus durare, quo incorrupta panis & vini permanent accidentia. Sic enim Sanctiſſima voluntas Chriſti autoris horum mirabilium diſpoſuit, ut dependentia tantum voluntaria & moralis in miraculoſa illa corporis & ſanguinis exiſtentia, quæ ultra incorruptam accidentium durationem non extenderetur, locum haberet. Hinc, quando iſta corrumpuntur & pereunt, exigentibus id cauſis naturalibus, calore e. g. ſtomachi, vel aliis ſimilibus, in ultimo inſtanti Deus novam creat ſubſtantiam, in qua ſpecies illæ ad novam mutationem tranſire poſſint: hacque nova ſubſtantia mediante, ceſſante ſacri corporis exiſtentia, effici nutrimentum corporis humani, quod prius fieri non poterat, inque hanc novam ſubſtantiam forma introducitur humana

per divinam hanc Theologiam Scholaſticam. Si vel ipſa transſubſtantiatio vera eſſet, cum contrarium ſit veriſſimum, eſſet tamen omnis hæc explicatio dogmatis ab ipſa Doctrinæ ſubſtantia longiſſimo diſjungenda intervallo, eoque, qui prætenditur, fonte prorſus indigna.

mana, quæ eſt ejusdem perſonæ anima. Id creationis novæ ſubſtantiæ altera & corrupta accidentia recipientis miraculum divinæ voluntatis conſectarium eſt, quæ refugit ſupereſſe Corpus corruptioni accidentium, imo & naturæ ordinis conſectarium eſt, hominis enim ſubſtantia, qua nutritur, niſi per aliam ſubſtantiam denuo accedentem nutriri atque augeri non poteſt, quod & in cauſa eſt, cur accidentia iſta in hac nova ſubſtantia durare nequeant. (l) Hæc & alia miracula Omnipotentis dextera

---

(l) Notum eſt, doctrinæ de Tranſubſtantiatione & permanentiæ corporis & ſanguinis Chriſti ſub meris ſpeciebus panis & vini inter alias rationes graviſſima objecta incommoda naturaliter conſequentia, & corpore tamen Chriſti indigniſſima. Quam miſere ſe in ſolvendis his nodis Eccleſiæ R. Doctores ſe torqueant, ex eorum reſponſionibus manifeſtum eſt, ut plerumque fit, cum invita veritate Docti etiam Viri ingenio ſuo abutuntur. Ex his ſolutionibus non poſtrema eſt, quam ex antiquioribus Schaloſticis his verbis repetit BELLARMINUS. *Si vero*, inquit, *ſit corruptio ſpecierum, ut in nutritione humana, combuſtione &c. tum requiritur quidem materia, ſed ea ſubſtituitur a Deo in illo ipſo inſtanti, quo deſinunt eſſe illæ ſpecies, & in quo aliud generatur, & hoc ſine miraculo. Sicut enim, cum diſpoſita eſt materia corporis humani ſufficienter, Deus animam creat & infundit, & hoc non*

tera in auguſtiſſimo Evchariſtiæ Sacramento conjuncta voluit, quorum plurima cum duo Patres antiquæ legis & Apoſtoli non intellexerint, in ea tamen ſe Cœli terræque Domina, certoque gradu etiam Johannes, profunde ſe penetrârunt. Imo prior illa cognito tanto beneficio ingratitudinem ſimul

---

dicitur miraculum, quia hoc exigit ordo rerum a Deo inſtitutus, ita etiam, quando per alterationem ſpecierum panis eo venitur, ut adſint diſpoſitiones requiſitæ ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum Deus materiam ſubſtituit, & in illo ipſo inſtanti ab agente naturali, mediantibus diſpoſitionibus præmiſſis, introducitur forma ſubſtantialis. Atque hæc eſt ſimpliciſſima & tutiſſima explicatio hujus rei. &c. V. *de Sacram. Evchar. L. III. C. XXIV. p. 978. ſeq.* . Cum ergo hæc expoſitio pridem a DD. Eccleſiæ Romanæ fuerit excogitata & adhibita, quid opus erat divina quadam & cœleſti revelatione eam ſuggerere huic Moniali, quæ nihil novi ex hoc lumine addidit, quin longe obſcurius atque intricatius rem totam propoſuit? Imo vero profecta eſt hæc Theologia non ab indocta Femina, ſed ab aliis, quibus iſtæ tricæ ex Schola jam antea erant cognitæ. De cetero iſta hypotheſis eſt mere precaria & pro arbitrio conficta. Unde enim probabitur illa novæ materiæ creatio, niſi quia vident aliter ſe elabi non poſſe ex Labyrintho, quem ſibi fabricarunt ipſi?

mul cognovit hominum, quam erga ineffabile hoc myſterium ipſorum ſaluti deſtinatum eſſent demonſtraturi. Hujus conſideratio ipſi per omnem vitam non excidit, quin potius ſanguineas ſæpe in ingenti fervore amoris ſui ardentiſſimi ſparſit lachrymas, ut infamem noſtram & inexcuſabilem oblivionem expiaret. Majorem apud me admirationem excitavit, quod ipſi Chriſto inter hæc accidit. Is enim cum elevaret ſanctiſſimum Sacramentum a diſcipulis adorandum, illud ſacratiſſimis ſuis manibus diviſum primum ſibi ipſi tanquam primario ſummoque Sacerdoti adminiſtravit, (m) ſeque ut hominem inferiorem agno-

(m) Hic pro certo dicitur, Chriſtum Dominum ſibi ipſum adminiſtraſſe Sacramentum Evchariſtiæ. Id Hiſtoria Evangelica non docet, quin potius de ſola diſtributione panis & vini benedicti inter diſcipulos mentio ibi injicitur; quod ipſum in cauſa eſt, cur Noſtrates Theologi ab ea ſententia alieno ſe eſſe animo demonſtrare haud ſint veriti, maxime cum putarent, fines & fructus hujus Sacramenti principales in ipſum Dominum non competere. Reformati Theologi hac parte ſunt liberaliores, nec rara hæc eſt inter ipſos ſententia, ut aliis, ita hoc quoque Sacramento uſum eſſe Dominum. Omnium promtiſſimi in hoc aſſerendo ſunt DD. Eccleſiæ Romanæ, qui PP. QQ. hac

agnoſcens divinitate, quam in proprio ſuo corpore & ſanguine conſecratis accipiebat, tam profunde ſe humiliavit, ut ſe quaſi ſubducere viſus fuerit: (n) acceſſit in parte

in re ſuffragia ſecuti ſunt. Hactenus igitur problema erat, & quæſtio prudenter ac libere decidenda. Dum vero divinum nomen huic rei admiſcetur, & ex tam venerabili atque irrefragabili deciditur autoritate pars affirmans, & quidem ſine ulteriori finium, propter quos id factum eſſet, illuſtratione, idonea utique argumenta poſtulantur merito, quorum fide ea prius, ut par eſt, adſtruatur autoritas.

(n) Præſentia Divinitatis in Sacramento Eucharistiæ ut in corpore & ſanguine Domini accipiendæ ad ornamenta hominum potius pertinere videtur, quam ad veritates divinas. Non SS. Trinitatem, ſed ſuum corpus & ſanguinem Chriſtus porrexit diſcipulis ſuis, ſi verba Scripturæ ſequimur. Concomitantiæ Sacramentales & naturales, quæ hic finguntur, ejusdem ſunt commatis, atque alteræ illæ, quibus in R. E. communio ſub una defenditur. Ingenium itaque ſe hic prodit valde humanum, non divina & cœleſtis revelatio. De cetero ſi Chriſtus Dominus hujusmodi actus humiliationis & adorationis exercuiſſet, ſi reverentia illius erga ſacrum corpus ſuum in Sacramento ad tremorem uſque ſenſibilem proceſſiſſet, quid cauſæ fuiſſet diſcipulis Chriſti admirabiles has circumſtantias reticendi, dum ſine controverſia ſumma in hoc exemplo extitiſſet ad imitationem excitatio ac effica-

parte illius ſenſibili tremor, teſtis partim reverentiæ erga ſacrum corpus, partim doloris ex illa temeritate & audacia concepti, qua multos hominum in altiſſimum hoc & ſublime Sacramentum peccaturos prævidit. Hujus communionis Dominicæ divini in eo fuerunt & admirabiles effectus, brevi enim in ipſo retectæ ſunt dotes glorioſæ ſanctiſſimæ illius animæ, ſicut in monte Tabor: verum id miraculum ſoli Matri illius ſanctiſſimæ tunc manifeſtum erat; aliquid etiam Johanni, Enocho & Eliæ patuit. Obtulit vero Chriſtus inter diſpenſatam ſibi ipſi Evchariſtiam Canticum laudis æterni Patri: imo ſe ipſum Sacramentatum pro ſalute hominum obtulit: (o) & ecce ſubito alteram panis conſecrati particulam

---

cia? imo ſi, ut in textu dicitur, Dominus hic contremuit ex prævisa tot hominum, qui hoc Sacramentum erant profanaturi, temeritate & audacia, ad eos ab hac malitia deterrendos non ſilentium tantæ rei, ſed illius promulgatio a primis ſtatim Eccleſiæ initiis efficax & ſalutare erat remedium, ut & cetera, quæ nimis ſero referuntur.

[o] Chriſtum ſeipſum in Sacramenti Evchariſtici inſtitutione in ſacrificium Deo obtuliſſe, Scriptura Evangelica non docet, ex qua ſatius fuiſſet & convenientius a tota Eccleſia Chriſtiana diſci hoc myſterium, quam ex incertis & dubiis privatorum ho-

culam Archangelo Gabrieli ſanctiſſimæ Mariæ deferendam tradidit: quo ipſo miniſterio ſibi ſatisfactum cenſuerunt Angeli, quod aliâs Sacerdotalis dignitas durante hoc ſeculo non ipſis, ſed hominibus collata eſt: præterquaum quod illis omnibus maximum attulerit gaudium corpus Sacramentum Dei ac Domini ſui manibus tenuiſſe. (p) Expectabat autem inter uberrimas lachry-

minum & quidem noviſſimæ ætatis, teſtimoniis, quorum fides & autoritas cum primorum Teſtium religionis Chriſtianæ autoritate ac valore nulla ratione comparari meretur. Conſtat de cetero, inter ipſos DD. Romanæ Eccleſiæ communi conſenſu receptum non eſſe, quod Chriſtus Dominus in S. Evchariſtia ſe ipſum in ſacrificium, quod vocant, incruentum Deo Patri ſuo obtulerit, uti ex Libris controverſiarum doceri poteſt exemplis non contemnendis. Nullum igitur locum hæc problemata (non loquor ex noſtra, ſed ipſorum mente) in Hiſtoria inſpirata & irrefragabili inveniunt: ſtatim enim ſuum locum, ſuamque indolem mutant, & quidem ſine ſufficienti ratione, in qua conſcientia acquieſcat.

(p) Non poterat excludi B. Virgo a primæ Evchariſtiæ participatione, ſecundum fines & principia Hiſtoriæ hujus inſpiratæ, At poterat res iſta, ſiquidem hujuſmodi aliquid præter Scripturam præſumere placuit, narrari ſimplicius & credibilius. Stupendum iſtud tot mille angelorum, atque inter eos multorum primi ordinis (inter quos Ga-

chrymas ſacræ communionis gratiam Regina & Domina, cum repente S. Gabriel comitibus innumeris angelis adveniret, e cujus manibus proxime a Filio eam accepit, illi quoque in humilitate, reverentia, & timore ſacro inter recipiendum proxima. Subſtitti Sacramentum ſanctiſſimum in pectore Mariæ & ſupra cor illius puriſſimum tanquam in legitimo Sacrario & tabernaculo Altiſſimi, & quidem tam diu, donec poſt Chriſti reſurrectionem Miſſam primam Petrus celebraret Apoſtolus. Poſtea quoque factum, ut ſemper ad novam usque conſecrationem inconſumtæ & inalteratæ in pectore Dominæ & Reginæ Cœli Sacramentales durarent ſpecies. Recepta autem ſacra communione S. Virgo gratias egit æterno Patri Filioque ſuo ſanctiſſimo, hujus exemplum novis

briel nominatim hic adducitur) miniſterium ipſis etiam, ut ſupra vidimus, R. Catholicis Scriptoribus apocryphum viſum eſt atque confictum. Non conveniebat hic apparatus, hæc majeſtas, quam ne Filius quidem Dei in his terris uſurpabat, ſive clam, ſ. palam, B. Virgini, dum viveret. Et qui eam tunc habuiſſet gloriam, qua ne nunc quidem in cœlo ipſam frui idoneis & cœlo dignis probari poteſt teſtimoniis? Ejusdem tenoris etiam ſunt reliqua, quæ de prærogativis miraculoſiſſimis B. Virginis circa S. Cœnam recitantur.

novis canticis imitata. Poſt hoc officium a S. Archangelo divinæ Principi præſtitum Salvator noſter panem Sacramentatum Apoſtolis diſtribuit, juſſitque ſingulos ſuam ſumere particulam, ſumentibusque his verbis Sacerdotalem poteſtatem contulit, (q) quam continuo cœperunt exercere, dum unus-

(q) Eam collationem officii & poteſtatis Sacerdotalis nullum in ſacro textu fundamentum habere, pridem oſtenderunt Proteſtantes Theologi. Quid enim quæſo huic ordinationi novæ ſimile eſt in verbis Domini: *Accipite, comedite, bibite*; *Hoc facite &c?* Quicquid enim tunc fecerunt, non certe tanquam a *S*acerdotibus aut Miniſtris Eccleſiæ futuris factum eſt, ſed ut a convivis, ac obſequentibus Domini diſcipulis. Reliqua per meram opinionem præjudicatam ſacræ intruduntur Hiſtoriæ. Ut taceam, ne ſemel quidem per totum N. T. in quo Miniſterii Evangelici & omnium illius partium aut graduum tam frequens fit mentio, *Sa*cerdotes appellari Miniſtros Eccleſiæ; quod certe ſumme paradoxum eſt, ſi character eorum principalis in vero ac proprie dicto conſiſtit *S*acerdotio. Iſta hactenus inter ſe reciprocarunt ſolitis Diſputationibus DD. R. Catholici & Proteſtantes. Nunc vero lis deciditur ex Cœlo, ſed nec melioribus argumentis, nec certiore autoritate. Unde potius ad incredulitatem, quam ad fidem talibus dictatis adhibendam invitamur.

unusquisque communionem ſacram ſibi ipſe adminiſtravit ſumma cum reverentia, copioſas ſpargendo devote lachrymas, debitumque corpori & ſanguini Chriſti a ſe receptis cultum præſtando; ex quo ſecundum ordinem conſtituti ſunt Sacerdotes tanquam futuri Fundatores Eccleſiæ Evangelicæ. Deinde S. Petrus, juſſu Chriſti Domini, alias conſecrati panis particulas PP. antiquis, Enocho & Eliæ diſtribuit, qui ex his jubilis, his ex effectibus ſacræ communionis novum acceperunt robur viſionem ſperandi beatificam per tot ſecula divina voluntate prorogatam, ſub finem autem mundi obtinendam, ſuum deinceps in locum, perſolutis Omnipotenti pro hoc beneficio laudibus ferventiſſimis, per SS. Angelos reducti. Eo vero id miraculum deſtinabatur a Domino, ut homines Antiquæ legis, ſcriptæ & naturalis, de ipſius Incarnatione, Redemtione, & reſurrectione quoque generali certiores fierent: cum enim univerſa hæc myſteria in Sacramento Evchariſtiæ contineantur, id vero collatum fuerit duobus hominibus illuſtribus & ſanctis, Enocho ac Eliæ, qui tunc, ut adhuc ſunt, vivi in carne mortali erant, hoc ipſo in perſona duumvirorum iſtorum ceteris

teris

teris omnibus utriusque illius ſtatus civibus collatum cenſebatur. Poſthac novum miraculum non minus ſecretum durante Apoſtolorum communione evenit, dum perfidus traditor Judas, tanquam infidelis, obſequium detrectavit, ſervaturus clam, ſi fieri poſſit, ſacratiſſimum corpus, ut id ad Pontifices ac Phariſæos deferret, qualemque Magiſtrum habeat, demonſtraret, eum ſc. qui hunc panem proprium ſuum corpus eſſe affirmando crimen graviſſimum haud vereretur committere. Si id obtinere non poſſet, animo conſtitutum habebat alias divino Sacramento inferre contumelias. Hoc igitur execrabile propoſitum Judæ obſtinati eo facilius Domina & Regina cœli animadvertit, quoniam, quæcunque agebantur in cœnaculo, externam item atque internam Apoſtolorum diſpoſitionem, ſacræque eorum communionis effectus fructusque clara viſione intuebatur. Hinc tota Zelo pro gloria Domini ſui accenſa, ut Mater, ut ſponſa, ut filia, &, quod præcipuum eſt, tanquam certa voluntatis Filii ſui, adhibita matris & reginæ poteſtate Angelis ſuis imperavit, ut primum panem, deinde & vinum conſecratum ex ore Judæ eruerent, eumque in lo-

eum, quo reliquiæ Sacramenti jacebant, reponerent: ſpectabat enim ad ejus officium ſanctiſſimi Filii ſui honorem, ne iſta per Judam ipſi inferretur contumelia, tueri atque defendere. Paruerunt Angeli, & quam primum ad communionem Judas viventium peſſimus acceſſerat, unam ſpecierum ſacramentalium poſt alteram ex fœtido illius ore ſuſtulerunt, reductaque ab immunditie loci impuri priore forma reliquis partibus illas occulta reſtituerunt opera, ab iis Apoſtolis, qui poſt Judam, nec primum, nec ultimum, ex ordine ſequebantur, abſumendam. (r) Hoc etiam remedio

(r) Mira ſunt, quæ hic de Juda proditore recenſentur tanquam primo hæretico *S*acramentario, ejusque ceteris criminibus, atque eorum remediis. *S*upra jam dictum eſt in hac Hiſtoria inſpirata, ſingulos Apoſtolos, excepto ſolo Juda traditore, inſtituto per Dominum myſterio credidiſſe. Hic vero omnino graviora adjunguntur, ſc. voluiſſe illum corpus Domini ad Proceres Judaicos ut materiam deferre criminis, vel alias ipſi inferre contumelias. Si hæc vera ſunt, nulla dari aut fingi poteſt ratio, cur non a Scriptoribus ſacris commemoratum fuerit, atque ad deteſtationem propoſitum id ſcelus, etiamſi abſcondi alias debuiſſet glorioſa illa B. Virginis viſio, atque ipſius juſſu facta per Angelos ſpecierum ſacramentalium ex ore Judæ reſtitutio. Sc. poſtremæ hæ circumſtantiæ

remedio ad ſalvandam exiſtimationem inimici ſibi & obſtinati Apoſtoli Dominus uti voluit, qui tandem actis æterno Patri gratiis

ad amplificationes ſolitas pertinent ornamenti & ſplendoris cauſa excogitatas. Prius autem nihil aliud eſt, quam fabula Monachalis ex inſulſis hæreſium catalogis depromta. Solent enim & extra revelationes Judæ Iſcariotæ hujusmodi imputare hæreſes, de quibus altiſſimum eſt apud ſacros Scriptores & bonos quosque Autores ſilentium. Fecit id quoque poſt alios inſulſus Controverſiſta Hungarus, MARTINUS ZENTIVANIUS in *Foro Scrutario antiquarum hæreſium* Tyrnaviæ A. 1707. edito, in quo pariter dicitur, tres proditoris Judæ hæreſes fuiſſe 1.) negationem præſentiæ realis. 2.) improbationem unctionis Bethanienſis. 3.) quod miraculorum Chriſti veritate negata artibus illaudatis eadem adſcripſerit. V. excerpta *Relat. Innoc. ad A 1722. p. 586.* Medium factum ex ſacris literis certum eſt, ſed & certa illius cauſa, turpis nim. avaritia: At avaritia non eſt hæreſis. Præſentiam realem negaſſe Judam, ab eo procul dubio tempore demum excogitatum eſt, ex quo id dogma venit in controverſiam apud Chriſtianos, ut dubitantibus vel negantibus tam fœdus & exoſus Patriarcha poſſet præfici, quo tamen argumento utpote notorie fabuloſo ipſi parum commovebuntur, & jure quidem, ſi nullas alias rationes graviores ſibi haberent contrarias. Miracula Chriſti abnegaſſe Judam Iſcariotem ne *Civitas* quidem *Myſtica* docet, aut affirmat.

tiis finem fecit myſteriorum Cœnæ legalis æque ac Sacramentalis, ſuæque paſſionis initia mox expertus eſt. Cœli vero Regina in attentione atque admiratione horum omnium, nec minus in Canticis laudis & magnificationis ſupremi Domini conſtanter perſeveravit.

Doctrinæ a Regina Cœli mihi redditæ.

Filia mea, ſi confeſſores ſanctæ Fidei Catholicæ, qui duro & gravi corde ſunt, oculos aperirent ad recipiendam ſancti hujus myſterii intelligentiam, ſi poſitis affectibus terrenis, correctisque paſſionibus ſuis felicitatem eorum, qui hoc Sacramentum frequentant, viva fide perciperent . . . experirentur procul dubio, nihil poſthac in hoc mortalium exilio vel deſiderandum, vel timendum ſupereſſe. Nihil habent, quod querantur, in fortunatis his ſeculis legis gratiæ, quantumvis eos fragilitas propria, propriæ paſſiones & ſimilia affligant: habent enim in hoc pane cœleſti præ manibus remedium ac fortitudinem ſuam. Nihil metuant tentati a Dæmonibus, hi enim recto ineffabilis hujus Sacramenti uſu, dignaque frequentatione, totum infernum glorioſe ſuperabunt. Si ſecus fiat, culpa

eſt

eſt penes Chriſtianos ad hoc myſterium non recte attendentes, nec in rem ſuam virtutem illius infinitam in quibuscunque neceſſitatibus & difficultatibus, ut par eſt, convertentes, ut ferret intentio Filii mei ſanctiſſimi hoc remedium ordinantis. Vere tibi dico, Chariſſima, Luciferum cum ſuis dæmonibus eousque timere præſentiam Evchariſtiæ, ut hujus vicinia majore ipſis tormento conſtet, quam neceſſitas manendi in inferno. Et quamvis ipſa etiam templa ingrediantur tentandarum animarum cauſa, id tamen fieri non poteſt, niſi vim ſibi faciant, ut malint atrocia ſentire, dum præcipitare & ſubjicere ſibi eas poſſint ſollicitando ad peccata, maxime in locis ſacris & præſente Evchariſtia, ad quod tentandum ſola rabies contra DEum & animas ipſos incitat. Quoties inſuper Filius Dei Sacramentatus per plateas in proceſſionibus deducitur, aufugiunt illi, nec auderent prope eſſe comitantibus, niſi ſperarent, quod non abs re eſſe longa ipſos experientia docuit, aliquos ad minimum a reverentia Sacramento debita dejicire. (ſ) Hinc amant eos tentare in templis, quia

(s) In his monitis & paræneſibus, quæ B. Virgini per ſchematiſmum ſupponuntur, ut olim

quia major tunc in Dominum injuria eſt ſolo amore ac deſiderio ſanctificandi homines ibi proſtantem. Intelligi inde poteſt eorum in Dæmones poteſtas, qui digne ſacro hoc pane angelico fruuntur: & quantum illi timeant devote & cum puritate cordis hoc Sacramentum frequentantes, qui gratiam receptam ab una ad alteram Communionem ſervant ac retinent. Sed pauci hac mente ſunt, quin potius vigilat & in inſidiis ſtat inimicus, ut ad oblivionem, frigus, & diſtractionem homines pelliciat tam validis armis poſtea inutiliter contra ſe

in *Conſtitutionibus Clementinis* dicta Apoſtolis, multa continentur præcepta de pura ac devota Sacræ Cœnæ inter Chriſtianos celebratione, quæ vera & recta ſunt. Quod vero ſimul de terrore Dæmonum in præſentia Corporis Chriſti vel in templis aſſervati, vel in proceſſionibus deportati adſpergitur, majorem haberet ſpeciem, ſi probatum eſſet prius, quod ad hos uſus ſacroſanctum Corpus ſuum Chriſtus Dominus, tanquam Autor hujus Sacramenti, unquam deſtinaverit. Igitur cum Chriſtus ipſe nihil hujusmodi juſſeritconceſſeritque, neque a B. Virgine hæc verba proficiſci potuerunt. Sed quia iſta aſſervatio & deportatio in Romana Eccleſia invaluit, mirum utique non eſt, etiam his per Oracula B. Virginis, vi inſtituti, aliquam conciliari debuiſſe autoritatem.

ſe pugnaturos. Hæc præcepta demitte in pectus tuum, & quoniam absque merito tuo, obedientiæ virtute, ordinavit Altiſſimus, ut quotidie in ſanctiſſimi Sacramenti communionem venires, tuere igitur ſtatum, quem una communio promovit, ut ad alteram poſſis procedere, eſt enim hæc cùm Domini mei, tum mea quoque voluntas, ut hoc gladio perficias bella Altiſſimi, nomine ſanctæ Eccleſiæ, adverſus inviſibiles inimicos Dominam gentium hodie affligentes & contriſtantes, quod pauci tamen pro rei dignitate perpendunt, eique ſunt ſolatio. Plange hac de cauſa, ac dolor cor tuum ſecet propter indignationem Omnipotentis noſtri Judicis in Catholicos ipſius juſtitiam continuis atque maximis peccatis irritantes, ut cum ſub ſignis fidei Catholicæ militent, vix tamen unus ſit, qui ponderet ac metuat hæc damna, aut remedium, quod in Sacramento Evchariſtiæ in promtu eſt, legitime applicet corde vere contrito, humiliato, meæque interceſſionis virtute ad illud accedendo. Hæc ipſa culpa, quæ in quibusvis Eccleſiæ filiis gravis eſt, maxima eſt in indignis & malis Sacerdotibus, ab eorum enim irreverentia, qua tractant ſanctiſſi-

mum Altaris Sacramentum, ceteri Catholici occaſionem frigoris accipiunt: contra ac faceret populus, ſi videret Sacerdotes cum timore & tremore reverentiali ad divina accedere myſteria; cognoſceret enim, ſibi cum DEO in Sacramento negotium eſſe, eosque, quibus id curæ eſt, in Cœlo, ut ſol inter ſtellas, aliquando emicaturos: ex gloria enim Filii mei ſanctiſſimi in ipſius Humanitate ſingularis lux & ſplendor gloriæ redundat, quo illi, qui ſacratiſſimam Evchariſtiam haud devote frequentârunt, prorſus carebunt: præterquam, quod olim glorioſa illorum corpora certa ſigna & ſymbola lucidiſſima portabunt in pectore, quo ſc. Sacramentum devote exceperunt, hæcque eorum accidentalis beatitudo futura eſt non minima, & Angelis laudis, totique cœlo admirationis erit materia. Hoc quoque præmii loco ipſis dabitur, ut ſpeciali lumine modum, quo Filius meus in Evchariſtia adeſt, & ſingula hujus mirabilia adſequantur, tanto cum gaudio, ut vel ſolum eos æternum exhilararet, etiamſi nullo alio in cœlis fruerentur. Imo, quod adhuc majus eſt, exæquabit gloria dignorum communicantium, in multis quoque ſuperabit, gloriam quorundam

rundam Martyrum, quibus uſus Evchariſtiæ non obtigit. (t) Etiam iſtud te ſcire velim, Mea Filia, ex ore meo, quis mihi de me ipſa ſenſus fuerit, cum in vita mea mortali Filium ac Dominum meum Sacramentatum reciperem. Huncin finem in memoriam tibi revoca, quæ jam antea revelata tibi ſunt de meis dotibus, gratiis, operibus, & meritis vitæ meæ. Præſervata ſum in conceptione mea ab originali culpa mihique in inſtanti eo data eſt cognitio & viſio divinitatis, ac major quidem, quam omnium

(t) De extraordinariis hujusmodi præmiis piorum convivarum epuli Evchariſtici nullibi extra has tabulas ullum apparet veſtigium. Dum hæ promiſſiones certiores haberent teſtes, quis dubitaret, poſſe illarum virtute ad devotam puramque celebrationem Evchariſtiæ Chriſtianos non parum excitari? Sed quam exigua in illis movendi efficacia eſt, ſi quis tot rationibus adverſus totam hancce Hiſtoriam inſpiratam occupatus hanc quoque partem ſuavia inter ſomnia referre cogatur? Enimvero ſciunt piæ mentes, memoriam mortis Domini in Sacro hoc epulo ſecundum ejus præcepta religioſe obſervantes, vera Teſtamenti Dominici ac certa beneficia, quæ ipſos expectant, etiamſi prærogativa tam glorioſi in pectore ſigni in ſuſpectis hiſce monumentis ipſis oblata nullam certam fidem habeat.

omnium ſanctorum eſt, in amore præ ſupremis Seraphinis excellui: nullam unquam actualem culpam admiſi: virtutes quaſvis heroice exercui, quarum in me minima longiſſimo tamen intervallo ipſum in aliis Sanctis apicem ſanctitatis ac bonorum operum ſuperavit. Finis omnium meorum operum quam maxime ſublimis, habitus ac dotes ſine menſura erant: Filium meum Sanctiſſimum ſumma perfectione imitabar: laborabam fideliter, tolerabam generoſiſſime, cum omnibus ac ſingulis Redemtoris operibus gradu mihi competente concurrebam indeſinenter ipſum amans, & augmenta gratiæ & gloriæ gradu eminentiſſimo promerens. (u.) Omnia tamen

(u) Hæc ex ore B. Virginis unquam audita eſſe, quis crediderit? De cetero, ſi per Oraculum hoc cœleſte aſſerta eſt & confirmata immaculata B. Virginis conceptio, cum cognatis huic ſententiæ doctrinis,& quidem a tam longo tempore,quidopus fuit tot tergiverſationibus, moliminibus, conſiliis, definitionibus ſuſpenſo ſemper gradu incedentibus in Aula & Curia Romana? Cur non potius examinarunt hujus Abbatiſſæ revelationes? Cur tam magnifica argumenta (ſi vera) eos ad illum uſque gradum non moverunt aſſenſus, quem res ipſa, ac ſignorum excellentia maxima, poſtulat? cur non ſubmiſerunt ſe deciſionibus Cœli? Atat hic ipſe

men hæc merita vel unica ſacratiſſimi Corporis in Evchariſtia perceptione abundantiſſime compenſata judicavi tanto beneficio me prorſus indignam reputans. (x) Diſce

articulus tam prodigioſa ratione in ſcenam productus in Hiſpania ei doctrinæ ad extremum uſque ſuperſtitionis gradum addicta, & quod Franciſcani maxime Monachi apocalyptici iſtius negotii directores, promotores, & editores fuerint, una cum aliis rationibus totam cauſam facit ſuſpectiſſimam. Si Romæ ſincere & ex animo crederent, has revelationes tales eſſe, quales prætenduntur, aliter ſane ipſis eſſet agendum, decidendum, docendumque, atque hactenus in famoſiſſima hac cauſa Romanos egiſſe Pontifices, tota clamat Hiſtoria. Patiuntur ſc. ex politicis rationibus innumeros credere alios, quod ipſi non credunt.

(x) Si ſumma & maximo gradu poſita, ipſis etiam Angelicis majora B. Virginis opera univerſa, ac virtutes ejus generis, quarum minima ſanctitatis quoque apicem in aliis Sanctis longiſſime ſuperavit, unius Communionis Evchariſticæ dignitate abundantiſſime compenſantur: ſi tam ſanctæ Monialis, qualem Mariam d' Agreda fuiſſe venditant, opera erant tam inæqualia & parva, tam limitata merita, tam leves labores, tam impar gratitudo in comparatione vel ſolius hujus beneficii, quomodo igitur vulgarium piorum opera proportionem aliquam habebunt & condignitatem cum vita & gloria æterna, quod alias in doctrina Eccleſiæ R. de meritis prætenditur?

ſce hinc, filia, quid tibi, quid aliis filiis hominum in uſu admirabilis Sacramenti cogitandum ſit? Quodſi enim ſanctiſſimorum remunerandis meritis una ſufficit communio, quid fiet de Sacerdotibus & fidelibus tam ſæpe eam frequentantibus? Aperi ergo oculos in media hominum cœcitate & tenebris, eosque ad divinam Lucem attolle, ut diſcas hæc myſteria. Ipſa cenſe, quam inæqualia & parva tua opera, quam limitata merita, quam leves labores, quam impar tua gratitudo, ſi comparentur cum tam raro beneficio, quod Sancta Eccleſia Chriſtum, Filium meum Sanctiſſimum, in Sacramento poſſidet, omnium ſalutis cupidiſſimum: & cum nihil habueris, quod pro te vel aliis retribuas, ad minimum te ad terram uſque humilia, indignam te profitere, & ex toto corde Altiſſimum magnifica.

ORA-

ORATIO PRIMA
de Cauſis,
Cur tot eximia DEI dona, noſtra maxime ætate, ut plurimum ſine fructu pereant?

Sub ingreſſum
Profeſſionis Theol. Ordinariæ & Senatus Academici
prælecta

D. XX. Martii A. MDCCXXVI.

P. P.

EAm maxime in officia publica ſuccedendi rationem acri meditatione & affectu vivido digniſſimam eſſe judico, qua in defunctorum locum ſe quis ſuccenturiari videt & reponi. Vivos anteceſſores ſi diverſo quidem, at conſpicuo, gradu poſitos ante nos intuemur, intuemur tamen eos, illorumque amore, ut ante, fruimur: nec ita ipſos amiſimus, quin cum lucro ſæpe & fœnore nobis ſervatos putare queamus. Alia longe res eſt, ſi prorſus e ſedibus noſtris, ex oculis, e convictu & commercio noſtro mors eos abripit, & irreparabili intervallo, quod ad hanc quidem vitam attinet, a nobis ſejungit ac ſeparat. Tum hæc ſpecies abſentiæ amici amatique ſincere Prædeceſſoris, jure quodam ſuo, dolorem in animo ſucceſſoris excitat: tunc admonet hunc valide fragilitatis humanæ, eumque aſcendere jubet ut quotidie deſcenſurum

rum, atque ad mortis & ſepulchri non minus, ac officii, ſucceſſionem paratum. Hæc mea quoque hodie fata ſunt, dum eam nunc provinciam occupare jubeor, quam morte eheu præmatura, ac divortio vere dolendo, nuper reliquit Vir quondam ſumme Reverendus, jam Beatus, JOANNES RUDOLPHUS OSIANDER, Anteceſſor noſter honorandus, Vir Optimus, ac noſtræ memoriæ chariſſimus commendatiſſimusque. Huic e vivis erepto cum datus ſim ſucceſſor, ſuccedo ſane, ſed non ſine juſto dolore: ſuccedo, ſed memor, quam brevis & flaccidus ſit omnis honor ac dignitas hominum: ſuccedo, ſed conſcius, quam facile contingere poſſit, ut, qui proximus a B. Viro ad munus illius Academicum & Senatorium accedo, proximus quoque a cathedra & Senaculo ad tumbam evocer a Domino. Succedo autem juſſus vocatusque, dum SERENISSIMI PRINCIPIS ac Nutritii noſtri clementiſſimi gratia huic Ordini me deſtinat, & Ampliſſimi Senatûs Academici ſuffragia iſtum mihi honorem quam benevolentiſſime decernunt ac deferunt. Non eſt vero neceſſe pluribus verbis nunc enarrare, quid DEO, quid PRINCIPI, quid PP. almæ noſtræ Eber-

hardinæ hoc nomine me debere agnoſcam lubens & ex animo? Dicam breviter, quod ſentio, at ſincere ac ſerio. DEI providentiam humiliter veneror. PRINCIPIS SERENISSIMI gratiam, quam ſubmiſſiſſimo affectu cultuque ex hoc quoque loco proſequor, incentivum fidelitatis & obſequii conſtans & validum ſumma cum animi reverentia mihi propono. Veſtrum autem, AMPLISSIMI SENATORES, Patroni Colendiſſimi, calculum, pro quo publicas quoque, easque decentiſſimas, Vobis exſolvo gratias, omni poſthac fide, candore, obſervantia & religioſitate honorabo ſemper & excipiam, quamdiu Spiritus hos reget artus, Veſtroque lateri adhærere divina me ſinet Providentia. Nec tamen ignoro, quid aliunde hæc Panegyris abs me hodie poſtulet, & cur illa taciturnum & brevem me nequaquam dimittat. Publica ſc. Oratione novum iſtum ordinem Veſtro, VIRI EXCELLENTISSIMI, favore ad me delatum auſpicari leges noſtræ jubent, & jubent ſapienter. His dum obſequor, AUDITORES undique HONORATISSIMI, meum certe erit conari, ut nec nimia loquacitate Vos offendam, nec de re ardua, in qua reliqua ſermonis

monis mei ſeries occupabitur, nihil dixiſſe Vobis videar. Ediſſeram igitur, bona cum pace veſtra, quod mihi explicandum hodie propoſui: Cur tot eximia Dei dona, noſtra maxime ætate, ſine fructu utplurimum pereant? Id ſæpe ac diu meditari cum ſoleam, ſponte ſua hoc quicquid eſt argumenti memoriæ ſuccurrit meæ, nec aliud quærendum erat, aut petendum longius. Tantum vero jam tribuo, ac tam ſecure Veſtræ, AUDITORES HONORATISSIMI, humanitati, patientiæ & favori confido, ut, niſi conſuetudo & modeſtia in aliam partem flecterent animum, vix ulla alia præfatione opus eſſe cenſerem, quam tamen Veſtri Nominis reverentia ductus adjungo ampliſſimam, obſervantiſſimam, ſinceriſſimam.

*** ***

Quid divinorum, eorumque inſignium, donorum nomine hoc loco intelligamus, AUDITORES HONORATISSIMI, vix opus erit multis explicare verbis. Liquet, omnes illas dotes ac ſubſidia hoc titulo generalius a nobis comprehendi, quæ partim communibus, partim ſingularibus,

officiis in ſocietate Chriſtiana & civili legitime præſtandis aptum unumquemque reddere poſſunt atque idoneum. Hujusmodi dona larga & eximia menſura diſpenſari hominibus, nec noſtra ætate deficere, & res ipſa docet, & ſapientum confirmat ſententia, & communis ad minimum præſumit ſeculi noſtri arrogantia, quæ, licet multis aliâs umbris & bullis ſe paſcat, hac tamen in re non omnino fallitur. Vere dici poteſt, abundare genus humanum præclaris ingeniis, patere theſauros multiplicis ſcientiæ ac divitis rerum divinarum non minus ac humanarum; obvia jacere ad omnium uſum facilem & promtum, quæ ſepulta olim & maximis difficultatibus obſita pauciſſimi olim quæſiverunt, nedum invenerunt: indulgeri libertatem eruendæ tenendæque veritati omnis generis non modo neceſſariam, ſed etiam abundantem & largam; omnium ætatum priorum notitiam, experimenta, labores, doctrinas & ſapientiam noſtras augere atque ornare divitias. Paucis: Nihil tam magnifice dici aut fingi poteſt in hoc genere, quod non poſſideant homines, vel ad minimum ſe poſſidere credant. Nec velim macilenta oratione his opibus quicquam

detra-

detrahere, aut ullum creare præjudicium. Facile permitto, imo ſuppono, omnia eſſe longe ampliora, quam quæ heic eloqui voluerim potuerimque. Nihil hac parte queror, nihil minuo. Nec tamen injuſtum eſt, aut inſipiens, ſi quis harum divitiarum uſum legitimum, fœcundæ hujus arboris fructus maturos, horum denique talentorum fœnera juſta Dei & conſcientiæ cauſa avide & religioſe requirat. Requirentibus autem non una occurret ratio & neceſſitas explorandi quærendique: Cur tot eximia Dei dona, noſtra maxime ætate, ſæpiſſime ſine fructu pereant? Et eſt ſane operæ pretium, eſt meditatio utilis & gravis ſcrutari veras tam perniciosæ ſterilitatis origines: imo ne ſcrutari quidem opus eſt, cum certis & manifeſtis illæ ſe prodant indiciis. Dicam in compendio ſatis multa. Plura non dicam. Quodſi ea, quæ non dicam, conſidero, parum abeſt, quin illa, quæ dicturus ſum, mihi quadantenus diſpliceant. Si dicendorum vim & nervum reſpicio, reſumo animum, & ſpero, me non prorſus pœnitenda dicturum.

Ante omnia explorata veritas eſt, quam confidenter profiteor, inſignia quævis dona

corrumpi, & in fumum abire, ſi ea is ſanctificare neglexerit, cui data & concredita ſunt. Sanctificare autem noſtro ſenſu tantundem eſt, ac naturalia dona cum ſpiritûalibus conjungere, gloriæ divinæ finibusque Deo gratis ac honorificis religioſe conſecrare, ad res honeſtas, graves, neceſſarias, ſalutares cum perpetuo *Unius Neceſſarii* reſpectû cultûque applicare, ad ſeipſum aliosque vere ſapientiores atque meliores reddendos prûdenter dirigere, ut nihil in toto illo donorum ûſû ſit, quod Chriſtianum hominem dedeceat, quod *Spiritum Chriſti* ſive clam ſive palam *extinguat* (a) aut ſuffocet, quod denique impediat ullo prætextu τὸ ζηλοῦσθαι τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, (b) ſive ſtudium fervens ac perpetuum præſtantiſſimorum illorum donorum, quæ ceteris omnibus præferre ſanctiſſimo Zelo Paulus imperat Apoſtolus. Quid jam ſanctificans hæc gratia ad ceterarum quoque dotium culturam poſſit, imo debeat, conferre, pulcherrimis ſane ſpeciminibus facile eſt demonſtrare. Illa demum hominem dextrè inſtituit, fideliter dûcit, ſolidè confirmat, prudenter dirigit, plene

---

(a) *1. Theſſ. V. 19.*
(b) *1. Cor. XII. 31.*

plene ſatiat, vigilanter cuſtodit, promte reſtituit: una denique fideles ſibi & obſequentes certo ac duraturo remuneratur præmio. His beneficiis omnibus atque ſingulis nemo temere fruitur, niſi qui diſciplinæ S. Spiritus ſe totum & ex animo ſubjicit. Hæc ſi ignoratur, ſi contemnitur atque negligitur, quicquid homines ipſius etiam ſapientiæ colore illito, & cultus donorum ſuorum prætextu ſpecioſo conantur & faciunt, plerumque vel in perverſum ſcopum male dirigitur, vel per imprudentiam miſere diſperditur, vel per ſuperbiam illegitime attollitur, vel per malitiam in patrocinium falſitatis & vitii convertitur, vel per ignaviam infeliciter diſſipatur. Ipſa tunc donorum magnitudo eo pernicioſior eſt, quo illuſtrior. Quo majori in luce collocantur, eo majores ſpargunt tenebras. Eorum lucra unciæ, damna talenti pondere poſſunt menſurari, Quanto pluribus in ſenſus & oculos incurrunt, tanto populoſiorem generis humani partem in errorem & abuſum rerum optimarum conjiciunt & præcipitant. Absque hoc divini Spiritus regimine regnat haud raro inter magnos quoque & ſpectatos ſplendidis dotibus homines, nedum apud proletarios &

vulgares, pruriens ad nugas & minutias proclivitas, ſpuria in inveniendo fœcunditas, inflexibilis in propugnando pertinacia, audax in perrumpendo temeritas, ſagax in tegendo aſtutia, præpoſtera in propagando laborioſitas, aliaque id genus mala, ſpecioſa quandoque, nec ab omnibus agnita: at mala tamen vera, eaque non poſtremi ordinis ac ponderis. Illud quoque principe loco heic conſiderari meretur, quod inſidias Satanæ & regni tenebrarum nemo effugere poſſit aut vincere, ut par eſt & neceſſe, niſi qui divino ſub præſidio tutus eſt, & a potentiſſimo DEI Spiritû adverſus artes inſultusque malorum Spiritûum protegitur. Enimvero non eſt hoc tûtamen promiſſûm hominibus πνεῦμα μὴ ἔχουσι, qualescunque ſint de cetero: & quam præſtantibus quoque naturæ donis præ mûltis aliis emineant. Putant quidem plûrimi, etiam absque ſanctificationis gratiâ per culturam rectæ rationis & naturalium chariſmatûm pleraque, quæ hucusque perſtrinximûs, vitia averti & corrigi poſſe, aut ſaltem temperari. Imo uſque adeo magnifica de natura & ratione magna portio noſtri ſentit ſecûli, ut, ſi vera, ſi ſolida eſſet iſthæc ſententia, vix ulla amplius

contra Satanam Spiritu opus.

plius

plius ſublimioris ordinis gratia aut Sancto Spiritu opus eſſe videri poſſit. Quicquid horum ſit (neque enim ejus opinionis accuratum examen hoc loco inſtituere velim) id profecto mihi concedi ſummo jure poſtulo, dona naturæ excellentiſſima, etiam probe exculta, & ad uſus haud exiguos applicata & directa longiſſime plures, maturiores, ſapidioresque fructus editura eſſe, ſi naturam ornaret gratia, ſi regerentur ab ipſo Dei Spiritu: ſi denique *omne Sapientiæ ſtudium* (ut incomparabili Pauli Apoſtoli formula utamur) ſapientia ſimul eſſet κατὰ χριστὸν, nec unquam *in eo, in quo omnes theſauri cognitionis & ſapientiæ abſconditi ſunt, doceri, radicari & confirmari* Chriſtiani homines negligerent. (c) Certe vel optimi ſapientiſſimique, ſanctificatis probe donis ſuis reliquis, multa procul dubio viderent, quæ nunc ignorant, multa guſtarent, quæ jam faſtidiunt: multa aſſequerentur, a quibus abſunt adhuc longiſſime: multa evolverent & extricarent, quæ jacent permanentque in tenebris: multa denique evincerent ac obtinerent cum triumpho divini nominis, in quibus aut nihil aut parum proficiunt, & ab hoſte animarum, nuda

(c) *Col. II. 3. 7. 8.*

nuda adverſariorum latera proſpiciente, ſive occultis, ſive manifeſtis irridentur ſannis.

Pereunt inſignia Dei dona, quoties non uniuntur aut conjunguntur legitimè. Quotidiana & conſtans nos docet experientia, non omnem, quod noto proverbio efferimus, ferre omnia tellurem: non omnem omnibus Deum Optimum Maximum largiri: ſed inter multos hæc, illa, iſta ſua dona dividere. Certiſſimo hoc indicio eſt, non ſeparata, non direpta, ſed ſociata & coagmentata hæc munera ſua cupere Dominum. Mutuo enim ſe reſpiciunt, mutuoque expetunt. Conjuncta nitent ac proſunt: diſcerpta languent & expirant. Id quam verum ſit ac manifeſtum, quam triſte inſuper & noxium, placet primum ſimilitudine ab ipſo Dei Spiritu plus ſimplici vice adhibita illuſtrare. Cogitemus corpus quoddam humanum venuſtiſſimum, & in omnibus ſuis membris partibuſque elegantiſſimum. Fingamus has partes diviſas, hæc membra diſjecta. Fingamus, caput hic jacere, ibi brachia: illic pedes: aliis locis cetera, & tamen pulchra & integra, quantum quidem ſingulis convenire poteſt. Horrebimus ad hunc adſpectum,

ctum, omnemque formam ac venuſtatem huic corpori periiſſe dicemus. Ratio ſi a nobis quæratur, reſpondebimus: nihil cohærere: nulli uſui eſſe hunc truncum: quot membra adſunt, tot proſtare cadavera. Imò verò, ut plenior ſit allegoria, fingamus, quod adhuc fœdius eſt, unita quidem in eodem corpore membra, ſed quæ hoſtiliter in ſe invicem ſæviant, ſeque mutuo lacerent, pungant, feriant, deſtruantque. Ovum, Auditores, ovo ſimilius non eſt, quam ruina donorum Dei per diviſiones ac diſcordias exorta in hac ipſa imagine poteſt quam accuratiſſime conſpici. In hanc calamitatem incidunt homines, invito DEO, ſua culpa, & ex cauſis innumeris. Princeps tanti mali ratio in deficiente Spiritus unitate quærenda eſt. Quis prudenter mirabitur, ipſos etiam Chriſtianos non coaleſcere, ſua dona ad communem & benedictum uſum non conjungere: diſtractos eſſe εἰς τὰ ἴδια, hiare ubique & a ſeinvicem diſſidere, & per quandam fermentationis & putrefactionis ſpeciem ſenſim ſenſimque diſſolvi; dum conſtat, nolle eos ab uno regi Spiritu: contra a proprio Spiritu, qui nonniſi ſpargere ac diſſipare poteſt, uſque adeo ſibi non

non cavere, ut potius hunc unum Ducem & rectorem, contemto neglectoque unitatis, h. e. Dei Spiritû, plerique audire & ſequi ſoleant. Hinc naſcitur ſuperbia, quæ ſibi ſola ſemper ſufficit, & parum curat Dona proximi. Hinc ſtupor oritur, quo invaleſcente animus hominis neque ex alterius membri gloria gaudium, neque ex illius paſſione dolorem ſentit ac concipit. Hinc prono fluit alveo infelix habitus & conſuetudo langueſcendi, dum cos cotem non acuit: dum lumen a lumine non accenditur, & mutuis deficientibus auxiliis nihil eorum efficitur, quæ conjunctis viribus & fortiter & feliciter potuiſſent præſtari. Neque diu amica & innoxia permanent apud homines eximia quoque Dei dona, quam primum a ſeinvicem disjungi ac detorqueri ſolent. Amici frigidi & raro coeuntes facile in hoſtes degenerant. Tolerabilior eſſet donorum ſolitudo, niſi ea in hoſtilia arma deinceps converterent male conſarcinati homines. Et certe elephanti corio tectum eſſe exiſtimo, qui rem noſtra quoque ætate ita ſe habere non ſentit ac dolet quàm vividiſſime. Quot ſtudia contraria, eaque multiplici toxico infecta, ubique regnant? Fidenter dico, & vere

ut

ut opinor, quod jam profitebor libere. Reſpublica cum Eccleſia, Eccleſia cum Republica, Scholæ cum Scholis, Eruditi cum eruditis funeſtas exercent æmulationes, atque utinam æmulationes tantum, & non potius bella & odia nullos unquam habitura triumphos! Religio (liceat cum pace Veſtra hoc ſchemate uti, AUDITORES) Religio, inquam, rationem ſuſpectam habet infidelitatis & malorum moliminum; ac viciſſim ratio cum ferocia repellit accuſationes religionis ſibi minus honorificas & prorſus intolerabiles. Certa quædam antipathia inter multos dominatur eruditos, ut ſibi mutuo præſtent, quod ovibus lupi, quod olim in fabula vulpeculæ erinaceus, quod feris animantibus canes venatici. Imo videntur quandoque ſolis opiniunculis diſſentire, qui toto Spiritu diviſi occultis inſtinctibus contrariis adverſus ſe invicem agitantur. Nec ſimplex hoc malum eſt & ſuperficiarium. Morbus lethalis eſt. Malum inveteratum eſt. Cachexia hæc & phtiſis Proteſtantium eſt. De cetero, quod illi ædificant, hi deſtruunt; & contra. Quod his placet, & vehementer arridet, illis ingratum, imo, ut fortiter dicam, odioſiſſimum eſt. Quod ab iſtis graviſſi-

marum

marum & ſalùberrimarum veritatum loco habetur atque commendatur: ab aliis contrario plane judiciò rejicitur, damnatur, irridetùr. Quænam ex his omnibûs Rerum pûblicarum, Eccleſiarum & Scholarum facies hactenus emerſerit, & in poſterum ſit hoc vultu apparitura, etiam absque dono vaticinandi acutiſſime prædici poteſt ac divinari. Id ſc. ſponte ſua inde conſequitur, quod olim diſcordibus Judæis eventurum Jeſaias Propheta prædixit: *Vir carnem brachii ſui comedet: Manaſſe Ephraimum, & Ephraimus Manaſſen. Una illi ſunt contra Judam. Sed tamen per hoc omne non revertetur ira ejus; quin adhuc manus ejus extenſa eſt.* (d)

Pereunt porro plurima, eaque inſignia, Dei dona, quia non excitantur aut foventur ſollicitè. Nota eſt egregia illa & Apoſtolo I. C. digna exhortatio, qua Paulus jubet Timotheum accepta divinitus ἀναζωπυρεῖν χαρίσματα (e) Non diu ardet focus, niſi accenſum ſemel ignem iterata diligentia foveat & exſuſcitet. Vidit Vir Dei, ſine paribus fomentis & abſque ſimili indûſtria dona Dei conſervari non poſſe, nedum aùgeri & multiplicari: &, quod planè me-

(d) *Eſai. IX. 20. 21.*
(e) *2. Tim. I. 6.*

memoratu digniſſimum eſt, inculcavit hoc monitum Viro quidem juveni, ſed ſancto, ſed exercitato in viis Domini, & jamjam idoneo ad proximum ab Apoſtolico munus in ea Eccleſia adminiſtrandum, in qua partem habere ſimplicem, nedum præeſſe cum laude, ſors erat plane glorioſiſſima. Eo turpior & pernicioſior eſt quævis in excolendis donis, inſignioribus maxime, negligentia, quæ nec noſtra ætate rara aut exigua eſt. Nemo in poteſtate ſua habet facultatem eligendi, quid poſſidere velit ex his Dei in natura & gratia muneribus: poteſt vero, imo debet, unusquisque, quæ in eum divina contulit liberalitas, ſervare, augere, ornare atque perficere. Recte his utentibus promiſſa eſt amplior gratia ac donorum fideliter cultorum plenior remuneratio: contra ſervo, cui unum tantum talentûm concreditum fuerat, ab irato valde Domino vehementer & cum indignatione exprobratum eſt, quod non plus fœnoris ejus ope acquiſiverit (f) Quid vero plerosque homines abſtineat a laudabili cultu donorum, ſive ſpiritualium, non difficulter quidem oſtenditur, at difficillime tamen creditur atque agnoſcitur. Spiritualem

(f) *Matth. XXV. 24. ſeqq.*

lem ἀναζωπυρισμὸν puritate conſcientiæ, precum fervore, cuſtodia cordis, exercitiorum frequentia, laboris aſſiduitate, actuum quorumvis ſpiritualium vivacitate perficiendum languere inter homines, non miror: id vero mirari non deſino, quod immanis copia donorum in illo quoque rerum genere, quæ rationis & naturæ viribus ſubjectæ videri poſſunt, inculta jaceat, & graciles ibi dominentur avenæ. Eſſent forte, qui dotes ſuas colerent, niſi putarent, ſe eas excoluiſſe pridem. Alios faſtus impedit, dum credunt, ictu oculi & intuitiva præſentiſſimaque perſpicacia a ſe pervideri ſimul ac ſemel, ad quorum conſpectum operoſa aliorum diligentia ægre & nonniſi per lentos gradus admittitur. Alios venter deprimit, qui uſque adeo congruo ſibi pabulo ſatiatur & paſcitur, ut præcepta quævis alia de ſublimiore cultu cordis atque ingenii fabulæ loco ſint ipſis, ac ſomnii ludibriique ingrata materies. Alios ἀμεθοδεία & in verſus ſciendi diſcendique ordo vel in ſuperbam inanitatem, vel in faſtidioſam optati ſucceſſus deſperationem conjicit. Alios ſive vera, ſive præſumta, hominum ingratitudo vexat, quos meritis ſuis cum præſentibus, tum futuris, vel non

ſatis

ſatis pares, vel non ſatis propitios fore exiſtimant. Quid vero dicam, aut non dicam, de ſpuria tranquillitate & ſecuritate noſtri temporis, tanquam matre fœcunda multiplicis acediæ ignaviæque in excitandis donis alias præſtantiſſimis? Noſtros quondam Majores ſtimularunt acueruntque neceſſitas, moles negotiorum, periculorum gravitas, exemplis ſimilis copia, Zelus cooperantium, ſtudium enitendi ad fines ſerio intentos, aliaque id genus plura. Noſtram ætatem ſi quis magna ſui parte cum his comparaverit, parum ſane abeſt, quin credere cogatur, illos vixiſſe, nos mori: illos vigilaſſe, nos dormire: illos arſiſſe, nos frigere. Imo ſi prædominantes utrinque agendi rationes componamus, videri poſſit, noſtros Majores nihil poſteritati laboris, nihil periculi, nihil calamitatis & neceſſitatis reliquiſſe. Tam alta pace fruitur: tam tuto quieſcit: tam blandum otium, tam ſuaves deliciæ ipſi paratæ ſunt! Utinam hæc vera eſſent! Sed non ſunt vera, imo nec vero ſimilia. Quodſi igitur peſſimis & exulceratiſſimis temporibus, & in creſcente rerum omnium difficultate, ætas noſtra non abundat judicii ſoliditate, maturitate ſcientiæ, conſilii copia, experientiæ incremento, fortitudinis robore, ceteriſque

ſubſidiis ad res publicas privatasque tuendas atque reſtaurandas neceſſariis, convenit profecto meminiſſe, non ipſam donorum penuriam in culpa eſſe, ſed hominum in excolendis ornandiſque donis uberrimis ſocordiæ, quicquid hic vitii & periculi eſt, juſtiſſimo imputari titulo.

Illud quoque, Auditores Honoratiſſimi, labem adfricat donis Dei, & fructus eorum uberiores impedit, cum non diſcernuntur ſapienter ac dijudicantur, h. e. cum maxima minimis, neceſſaria acceſſoriis, ſplendidis ſolida, apparentibus denique vera miſere & imprudenter poſtponuntur. Latiſſimum eſt hoc vitium inter homines & longe perniciosiſſimum. Continebimus tamen orationem noſtram intra Eruditorum carceres & exempla, in quibus hujusmodi errorem ceteri omnium ordinum homines præcipua quadam ratione ſolent committere. Virum vident doctum, eloquentem, ſpectatum, & eminentem ſupra alios. Vident, & mirantur: at num ille religioſus ſit ac pius? num aliquid cœleſtis ſapientiæ habeat? forte ne quærunt quidem ſponte ſua; cumque ab aliis nonnunquam ea de re cogitare jubentur, quaſi expergefacti id unum frigide reſpondent, ſe nihil dubitare:

bitare: imo in omnibus hoc quicquid eſt ſupponere tanquam certum, & in controverſiam ullam nequaquam revocandum. Noſtra quoque memoria paſſim magni vixerunt homines, de quorum ingenio, memoria, judicio, facundia, vivacitate, eruditione & celebritate communis fama magnifica quævis & excellentia prædicat. Nemo hic quoad ſummam rei diſſentit, per omnium ora manusque volitant. Si quis jam paulo ſimplicior & ſcrupuloſior interſtrepere audeat his elogiis, & ſcire in honorem DEI aveat, quas partes, quem locum, religio & pietas, & Chriſtianæ virtutes inter hæc dona habuerint in his Viris? aqua certe hæret, & ſæpe nihil pro iis dici poteſt, quod vel credulum in hoc judicii genere hominem convincat. Sed mittamus periculoſam hanc amentiæ ſpeciem, atque ad alterius ordinis progrediamur exempla. Pulchra & elegantia verba ſine re, ſine veritate, nihil eſſe, bullas & umbras eſſe quis dubitet? Et certum tamen eſt, dari homines, eosque forte non paucos, quibus perinde eſt, ſive vera, ſive falſa, ſive ſtultos, ſive ſapientes audiant: dum audiant elegantia, ſuavia, apte diſpoſita, leniterque mulcentia, aut alia quacunque

ratione male formatis eorum auribus accommodata. Quis non videt, hos homines in cortice hærere, præterito nucleo: pulte non tacta ſolum vitrum lambere, &, ut clarius dicam, infantum more ſibi aliisque illudere? Eſt utique donum Dei eloquentia. Deus eſt, qui Moſi propter gravitatem oris & linguæ tergiverſanti dixit: *Ero cum ore tuo, & docebo te, quid loqui debeas.* (g) At non propter ſeipſam donat hanc facundiam ſupremus Naturæ Autor: ſed ut ſerviat melioribus donis; ut vehiculum ſit veritatis & ſapientiæ: qui finis uſusque cum negligitur, vel omnino contra Deum ipſum invertitur, nihil ſane jam ſupereſt, quam ut noceat, quod prodeſſe debebat, & ab eo, qui majora contemſit dona, minora quoque a vindice Dei manu auferantur. Nec in aliis diſſimilis ratio eſt, ex quorum numero, quia breves eſſe cogimur, unum tantum ſeligimus. Facilitatem e. g. & perſpicuitatem ſermonis inſigne Dei donum eſſe, nemo temere negaverit. Illa ſi ſe exerat exerceatque in doctrinis gravibus proferendis: ſi lucem inferat veritatibus reconditis ac profundis: ſi aliis imperitis vel inexercitatis præluceat; dici

(g) *Exod. IV. 12.*

dici non poteſt, quanti apud omnes haberi atque æſtimari mereatur. Nec tamen exempla eorum deſunt Scriptorum, qui cum notabili damno rerum ipſarum affectant in verbis eſſe perſpicui, omniaque tunc ad ſenſum planum, obvium, facilem & clarum ſapientiſſime ſe redegiſſe putant, cum ſublimia quævis, arcana, & fœcunda non minus, quam majeſtatica Scripturarum ſacrarum myſteria & prophetias profundiſſimas in populares ſententias & elementares doctrinas prius converterint. Contra non dubito, apud alios quosdam Viros eruditos & in religione doctrinaque ſacra exercitatos pondera rerum, & excellentem veritatum præclariſſimarum theſaurum reperiri, ſed involutum ac difficiliori quandoque ſermonis genere traditum, qui attentum patientemque lectorem, ſi, quod res eſt, fateri volumus, poſtulet. Quodſi jam quærimus, in quasnam partes multorum heic judicia propendeant? num his, an vero illis palmam decernant? poſteriores certe prævalente ſeculi noſtri guſtu cauſa cadere exiſtimo. Quo jure, quave injuria? mihi ſaltem obſcurum eſſe non videtur. Hi enim judices dum combinata in uno homine dona

volunt, quæ ipſe Deus non ſemper conjunctim diſtribuit: dum exilius donum præferunt graviori: dum res arduas propter ſolam verborum rotunditatem abs ſe non inventam faſtidiunt: dum qualicunque labore aut patientia, id, quod melius ac divinius eſt, redimere abnuunt: hoc ſuo judicio efficiunt ipſi, ut plurimum fructus ex donis DEI apud ipſos pereat. Nec alia numeroſa deficerent ſimilis plane erroris exempla, ſi in Oratione noſtra, ut in natura rerum, ipſis locus eſſet.

Eidem jacturæ ſe exponunt, qui vel ignorant, vel non attendunt, quam multiplici periculo obnoxia ſit ipſa poſſeſſio donorum, maxime illuſtrium, ut, niſi ſollicita id prævertatur cura, dum proſunt aliis, ipſis poſſeſſoribus ſuis noceant. Vaſculi ſc. fragilis hæc labes eſt, non culpa donorum aut Dei donantis. Ea ipſa de cauſa non decet *ſuperbire* vel ornatiſſimos, *ſed timere* (h) & cavere, Quid nobilius eſt ſcientia, eaque certa & liquida, rerum maxime ad Officia vitæ Chriſtianæ pertinentium? Et queritur tamen Apoſtolus, hanc *ſcientiam inflare* homines, niſi eidem acce-

(h) *Rom. XI. 20.*

accedat *charitas.* Inflare eſt ſuperbum reddere, & vaniſſime quidem ſuperbum ac vera ſapientia vacuum, cum quis ea ſe plenum refertumque exiſtimat. Tanto magis paradoxum eſt, quòd fœdam hujusmodi φυσίωσιν ſcientiæ Paulus attribuit. Nec dubium tamen eſt, quin id fecerit ſapientiſſime, Pulchrum quidem eſt, imo neceſſarium, ſcire, quid factu ſit opus? quid nobis liceat, nec ne? quid conveniat, aut non conveniat? Hoc ſi ignoremus, ſi dubii opinemur & hæſitantes, in promtu error eſt, & lapſus ſæpe graviſſimus. At obſervavit ſapientia Apoſtoli, eos, qui præ cæteris recte ſentiebant *de idolothytis*, hac ſua ſcientia abuſos ad temeraria de fratribus infirmis judicia, ad ſuperbum eorum contemtum, & excitanda eo confidentius ſcandala, quo certius jus ſuum ſe cognitum habere credebant. Deerat nimirum charitas ſcientiam illam dirigens & temperans, ejusque abuſui contraria virtute efficaciter reſiſtens. Nihil obſtat, AUDITORES, quo minus ſpecialem Apoſtoli ſententiam latiſſimo ſenſu ad quoscunque ſcientia & cognitione divites, pauperes autem

---

(i) *1. Cor. IIX. 1. ſeqq.*

autem ceteris donis ſpiritualibus, applicemus, quam ipſa quoque experientia luculentiſſime confirmat. Quantumcunque illi juvent alios, doceant, & ducant ſua ſcientia, certo tamen certius hæc eos inflabit, vel potius propter infirmitatem carnis, cum per ſe ſit innocens, inflandi ſe occaſionem ſuppeditabit, niſi ſincera humilitas ſpiritus deprimat, & accurata cordis cuſtodia ipſum quoque ingenium in officio ſevere contineat. Hoc ſi abſit antidotum, homines iſti fortuna fruuntur anatina: cum exeunt ex aqua, arent tamen, ut Plautinum alias habet proverbium; h. e. quicquid aliis ſuis donis proſint, vel prodeſſe ſe ſibi perſuadeant, ipſi tamen nihil inde proficiunt. Quisquis pollet judicio, alios tunc ſuperbe contemnet tanquam hebetes & ſtupidos: ſi longo uſu & experientia valet, nihil rectum aut ſapiens judicabit, niſi quod ipſe dixerit feceritque. Si dextre tractare negotia didicerit, vix una provincia, vix una laboris etiam graviſſimi ſpecies illius peritiæ deinde ſufficit: ſi denique autoritate & poteſtate ſupra alios eminet, vix ſe, niſi prius ſeipſum ſapientiæ & rationis præſtet ſubditum, continebit, quo minus alios ſive manifeſto imperio,

perio, ſive clandeſtinis regnandi artibus voluntati ſuæ cum voluptate ſubjiciat, ſuæque libidinis ſervos efficiat. Quid vero mirum, imprudentes & male cuſtoditos homines naturæ, quæ vocamus, dona in abuſum tam facile abripere, ſibique in materiam peccandi luendique convertere? dum ne ſumma quidem & maxime gratuita Gratiæ χαρίσματα, apud ſanctos quoque homines, ab hoc periculo tuta ſunt atque immunia. Ipſius Pauli confeſſionem de dato ſibi *ſtimulo Angeloque Satanæ colaphizante*, ne *excellentia revelationis* acceptæ *efferatur*, (k) novimus omnes, & nunquam ſacro absque tremore legimus, ſi illa ſe profundius in animum noſtrum penetret. Corinthiacam ævi Apoſtolici Eccleſiam vix ulla alia mala aut ſcandala tam periculoſe ſollicitarunt, quam id factum eſſe novimus per ſuperbam & licentioſam ſuper donis Spiritus tunc adhuc liberaliter vigentibus κακοζηλίαν & æmulationem funeſtiſſimam; ut vel ex hiſce ſpeciminibus pauciſſimis (plura enim ob brevitatis ſtudium hoc loco adjungere non convenit) clariſſime pateat, quam fallaces ex ipſis Dei donis laqueos ſibi nectere humana ſoleat imprudentia,

(k) 2. *Cor. XII. 7. ſeqq.*

tia, eamque ſimul in cauſa eſſe, cur tot eximia ſupremi Numinis munera ſine fructu inter homines pereant.

Augetur valde hoc malum, cum virtuti & efficaciæ donorum Dei, quæ is quavis ætate confert in homines, contraria impietatis & malitiæ ſtudia prævalent. Niſi divini nominis reverentia & promiſſionum cœleſtium ampliſſimarumque fiducia obſtaret; ſi ſenſum præſentium malorum & calamitatum nos pateremur ſtupefacere, haud longe a puſillanimitate (ne quid gravius dicam) abeſſet bonorum quoque & ſapientiæ ſtudioſorum hominum hac in parte timiditas. Quod ſurdis jucundiſſimæ voces: quod cæcis ſpectacula elegantiſſima: quod mortuis omnis viventium ſcena præſtare poteſt; id ſunt præſtantiſſima quævis dona magnæ hominum parti, qualis hodie vivit & regnat. Nihil dico, quod moroſitatem ſapiat, aut debeat ad imperitorum ſophismata relegari. Id certo ſciunt ſapientes, & cum triſti parrheſia apud Deum frequentius, quam apud homines, profitentur. Certe fruſtra ſunt Doctores, ſi præter pauciſſimos dociles eos nemo audiat: fruſtra eſt doctrina, ſi in medio bonorum & ſalubrium præceptorum

rum peſſime creditur & vivitur. Quid proficitur judicio Virorum ſapientum, cum errores quosvis, cum corruptos mores & ſtultos quovis affectus ſequi, dum id in uſu ſit apud multitudinem, ſapientia eſt? Quid prodeſt virorum doctorum copia in ea ætate, qua ignorantia, etiam pudenda, fortunas hominum non impedit, literas neſcire non paucis prope glorioſum videtur? in ea, inquam, ætate, in qua ipſe etiam eruditorum numerus oneri eſt, & nimis heterogeneæ eorum ſpecies in ludibrium cedunt otioſis & ſciolis irriſoribus? Vana inſuper & ſterilis omnis redditur exercitata in commune conſulendi peritia. Quotusquiſque enim hodie eſt, qui non muſtea malit conſilia, & Phaëtonticos conatus, ſive proprios, ſive alienos, maturis ſubactisque, ſed ingratis, cogitationibus hominum expertorum non præferat? Ponamus, dari ſeculo noſtro viros cordatos & probos, diſciplinæ amantes, juſtos cenſores morum publicorum, paratosque ſe pro virili ſua parte opponere invaleſcentibus ſcandalis. Hos donum Dei eſſe, certiſſimum eſt. At nemo ignorat ſapiens, nemo pius non dolet, quantillum ſit, quod ab illis tentari poſſit, nedum perfici. Tam

pro-

probroſa hæc res eſt, ut prope illius pudeat meminiſſe. Ipſarum quoque veritatum, quas certe ſeculum noſtrum divino munere poſſidet egregias, tam frequens, tam malignus, tam pertinax denique abuſus hodie invaluit, ut parum abſit, quin apud multos in errorem & venenum degenerent: aliorum autem averſationem & odium nonniſi difficillime effugiant. Id ſaltem certum eſt, quamvis mille veritatulis minoris momenti mirum in modum delectentur homines, eos tamen graviſſimas & maxime neceſſarias veritates ac doctrinas non quærere, quæſitas non invenire, inventas non guſtare, guſtatas haud diu ſervare ac retinere. Et quid utilitatis tandem retinebunt egregia ſapientiæ veteris ac novæ monumenta? (Libros utiles & inſignes intelligo) dum illorum uſum ſapientem & legitimum tot miſerrimæ cauſæ evertunt & enervant, ut credere fas ſit, niſi incendia, deprædationes, aliæque calamitates publicæ celeriore gradu hunc prævertant eventum, ob mendicitatem noſtri temporis, ob acediam, ob ventrem, ob alias denique rationes ſimiles, quas jam diducere nolumus, tineis blattisque ac ſpiſſo pulveri magis magisque illos traditum iri. Ad extremum

de

de libertate ſentiendi docendique publica, quam excellens Dei donum agnoſcimus, ſed malitia hominum peſſime depravatum, idem quaſi in tranſitu monemus ac fatemur, nihil dubitantes, horum omnium malorum feces poſteritatem noſtram liberaliter eſſe hauſturam.

Plures alias, quæ hoc loco amplificari non poſſunt, rationes, in breve liceat mittere compendium. Pereunt ſane & corrumpuntur inſignia Dei dona, eaque varii generis & momenti, quoties in tempora obſcura, ſordida & barbara incidunt, quibus vel excellentiſſima ingenia optimæque mentes a nugis, tenebris & ineptiis ſuffocantur, ut jam ſæpe inter ipſos quoque Chriſtianos, per intervalla ſatis diuturna, factum eſſe, nemo noſtrum ignorat. Pereunt, dum, quod una parte proſunt & delectant, mille nocent aliis, atque vehiculum deinceps præſtant periculoſiſſimis corruptelis, quæ absque hujusmodi ſubſidiis vel nunquam natæ eſſent, vel ſaltem in cunis mature extinctæ. Pereunt, dum longe aliis finibus fructibusque a Deo deſtinata vel nugis operoſis, vel aliis inutilitatibus ſplendidis atque otioſis frequentiſſime conſumuntur. Pereunt, dum per ineptiſ-

ſimam

ſimam ſervitutem alienæ magis voluntati atque libidini, quantumvis injuſtiſſimæ, ſervire coguntur; quam veritati virtutique ornandæ ac illuſtrandæ permittuntur prodeſſe. Pereunt, dum loco ſuo ordineque non collocantur, hocque vitio evenit, quod eleganti metaphora a Salomone Rege expreſſum legimus: ut *ſervi ſuper equis, & Principes inſtar ſervorum ſuper terra incedant.* (l) Pereunt dum juſtos tranſiliunt limites, atque ad eos uſus detorquentur, ad quos nata & facta non ſunt. Pereunt, cum nondum matura & excocta vel ab ambitionis pruritu, vel a latrantis ſtomachi neceſſitate, atque in paupertatis ſubſidium intempeſtive protruduntur. Pereunt denique, dum id, quod in pulchris his vineis & arboretis præter modum luxuriat, opportuno tempore, & ſapienti diſciplina non amputatur atque præſcinditur. Plura ejusmodi exempla ſi afferrem, AUDITORES, plus forſitan tædii, quam voluptatis excitarem. Satius itaque eſt meæ vim inferre Orationi, quam Veſtræ patientiæ.

Nec tamen æquum foret in iſtarum ſcrutinio cauſarum Deum ipſum & juſtiſſima illius ſicco pede præterire judicia. Hæc manibus

(l) *Eccleſ. X. 7.*

manibus palpari poſſunt, & in omnium incidunt oculos. Nec dici ſatis poteſt pro rei dignitate, quam graviter turpem & nefandum donorum ſuorum abuſum vindex Dominus ulciſci ſoleat. Non meis, ſed Scripturæ maxime verbis utar in pingenda hac imagine. *Superbis Deus reſiſtit. Divites vacuos & inanes relinquit.* Nauſeantibus doctrinas ſalutares & divinas *famem ſitimque* rabidam immittit, vel nunquam, vel difficillime explendam. *Malum in bonum, lucem in tenebras, amarum in dulce convertentibus* maledicit Dei Spiritus, & accenſam adverſus eos iram Jehovæ denuntiat. (m) Eodem juſto Dei judicio ab ingratis aufertur tandem *omnis baculus & bacillus, vir fortis, judex & Propheta, Senex & Conſiliarius*: illique tunc dies adveniunt, quibus ex conſilii inopia *vir fratri ſuo dicere cogitur: In domo mea non eſt panis; neque veſtis. Ne ergo me ponite Principem populi.* Tyrus myſtica, quæ *cor ſuum dedit, ſicut cor Dei, plena ſapientiæ & perfecta pulchritudine, profanatur de monte Dei, & e medio lapidum ignotorum cum probro removetur.* Sapientia male uſurpata, falſisque luminibus decepta mutatur in *Spiritum*

(m) *1. Petr. V. 5. Luc. I. 53. Amos IIX. 11. Eſai. V. 20.*

ritum vertiginis. Ductores populorum fiunt ſeductores, & viam ſemitarum, quâ eundum eſſet, abſorbent. Intelligens malis temporibus cogitur ſilere. Talentum infideli ſervo eripitur. Lychnus de loco tollitur, & luce extincta ſpiſſæ undique ſuccedunt tenebræ. (n)

Prohibeat DEus Ter Optimus Maximus, ne, licet ſatis vicini ſimus his periculis, unquam penitus in hoc barathrum, in has voragines incidamus, vel ipſo adſpectu & metu longinquiore horridas: & prohibebit certe, dum medicam manum ætas noſtra admiſerit, & ſana conſilia, quæ non ignorat, generoſo obſequio expedire diſcat & exequi, Non is ſum, qui meo ex ſinu quidquam in commune heic conſulere poſſim vel audeam. Haberem, ſi tantum de viribus meis præſumerem, cauſas timendi graviſſimas, ne mihi, quod olim celebri Capucino Richelii Cardinalis in bellicis non minus, quam civilibus negotiis adminiſtro in ludibrium ceſſit, pariter eveniat. Cum enim is in conſilio bellico, cui Card. Valletta & Saxo Vinarienſis Dux Bernhardus præerant, ſuam quoque

(n) *Eſai. III. 1. 7. Ezech. XXIIX. 2. ſeq. Eſ. XIX. 13. 14. III. 12. Amos V. 13. Matth. XXV. 28. Apoc. II. 5. Joh. XII. 35.*

que de expeditione in hoſtem ſuſcipienda proferret ſententiam, huicque fini ex mappa Geographica, quasnam urbes, unam poſt alteram, aggredi & occupare conveniat, digitis ſuis oſtenderet: a modo laudato Principe deriſus eſt, blandioribus quidem hiſce verbis additis: non digitis indicibus, ſed armis valide pugnantibus eas urbes ac munitiones, quas oſtenderat, poſſe expugnari. Scire ſc. debuerat præpoſterus miles, & imperitus thraſo Monachus, quamvis natalibus nobilis, ridiculo ſchemate ipſum rebus a ſua profeſſione alienis, quas non intelligebat, ſe miſcuiſſe. (o) Non committam, ut ſimile quid de me dici poſſit, vel ſaltem cogitari. Vota potius nunc adjungam, quam conſilia; manifeſta atque ab omnibus agnita indicabo remedia, non vero arcana & ingenioſa curandi morbos hos graves artificia ex intimo ſinu Politicæ artis revelabo. Permittite igitur, AUDITORES, ut hac quoque officii, quod in me recepi, parte breviter defungar.

Diximus, ex defectu ſolidæ pietatis & ſan-

(o) *V. Michael le Vaſſor Hiſtoire de Louis XIII. T. VIII. P. II. p. 172.*

ſanctificantis gratiæ pleraque omnia oriri vitia, quæ cetera Dei dona, etiam præſtantiſſima, polluunt & vaſtant. An id omnes ac ſinguli agnoſcant? neſcio; id vero certo ſcio, miſeros eſſe & infelices, qui hanc veritatem ignorant: imo plus dico, qui hanc veritatem ne ab aliis quidem ſibi patiuntur perſuaderi. Prima Scripturæ & revelatæ religionis elementa abnegat quisque circa hanc partem ſapientiæ incredulus. Lubentes interim fatemur, haud paucos eſſe, quorum culpa in voluntatis potius perverſitate, quam intellectus ignorantia, quod ad ſummam rei attinet, quærenda eſt. Non neſciunt aut negant, *ſtultos & excordes* appellari a Spiritu Dei, quotquot Numinis divini timore & reverentia, h. e. vera pietate & ſanctitate ſunt vacui. Probe norunt, ſe ſuper odioſa hac veritate homines quidem, quaſi calumniæ & injuriæ cauſa, in litem vocare poſſe, Deum ipſum vocare non poſſe. Aliter ergo rem ſuam inſtituunt. Negant, ſe Deum non timere, aut Chriſtum non ſequi. Affectatam ſolum & hypocriticam pietatem, vel ſanctitatem etiam fanaticam ſibi deeſſe, ac merito a ſe repudiari prætendunt. Enimvero quam falſum hoc ſit in magno doctorum

ctorum & præſtantibus ſæpe naturæ dotibus ornatorum hominum numero, eorum ſuperbia, profanitas, avaritia, carnalitas, mordacitas, luxus, ſolipſismus, temeritas, polypragmoſyne, ſpiritus irriſorius & impatiens, & alia id genus vitia, manifeſta non raro & publica, Sole docent clarius. Si hi de ſe invicem teſtimonium dicere cogerentur, nec ipſi, ut puto, loquerentur aliter, & pateret multis indiciis, ipſos de ſe mutuo talia credere & ſentire. Etiam ubi craſſa hujusmodi vitia ſe non patefaciunt in aliis, verendum tamen eſt, ne in media honeſtate morum vita vere ſpiritualis, vita Chriſti & Spiritus illius, ſæpe deficiat, in qua nervus omnis, omnis gloria & vigor pietatis & ſapientiæ Chriſtianæ conſiſtit. Habere autem iſtud doctorum genus rationes longe graviſſimas, vel donorum ſuorum cauſa, mutandi mentem, odioſa quidem veritas eſt, at veritas tamen, quæ facile poteſt defendi. Cogitemus, quæſo, quid hoc rei ſit? Scire velle omnia, & Chriſtum non diſcere: judicio valere in rebus ſeculi, & in anima ſua negligenda plus quam infantiliter deſipere: promereri donorum ſuorum ſpecie favorem & gratiam hominum; nec placere tamen DEO

in divina illa imagine, quam ſola JEſu Chriſti gratia in nobis reſtaurat: fortem eſſe & intrepidum in ſe tuendo adverſus aliorum calamos atque ingenia; ac principi capitalique animarum noſtrarum hoſti per ſummam, eamque ſpiritualem, ſocordiam miſere ſuccumbere: elegantem ſimul linguam & cor DEO barbarum, os erga homines liberum, & mentem Satanæ captivam habere, κ.τ.λ. Quid igitur ardentius ſuſpirandum eſt bonis omnibus exoptandumque, quam ut tot eximiis donis reliqui ordinis, quæ Deus ætati noſtræ liberali ſatis menſura largitus eſt, par, imo major & efficacior, ſpiritualis gratiæ abundantia per totam, quaquaverſum patet, Eccleſiam Chriſtianam, divino beneficio, ſed per homines non impedito, ſpargatur undique & diffundatur? Tunc, tunc demùm (ut promiſit his conditionibus Miſericordiarum Pater) *plena erit terra ſcientia Jehovæ, ſicut aquæ mare contegunt: tunc ſylva in agrum, & locus ſiticuloſus in ſcaturigines aquarum convertetur: tunc deſinet violentus, & conſumetur irriſor. Scient namque errantes Spiritu intelligentiam, & diſciplinam diſcent obſtreperi.* (p) Huic fini obtinendo

(p) *Eſai. XI. 9. XXXII. 15. XXXV. 1. ſq. XXIX. 20. 24.*

nendo nullæ leges, præcepta nulla, nulla temperamenta, nullæ methodi arteſque ſufficiunt. Divina gratia heic opus eſt ex una parte, parata utique & oblata omnibus, & ex altera obſequioſa docilique voluntate hominum, quam omnino urgemus, optamus, & ſollicitamus: ſed quam cogere & ſuperare, ſi non audiat currus habenas, nemo unquam poterit hominum.

Quodnam autem remedium adverſus diſſipationem & paroxyſmos hoſtiles donorum, de quibus ſupra conqueſti ſumus, adhiberi poſſit ac debeat? non immerito quæritur. Reſpondemus, ſuppetere, ſi velint homines; ſi nolint, non ſuppetere. In Spiritu Dei facilis eſt donorum concordia. Si caro regnare pergat ac prædominari, ſive craſſa, ſive ſubtilior & delicatior, nihil hac parte ſperandum ſupereſt. Inter Eccleſiam carnalem & carnalem Rempublicam ſemper aut pax peſſima prævalebit, aut bellum peſtilens. Nec religio vera & ſeria rationem degenerem, licet ſuperbam & ferocem, facile patietur dominari: nec ratio bullata & ex ephebis educta religionis ſibi imperantis dominium viciſſim agnoſcet unquam. Id unum ergo ſuper-

eſt, ut obſtruantur hi fontes malorum, vel oſtendatur ſaltem, quî poſſint obturari Dei & conſcientiæ cauſa, Ex multis aliis dicemus hoc unicum; credendum eſſe vel tandem noſtri ſeculi hominibus, ſui eſſe officii, ut ad unum finem vere ſanctum & laudabilem per media omnibus ac ſingulis æqualiter a Deo præſcripta contendant. Unus ille finis, univerſis confitentibus, gloria Dei, animarum ſalus, religionis vigor, communis denique patriæ ac Reipublicæ vera & genuina felicitas eſt. Hunc unum finem ſi omnes ac ſinguli, qui in Republica vivunt atque Eccleſia, unanimi ſuffragio ſibi vere præfigerent, plane mihi perſuadeo, circa mediorum ad conſequendum hunc finem pertinentium delectum nullam magnopere ſuperſtitem fore controverſiam, vel ſi ſuperſit, (quod omnino inficias ire nolumus) eam longe facilius componi poſſe, atque ad tolerabiles terminos redigi. Firmiſſime credo, eos, qui in mediis (maxime a Deo ipſo jam præſcriptis definitisque) pertinaciter diſſentiunt, vel finem iſtum, quem diximus, non recte intelligere, vel eundem ſerio non velle, quamvis id verbis ab omnibus prætendatur. Ad hunc itaque finem, non

ad

ad privatam ambitionem, commoditatem, gloriam, voluntatem atque libidinem, omnium donorum uſus converti debet. Tunc idem velle & idem nolle non diſcordiæ mater erit, ſed pacis unitatisque Chriſtianæ fundamentum ſolidiſſimum. Tunc reſpublica in ventris & burſæ gratiam nihil detrahet Eccleſiæ juribus, eamque in officio ſuo non impediet, quin potius fideliter & valide eam adverſus quævis ſcandala & pericula tutabitur. Tunc Eccleſia non amplius turbabit rempublicam: non miſcebit ſe alienis negotiis: non imperabit præpoſtere; verum doctrinæ puritate, ſanctitate vitæ, diſciplinæ integritate, obſequio modeſto, precibus fervidis, ſparſis undique pietatis morumque innocentium ſeminibus Rempublicam juvabit ſtrenue, excitabit & ſuſtentabit. Tunc evaneſcet ſua ſponte indomita libido mutandi quadrata rotundis. Non ultra propriam quisque Theologiam, Jurisprudentiam & Philoſophiam propriam ſibi fingent ſinguli: ſed amice conſpirabunt & communes fructus ferent unitæ & harmonicæ partes veræ ſapientiæ. Obtinebit ad minimum ſalutaris in rebus neceſſariis unitas, in iis, quæ neceſſariis proxima ſunt, prudens vi-

gilantia: in dubiis ſapiens cunctatio; in ſupervacuis, immaturis & exilibus, & multo adhuc magis in perverſis & noxiis circumcidendis, gravis ac neceſſaria autoritas. Privata ſalus haud præferetur publicæ. Religioni præ quibusvis carnis commodis ſuæ conſtabunt prærogativæ. Deſinent ſine neceſſitate altercari Theologi: Hi vero viciſſim, ubi juſta & ſancta eſt eorum cauſa, non amplius in prædam quibuscunque hominibus profanis & irriſoribus, quibusvis lixis & calonibus, relinquentur. Sapientia infinitis nugis minutiisque haud onerabitur; modeſta denique libertas in factioſam & anarchicam licentiam, quæ omnia proterve lacerat & dividit, nequaquam degenerabit. Hos, hos fructus donorum Dei ex ſancta iſta & ſapiente finium legitimorum unitate liceret ſperare & conſequi, ſi in praxi ipſa tam obſervaretur ſollicite, quam certum eſt, eam communi univerſorum conſenſu theoretice laudari & prætendi. Quicquid igitur hac in re peccatur ab hominibus, certe a ſcientibus volentibusque delinqui, prorſus manifeſtum eſt.

Dicamus nunc porro aliqua, ſed breviſſime, de promovendo cultu donorum inſignium, avertendisque cauſis languoris & acediæ, quas ſuo ſupra loco indicavimus.

Spiri-

Spiritualem ignaviam in procurando ſalutis negotio præſentiſſimum teterrimumque animæ periculum, quod cum ea conjunctum eſt, facile univerſis excuteret, ſi ſæpius illud meditarentur, ac profundius in pectus ſuum demitterent. Illi ipſi ſervo, cujus mentionem fecimus ex ore Domini, poſtquam *defoſſum & ſterile talentum Paterfamilias reperit & objurgavit*, ſevera hæc ab eodem denuntiata eſt ſententia; *Tollite ab eo talentum; ſervum autem inutilem in exteriores tenebras ejicite: ibi erit planctus & ſtridor dentium.* Quem hæ minæ non terrent, is aliis rationibus ab otio ſuo ſpirituali haud facile revocabitur. Pudendum interim eſt, id ipſum ſerio ac diligenter non agere, quo neglecto cetera omnia, quæ egimus, quæ manibus pedibusque in toto vitæ noſtræ curriculo perfecimus, vana, nulla, & ſterilia ſunt. Ceterum & illi damnabilis negligentiæ rei ſunt, qui partim ad præſtanda communia vitæ humanæ officia, partim ad vocationem ſingularem rite ornandam dona a Deo in ipſos collata fideliter aut accurate haud applicant. Si qui ſuperflua & ad ſe proxime haud pertinentia dimittere ſe poſſe exiſtimant: certe neceſſaria negligere non licet impune, & ſine vitio. Vel minima autem

& mediocria dona neceſſario cultu adhuc-dum carent, quam diu deficit ſolida cognitio, convictio certa, & uſus legitimus. Nedum prima & qualiacunque donorum excellentium veſtigia & ſparſa hinc inde ſpecimina, quamvis non mala, niſi paris momenti conatus & labores inde excitentur, ad præſtandam Deo fidem ſufficiunt. *Cuicunque multum datum eſt, ab eo multum repetetur: & apud quem multa depoſita ſunt, ab eo amplius repoſcetur.*(q) Cetera ſi quis hominum aliorum cauſa nolit quicquam ſibi negotii faceſſere, id tamen ſupereſt, ut faciat propter Deum & conſcientiam, quod non tam proximo, quam ſibi debet ipſi. Gratitudo humana non eſt noſtri regula officii, quod perſequi, quod implere tenemur, etiamſi nemo fidem noſtram gratus agnoſceret, quod tamen fieri, certo ſciri, non autem fingi debet. Ut taceam, eo puriorem in cœlis eſſe mercedem, quam hominum remuneratio non anticipavit. Præterea inſulſum eſt, exigere ab aliis, ut feces noſtras ſorbeant, ut acidos & immaturos fructus noſtros boni conſulant; dum ſciunt, nos generoſum ipſis vinum & maturas fruges debere, &, quo minus id fiat, ſolam ignaviam noſtram, vel etiam ſuperbiam cum eorum contemtu conjun-

(q) *Luc. XII. 48.*

ctam

ctam, ſæpe efficere. De illis, quorum dona cupiditates carnis & ventris ſtudium ſuffocant atque obſcurant, peſſime ſentire eſt recte ſentire. Hoc hominum genus in culinam & popinas detrudere convenit: inter erectiores & ficta meliore luto præcordia nullum merentur locum: nec unquam inter aqualiculos & nidores a ſapientibus veræ ſapientiæ alumni ſunt educati. Et quid multis opus eſt, dum res ipſa loquitur? Aqua ſtagnans putreſcit. Ager incultus ſpinas & tribulos, non ſegetem aut meſſem, profert. Nummos in ciſta recluſos non augere facultates poſſeſſoris, nemo ignorat. Sic mens humana nec ſpiritualiter exculta, nec formata rationalis quoque ſapientiæ præceptis, ut par eſt, & officium exigit, miſerrimam induit formam, nec cœlo, nec terræ quicquam in poſterum propter ſterilitatem profutura, imo potius per ſylveſtres & amaros fructus ex incultis hujusmodi dumetis naſcentes nocitura plurimum. Optandum igitur eſt quam maxime, ut ſuprema Dei voluntas, neceſſitas rei, finium, quorum cauſa omnia hominibus dona a Deo data ſunt, dignitas, ſanctorum non minus, quam ſapientum, exempla, maxime vero ſingularis temporum, in quibus vivimus, conditio acres ſtimulos ſubdant uni-

ver-

verſis, ut, quod Apoſtoli verbis exprimimus, fiant μὴ ὀκνηροὶ τῇ σπουδῇ, καὶ ζέοντες τῷ πνεύματι. (r)

Pericula donorum inſignium domeſtica, philavtiam maxime & ſuperbiam, non diſſimulavimus. Si jocari liberet in re ſeria, dicerem, multos ideo quoque dona ſua non excolere, ne forte occaſionem inde accipiant ſe efferendi altius, aut criſtas extollendi; non ſecus, atque Chriſtianorum plurimi pietatem ſanctitatemque fugiunt, quia ſuperbiæ Phariſaicæ diſcrimen inde ſibi imminere ſomniant. At ſerio loquendum eſt. Sc. ſua dona in recti cordis hominibus Deus ipſe cuſtodiet: ipſe, quam abſurdum ſit de alienis muneribus gloriari, valide eos convincet: ipſe ſinceram humilitatem, fideliſſimam illam excellentiſſimorum theſaurorum cuſtodem, inſpirabit: ipſe denique ſervos fideles, non ſuæ, ſed Domini, gloriæ ſtudioſos gratioſe coronabit. Poſſent ipſi quoque homines magnam partem hujus periculi a ſeinvicem avertere, ſi candide, ſi prudenter, & religioſe ſecum agerent: ſi ab adulationibus & laudibus præpoſteris abſtinerent: ſi meminiſſent, θαυμάζειν πρόσωπα ὠφελείας χάριν (s) ab Apoſtolo inter vitia non ultima referri. Taceo, illud quoque pharmacum efficax eſſe adverſus φυσίωσιν, ſed ſapientibus, ſi conſide-

rent

(r) *Rom. XII. 11.* (s) *Ep. Judæ. v. 16.*

rent, quicquid fere eſt laudis, æſtimationis, & honoris inter homines, plus conſuetudini dari, quam veritati, verbis magis honoris, quàm candore conſtare, ut ſæpe neſciatur, jocone an ſerio? ex metu vel amore? ad irridendum ne vel ad honorandum? tota hujusmodi ſcena ſit inſtructa? Quæ omnia viros prudentes, ſi vel obruerentur tentationibus hujus generis, ſuſpicioſos reddunt merito, ſed & hoc ſimul præſidio tutos præſtant ac ſecuros. Aliis quoque mediis ſeverioribus & magis ſeriis Deus Ter Optimus Maximus nonnunquam uti ſolet ad corrigendos præſervandosque homines, eos maxime, quos diligit, & in gloriæ ſuæ inſtrumenta deſtinat ac præparat: Verum iſta nunc cum pluribus id genus aliis dimittimus, non quod digna non ſint referri, ſed quia modus orationi noſtræ ponendus eſt.

Id unum igitur nobis agendum jam ſupereſt, ut votis pro PRINCIPE, pro patria, pro Academia denique noſtra Panegyrin hodiernam decenter obſignemus. Vigilet pro PRINCIPE SERENISSIMO Sapientia ſuprema, falli haud neſcia, amoris pleniſſima, exactiſſime provida, omniumque donorum, tanto maxime faſtigio dignorũ, ſcaturigo abundantiſſima. Quicquid ſapientiæ, quicquid conſilii, dexteritatis & virtutis ſive proſtat, ſi-

ve

ve latet in his terris, id omne ut PRINCIPIS ſa-
luti, ut patriæ emolumentis feliciter, Deo be-
nedicente, inſerviat, precibus a Domino ora-
mus calidiſſimis. Serviant illuſtria dona, quæ
divina hactenus inter nos conſervavit cle-
mentia, augenda quotiie & ornanda in o-
mnibus; ſerviant, inquam, tuendæ religioni,
veritati propagandæ, firmandis legibus, pro-
tegendis bonis, coërcendis malis & propulſan-
dis. Noſtræ maxime EBERHARDINÆ ſua ſer-
vet ornamenta Dominus ac Deus noſter Cle-
mentiſſimus. Hujus dotes apud docentes di-
ſcentesque egregias ſanctificet, uniat, ordi-
net, augeat atque cuſtodiat. Avertat poten-
tiſſime, quicquid hoc Sanctuarium noſtrum
profanare, hanc Scholam corrumpere, hanc
Societatem literariam diſſipare poteſt.
Conjungat Rempublicam Eccleſiæ, Eccle-
ſias Eccleſiis, Academiis Academias, Do-
ctores Doctoribus, imo ipſos etiam diſcen-
tes diſcentibus per totam Germaniam
Evangelicam, omnesque alias, quæ Nomen
ejus profitentur, provincias, ut ſublatis diſ-
ſidiis, ſuſpicionibus, & diſtractionibus prope
infinitis, ceſſantibus finibus contrariis, me-
diis diſparatis, exulceratis diſcordiis, eo-
rumque omnium fontibus ac cauſis, reli-
gio, veritas, pietas, & quorumcunque dono-
rum ſalubrium ubertas ſanctiſſime ubique
triumphent ac feliciſſime.

DIXI.

ORATIO SECUNDA
de
Virtutibus, Vitiis & fatis
Miſſionum,
quas
Romana Eccleſia per omnem
terrarum Orbem convertendarum
gentium gratia inſtituit,
Recitata
In Panegyri Doctorali
D. D. Prof. HAGMAIERI
D. XV. menſis Septembris
A. D. MDCCXXVII.

P. P.

EUm Vobis, AUDITORES HONORATISSIMI, in ſolenni hac Panegyri honorem deberi atque reverentiam, ut nonniſi de re gravi, honeſta, atque utili ſermones publicos inſtituere expediat, cum ſtatuta conceptis verbis inculcant Academica, tum aliis ex rationibus, quibusvis Sapientibus obviis & probatis, non difficile eſt intelligere atque agnoſcere. At copia tunc facere ſolet inopes, &, ſi eousque vela pandere liceat (uti ſane licet) utrumque Oratori publico concedi debet, ut, cur plurima non dicat, cur dicat ea, quæ tandem eligit, rationem reddere ipſi ſit quam maxime integrum liberumque. Non eſſem hæc præfatus, niſi eadem plane ratio propius ad me, quam ad alios, nunc pertineret. Permittite igitur, A. H. ut breviter delibemus, quæ dici poſſent, atque etiam liberet dicere;

utque

ütque deinceps decerptis quibusdam floſculis principem noſtram orationem ad id argumentum flectamus, quod propter illius amœnitatem, & quia plerisque Auditoribus convenit, dignum eſſe ſeligi probabili ratione judicavimus. Si Vir eſſem Politicus, quærerem, quisnam in præſentia Status ſit Reipublicæ? Percurrerem ſcrutinio ad minimum privato, quo tendant & properent imperia, regna & provinciæ, quamvis id vix aliis ignotum ſit, quam qui ſtupidi ſunt, aut bajuli, aut ventres, quibus omnia recta ſunt, dum ipſi ſaginam habeant uberem & paratam? (a) Si Philoſophi

(a) Quæ tunc temporis ex toto propemodum Orbe nova, eaque memoratu digna præ multis aliis, indice quaſi digito tetigimus, vel maximam partem interea ut umbræ, & fumi inſtar, evanuerunt, vel adhucdum ad elephantinum usque partum ſervantur in ſuis matricibus. Sic ſunt res maximæ hujus ſeculi, quæ plerumque ſolo hoc nomine appellari merentur maximæ, quia, qualeſcunque ſint in ſe ipſis, nocere tamen aut prodeſſe poſſunt quam plurimis, &, ſi quam cladem inferunt, nonniſi maximam & peſtilentiſſimam ſecum vehunt! Non eſt interim neceſſe perſonam, quam viva voce tunc demonſtrare fuit plane integrum, ſerio nunc atque publice adſumere. Admirabilis, quæ in omni illa ſcena ſe hucusque exſeruit, Dei pro-

phi aſſumerem perſonam, inveſtigarem præſentem Scientiarum ſtatum, Syſtematum varietatem, ſcientiarum incrementa ac decrementa, noviſſimarum controverſiarum faciem, triumphos ſ. veros, ſ. inanes partium diſſidentium; quæ certe ampliſſima ſeges eſſet, & ſpicilegium ipſi meſſis abundantiæ haud multum diſſimile. Sin agerem jure Theologi, ingererent ſe animo meo quæſtiones graviſſimæ: Cur tantopere religionis vigor hodie decreſcat? Cur in impietate & hypocriſi omnes fere cœtus particulares Chriſtianorum de palma ſecum certent invicem? Cur nonniſi ea, quæ mala & prava ſunt, ex mutuo diſcant hauriantque commercio? Cur ex tot cenſuris mutuis, non ſemper injuſtis aut mendacibus, nulla tamen ſequatur emendatio? Quo jure, quave injuria in tam vilem contemtum noſtra ætate Religionis miniſtri inciderint? Quam miſera res ſit, omnes hodie de religione dictatorie judicare, & nihil

videntia gubernavit hunc Mundum, & reget ſuperbum hocpunctulum ad finem uſque ſeculorum invariabilis ipſius potentia, ſapientia immenſa, puriſſima ſanctitas, & ridens Hominum machinas & conſilia, (ſi, ut ſolent, a ſuo diſſideant) ſevera ſupremi Numinis Juſtitia.

nihil tamen præſtare, imo ne digito quidem ſæpe attingere, quod judicium maturum & ſapiens præformaret atque excoqueret? Imo quærerem per ſaltum: Cur Papiſmus tam enormiter creſcat, etiamſi ne pilum quidem mutaverit, atque eadem in doctrina, cultu, & regimine adhucdum perdurent ſcandala, quæ unquam in Romana Eccleſia potuerunt ac debuerunt conſcientiæ cauſa reprehendi? Cur, (quod jam olim in Hiſtoria Conclavium R. P. (b) judicioſiſſime annotatum invenio, & nuper

(b) *Hiſtoire des Conclaves T. II. p. 184. ſeqq.* Sic ibi diſſeritur: *Il tombe aſſez naturellement dans l' eſprit ſur ce ſujet une difficulte, qni meriteroit bien d' etre examinèe, pourquoi les Cardinaux preciſement doivent avoir le droit de nommer le Pape? Cela ne peut ſe faire, & ne ſe fait actuellement, que par le moyen d' une infinite de brigues, de peines, & de tours de ſoupleſſe, ſans parler icy des paſſions, qui entrent dans toute cette affaire. D' ou vient, qu' un Pape, que l' on croit infaillible, n' a pas le droit de nommer celui, qui doit lui ſucceder? s' il eſt vrai, que Dieu a fondè ſon Egliſe ſur S. Pierre, & non pas ſur le ſacre College, le droit de nommer un Succeſſeur doit inconteſtablement appartenir au Souverain Pontife. On n' a pas beſoin de s' en raporter au choix, que les Cardinaux en ſont dans le Conclave, comme ils y ſont occupez aujourdhui. Quelle apparence y a-t*

nuper admodum relegi) Romanis Antiſtitibus, cum infallibiles ſint, nec errare poſſint in rebus ad ſalutem religionis atque Eccleſiæ pertinentibus, Succeſſores infallibiliter eligendi poteſtas tamen haud relinquatur, dum ea via medioque fallibilium Cardinalium & Conclaviſtarum errores, vitia, ſcandala, & abortus omnium commodiſſime, &, quod majus eſt, ſanctiſſime præſcinderentur? Poſſent etiam Oratorem Theologum occupare Paralipomena Conſtitutionis Unigenitus, atque in his maxime nuperum Breve Benedicti XIII. ad Ordinem Dominicanum, in quo Auguſtini & Thomæ Aquinatis doctrina de gratia per ſe efficaci, quæ Clementinæ Conſtitutioni, ut aqua igni, concordat, ſolenni, forte etiam cathedrali, definitione confirmatur.

(c)

---

il d' ailleurs, que le Vicaire de Jeſus-Chriſt ſoit elû par tant des brigues & d' artifice? Il eſt malaiſè, pour ne pas dire impoſſible de repondre a cette difficulte. Prudentiſſime utique faciunt Romæ & ex intimo ſinu artis Politicæ, dum jus nominandi ſucceſſorem regnanti Pontifici non permittunt. Interim hujus Autoris ratiocinatio contemnenda eſt minime, imo valde acuta eſt, dum ex hypotheſi infallibilitatis ſuum urget & inſtruit argumentum. Si hæc vera eſt, nihil eo ſolidius.

(c) Sed vel tandem ex poſſibilium ſphæra in actualem mundum revertendum eſt, & ſine

---

(c) Nihil dubitandum, quod hæc Acta noviſſima multa prorſus in ſe contineant non minori attentione digna, quam famoſiſſimæ illius primitiæ, quæ ubique tot judicia, tot labores, tot ſtrepitus longo ſecum vexerunt ſyrmate. Cur autem circa hæc proxima langueant plurimi, & nec decimam partem curioſitatis priſtinæ ad ea afferant exploranda? in promtu eſt judicare. Nos continuationem iſtorum memorabilium, ſiquidem vitam & vires Deus conceſſerit, ad futuram *Introduct.* noſtræ *in H. E.* amplificationem reſervamus. Moderni Pontificis acta in hac cauſa haud paucis paradoxa videbuntur & contradictoria. In ſpecie *Conſtitutionem Unigenitus* conſummatiſſimo approbare ſuffragio, & quæſitiſſimis tamen verbis deinceps Auguſtini ac Thomæ Aquinatis de gratia per ſe efficaci doctrinam ſolenni definitione confirmare, tam ſunt *ἀσύςατα*, ut nihil magis. Quis autem non videt, pugnantia hujusmodi decreta, & ſententias ſe mutuo deſtruentes idolo infallibilitatis quacunque ratione tuendo ſimpliciter eſſe neceſſaria? unde perrumpenda ſunt potius omnia & ſcopo ſubordinanda, quam ut ſemel ſtatutis vel hilum decedat, etiamſi, quam injuſtum hoc ſit ac violentum, in omnium oculos & ſenſus incurrat. Longe prudentius candidiusque hic agunt illi ex PP. Societatis in E. Romana, qui palam profitentur, ſi Auguſtinus id vere ſtatuerit, quod

ſine ambagibus decernendum, quid vel ſolenni

Janſeniſtæ, vel DD. Auguſtiniani, ut malunt vocari, ipſi imputant ſub dogmate gratiæ per ſe efficacis, ipſum defendi non poſſe. Sic alicubi ſcribunt: *Ceux des Theologiens, qui ſe diſent ſes diſciples, mais qu' on accuſe de n' en pas ſuivre auſſi fidelement la doctrine, qu' ils en font gloire, le decriditent ſouvent a force de le vanter. Comme ils donnent vour ſes vrais ſentimens des opinions extrememant dures, & productions bizarres d' un eſprit outrè, des là on rabat beaucoup des eloges eternels, qu' ils lui prodiguent, choquè que l' on eſt de l' affectation, qu' on y decouvre, & de la groſſierete des dogmes, qu' ils lui attribuent.* V. les *Mem. de Trevoux* ad *An. 1727. M. Janv. Art. V. p. 80.* Putem, eum ſub his verbis latere ſenſum, aut juvandum eſſe Auguſtinum per gloſſas favorabiles, (ſive is deinceps hoc ipſum ſtatuerit, ſ. non ſtatuerit) ſi quidem illi aliqua hic relinquenda ſit autoritas: aut, ſi id nolint, qui Auguſtini Theologiam tantopere evehunt, Conſtitutionem Unigenitus valere, non Auguſtinum, quam ſiniſtra etiam inde in hujus caput inde accerſantur judicia. Conf. ex iisdem *Mem. de Trevoux* ad *A. 1725. Art. LXIIX.* unde apparet, edito libello (*Memoire inſtructif ſur le Bref de N. S. P. le Pape Benoit XIII. addreſſè aux Religieux de S. Dominique*) caviſſe ſtatim eosdem Patres, ne Conſtitutio Unig. ex eo Brevi in animis Lectorum Catholicorum quidquam detrimenti pateretur.

ſolenni hac oratione noſtra extare velimus atque prævalere? Sc. non tam diu eſt, ex quo in memorabile illud Volumen ex *Literis, Scriptis, & Diariis Miſſionariorum Societatis* conflatum, (d) quod nuper admodum Auguſtæ Vindelicorum Germanico habitu prodire cœpit ſatis utique ſplendidum & magnificum, incidimus. Hujus aliorumque ſimilium monumentorum recenti aut renovata memoria excitati apud animum noſtrum conſtituimus in hac ſplendida Academiæ noſtræ Panegyri expendere Virtutes, vitia, & fata Miſſionum, quas Romana Eccleſia per omnem terrarum Orbem convertendarum gentium gratia inſtituit. Utinam grave Vobis non ſit, A. H. attentione benevola favere noſtro propoſito, &, quod privatæ rationes non merentur, largiri publicis. Res igitur, non verba (id unum eſt, quod decentiſſime rogamus) momentum rei, non ſermonis nævos, rationum ſoliditatem, non

(d) Allerhand ſo Lehr-als geiſtreiche Brieff, Schrifften und Reiß-Beſchreibungen von denen Miſſionariis der Geſellſchafft JEſu ꝛc.

non autem ratiocinationis inelegantiam, ſi lubet, attendite: ſicque hujus horulæ neminem Veſtrum, A. H. ut ſpero, pœnitebit.

*** ***

DE conatibus Chriſtianorum convertendi gentes diverſa, imo contraria, ludicra non minus, ac ſeria, bona & mala paſſim proſtare judicia, nemo eſt, qui neſciat, & copioſis facile demonſtrari poteſt exemplis. Multis, cum aliquid hujusmodi inaudiunt, continuo in mentem venit, ex longinquo tutius eſſe mendacium, ut vel hac de cauſa ſuſpectum illis ſit, quicquid de religione (ceteras enim narrationes credunt longe facilius) peregrinis ex oris accipiunt. ANTONIUS COLLINS, poſtquam in famoſo de *Libertate cogitandi* libello inſtituti ſui occaſione in materiam de Propaganda fide incidit, Satyrice ludendo pronuntiavit, ſalutare Reipublicæ futurum, ſi Chriſtiani quotannis aliquot Sacerdotum ſuorum examina, nec minora Indi gentiles Talaponum & Bonziorum agmina Miſſionum cauſa in exteras terras emitterent; tunc enim domi omnia magis pacata fore.

(e)

(e) RICHARDUS STEELE, Eques Anglus in *Dedicatione* notiſſima libri cujusdam ad Miſſionum Hiſtoriam pertinentis ad Clementem XI. directa ſatis mordaciter poſtulavit, revocaret Pontifex ſuos Emiſſarios & Miſſionarios ex omnibus mundi partibus, eosque ipſos inſtitui prius curet, quam alios docere & convertere audeant. (f) Fanatici quoque noſtræ ætatis ejusmodi Miſſiones publicis aliquando ſcriptis proſciderunt, naſoque ſuſpenderunt adunco. Ut eos taceamus, qui hac occaſione de Chiliasmo, (nomine, ut conſtat, odioſo) cogitarunt. Denique nec inter ipſius E. R. cives quoscunque ſemper nomen Miſſionarii venerabile eſt, & proſtant exempla Catholicorum non infimi ordinis, qui ex Miſſionariis ad Indicas colonias proficiſcentibus curioſe admodum ſciſcitati ſunt, quidnam in patria ſua deliquiſſent? quod admiſiſſent crimen, cujus cauſa ad Indias eſſent damnati? (g) Ex altera & contraria parte notum eſt univerſis, quantam ex his Miſſionibus ſuis per univerſum fere Orbem ſparſis

(e) *l. c. p. 66. ſeq.*

(f) *Dedic. ad* URB. CERRII *librum de Statu præſente E. R. in omnibus Orbis partibus Vers.* Gall. *p. 92.*

(g) *Brieff der Miſſion. P. I. p. 74.*

ſparſis gloriam R. ſibi vindicet Eccleſia? quam confidenter ſe hoc charactere a reliquis Eccleſiis omnibus tanquam falſis & ſpuriis diſtinguat: quam thraſonice jactitet, gentes nunquam eſſe hæreticorum & Schismaticorum (Græcorum ſcil. & Proteſtantium) vocem audituras. Alphonsus quoque HUYLENBROCK, Belgicus ille Societatis ſuæ contra LIBERIUM CANDIDUM Apologeta cum ſtomacho alicubi monet, nolle ſe, ut poſſet, *has Dei gratias ample deſcribere, neque enim ſe ita deſipere, ut margaritas porcis* h. e. hæreticis *objiciat.* (h) Nos vero, cum nihil magis Chriſtianum hominem, quam æquitas & amor juſtitiæ, deceat, qua præſtet aliis, quod ſibi ipſe præſtari vellet, nos, inquam, ſanctiſſimæ hujus regulæ memores in R. E. Miſſionibus, de quibus heic nonnulla dicturi ſumus, laudabimus primum, quæ probari laudarique merentur; ſed nec deinceps in illius gratiam diſſimulabimus, quid vitii habeant? & qua parte ſatis longe a puritate religionis Chriſtianæ diſcedant? Res ipſa nemine, ut opinor, dubitante, honeſtiſſima eſt, ſive ſpectetur triſtis & in-

(h) *Vindicationes alteræ p. 263.*

infelix infinitarum prope gentium ſtatus, ſive, quod ſponte ſua inde conſequitur, ſpiritualis auxilii neceſſitas, ſive laboris ipſius in ſe ſpectati ſanctitas. Quo longinquius accurritur ad juvandas ſalvandasque animas ipſius Filii Dei ſanguine redemtas, eo illuſtrior eſt, ſi cetera ſint paria, charitas: eo laudabilior eſt diligentia, eo denique generoſior opera, quæ in honorem Dei miſerorumque hominum ſalutem impenditur. Ipſis Miſſionariis nihil niſi malignos, perverſos, carnales & mundanos fines tribuere: dicere tam crude, eos in Orientem non ad acquirenda Chriſto regna, ſed propriarum fortunarum cauſa ire, ut in aulis Regum ad ſummos honores evehantur, ut Principes & Gubernatores fiant provinciarum, ut mercatura pinguiſſima diteſcant, ut in deliciis denique & voluptatibus vivant: (i) aliaque id genus plura generali convicio ingerere, durum prorſus & inhumanum eſt. Quis dubitet, inter Miſſionarios iſtos multos eſſe Viros graves & ſerios, qui bona fide, qui pro perſuaſione ſua, ad incrementum religionis Chriſtianæ, ut ipſi eam intelligunt, cum

(i) V. HUYLENBROCK *Vindicationes p. 263.*

cum ſacrificio fortunarum ſuarum non exiguo, hujusmodi moleſtiſſima miniſteria generoſe in ſe ſuſcipiunt, & fortiter tolerant. Hoc ſenſu non plane rejicio apologetica citati HUYLENBROCKII verba, dum ſcribit: *Omnes, quibus integra mens eſt, neque praeoccupata, compertiſſimum habent, deliros nos fore, ſi humanis rebus nuntium mitteremus aliam ob cauſam, quam uni cælo adipiſcendo: fatuos autem, ſi patriæ, conſanguineis, notis omnibus æternum propterea vale diceremus, ut omnibus denique tempeſtatibus erepti in ignoto orbe turpi crimine cælum nobis volentes occluderemus.* (k) Ipſæ provinciæ pleræque, in quas abeunt Viri iſti miſſionum cauſa, ſunt longe diſſitæ, incultæ, ingratæ: incolas habent feros & barbaros, crudeles ac ſtupidos, advenis quibuſvis ſæpe inimicos, ad quos deliciarum & ambitionis cauſa nemo ſanæ mentis unquam proficiſcetur. Ubi omnia quieta ſunt & tranquilla, vel ſola climatis & rationis vivendi morumque in omnibus diverſitas tanta eſt, ut magni certe animi ſit his omnibus ſponte ſua adſuescere; nedum cum ſuperanda ſunt pericula, inſidiæ, perſecutiones, & moleſtiæ longe maximæ: uti

(k) *Vindic. p. 262.*

uti ſane frequentiſſima eſt iſthæc Hiſtoria de exantlatis Miſſionariorum laboribus, de itineribus ad inhoſpitales montes per ardentes arenas, de inedia & nuditate in ſpecubus & tuguriolis, de frequentia in Noſocomiis inter viva cadavera, de toleratis carceribus, de atrociſſimis perſecutionibus, de ſanguine large profuſo, de inhumanis tormentis, quæ cum aliter non poſſent, morte denique ſuperarunt. Si vel milleſima pars earum narrationum vera ſit, hæc ſane ſufficiet ad demonſtrandum, ſerio rem agi a plurimis, & conſcientiæ ſtimulos hic non omnino deficere. Accedit, quod, niſi omnis fallit Hiſtoria, non tam propter durum obedientiæ jugum, vel ad ſimplex Superiorum imperium, ſed plerumque ſua ſponte, & præcurrente juſſa aliena deſiderio his Miſſionibus ſe mancipant; quod ſi verum eſt, nihil ſane dubitandum, eſſe aliquid in hac promtitudine, quod laudari mereatur. De numero multa non dicam, quamvis enim quotannis inſtaurentur hæ Miſſiones, earumque multitudo non contemnendum expoſcat & exhauriat numerum: non adeo tamen mirum eſt, ex tam immenſa hominum Eccleſiaſticorum copia dari aliquot

quot centurias, quæ præ cæteris ad operam ſuam inter gentes locandam propendeant. Neque fructus omnis, etiam nobilis & egregius, hiſce Miſſionibus E. R. abnegari poteſt. Sint in his prædicandis Misſionarii nimis liberales. Aliqua tamen, nec illaudabilis, pars concedenda eſt, quam ipſe hoc loco ſine omni partium ſtudio amplificarem, neque ſummam adverſariorum erga Noſtros iniquitatem induci me ad malum malo, calumnias calumniis reddendas paterer, niſi plura ſupereſſent, quæ Vobis, A. H. ab initio promiſimus.

Hucusque Chriſtiana æquitas nos impulit ad laudes Miſſionibus Romanis tribuendas, quascunque meruere. Nec plures invidebimus, dum earum veritas explorata ſit, & poſſit tot ſpecioſis præjudiciis, quorum primæ origines & rationes ſplendidæ attendi merentur, reſiſtere atque ſatisfacere. Immodicis autem & longe exaggeratiſſimis harum Miſſionum laudibus ſummo jure contradicimus, hujusque judicii rationes ſolidas ac ſapientes dari poſſe plane confidimus. Primo loco carpunt in R. E. Miſſionariis Noſtrates, ſolida & duratura prædicationis Evangelii fundamenta periculoſe negligi, dum a divinarum Scripturarum teſtimoniis & præconio initium

haud

haud faciunt non modo, ſed nec in progreſſu, & poſt integri ſeculi decurſum, primam illam negligentiam reſarciunt. (l) Non ſacra volumina, ſive integra, ſive in nobiliſſimis planiſſimisque ejus partibus, in manus tradunt gentilibus, etiam cetera cultiſſimis: non verbis Scripturæ ſalutares religionis Chriſtianæ veritates docent & confirmant; & in vaſto illo volumine Miſſionario, cujus ſupra mentionem fecimus, altum ubique de Scripturis ſacris in inſtitutione gentium adhibitis ſilentium eſt. Id quidem non miramur, cum vix in Europa aliter docere ſoleant: Habet interim hæc docendi ratio graviſſima incommoda. Fides Neophytorum teſtimonio hominum nititur magis, quam Dei. Cumulantur ſpuria

(l) Diſci hoc poteſt ex memorabili teſtimonio BENJAMINI SCHULZII A. 1726. demum edito. Refert enim Vir Optimus, cum Maliaporæ Epiſcopum R. Catholicum viſitaſſet, hac occaſione ſe quoque cum alio quodam Viro Eccleſiaſtico ejus religionis in colloquium deſcendiſſe: illum vero, cum vidiſſet Biblia Malabarica a Noſtratibus Tranquebariæ edita, hoc inſtituto non admodum probato aperte profeſſum eſſe, non expedire, ut hæ margaritæ gentilibus tanquam porcis projiciantur. Addit idem Theologus, hæc Viri verba fuiſſe. Vid. *Continuat. XXIII. p. 324.*

ſpuria motiva religionem adoptandi Chriſtianam, qualia ſæpe cum admiratione legas in Miſſionariorum relationibus. Summum denique præſidium eſt in cæca credulitate populorum, quos ad omne id amplectendum, quod docere volunt, paratos & dociles inveniunt, dum perſonæ amorem venerationemque ipſis prius inſpiraverint. Propriis id ipſum Miſſionariorum verbis probabimus. *Non alio loco*, inquit Jeſuita BONANI de Septentrionali California, *non alio loco inveni tam cupidos veræ fidei Indos, ac tam capaces aſſequendi Chriſtiana myſteria. Omnia enim ſine mora credunt, & explorata res ipſis eſt, quicquid ex ore noſtro audiunt*; (m) alibi vero Miſſionarius ejusdem Societatis, imo Martyr, RICHTERUS de certa quadam gente ſcribit: *Sin abeſſent oppreſſiones Præfectorum civilium*, Chriſtiani ſc. nominis, *nihil dubitandum, quin univerſa India Evangelium Chriſti eſſet amplexura: ad hoc enim nihil ultra requiritur, quam certa a tributis libertas, & inſtructi munuſculis Miſſionarii. Cum primario cuidam inter eos Viro ſecurim donavero, totus continuo grex præeuntem in Ovile Chriſti ſequetur.* (n) Integræ

(m) *Brieff der Miſſ. P. VII. p. 84.*
(n) *P. I. p. 70.*

græ mihi implendæ eſſent paginæ, ſi omnes ac ſingulas ejus generis confesſiones animus eſſet colligere. Quodſi vero ipſas Scripturas nollent in manus tradere gentibus Misſionarii, poſſet id ferri facilius, dum viva minimum voce pure & ſimpliciter Neopyhytos ſuos in religione inſtituerent Chriſtiana, ut ea in Verbo Dei propoſita eſt. Sed nullus error, nulla ſuperſtitio, nulla opiniuncula, nulla denique traditiuncula eſt in tota R. Eccleſia, quam Monachi Misſionarii non transferant ad gentes, iisque tam diligenter inculcent, ac ſi mera & ſanctisſima eſſent Evangelia; quo nomine etiam, quia id rectius non ſciunt, ſimplicitas gentium avidisſime eas recipit. Utramque hic in Commentariis Misſionum paginam faciunt τὸ Ave Maria, Roſaria, agni Dei, aqua luſtralis, fraternitates, proceſſiones, auricularis confesſio, jejunia hebdomadaria, Sanctorum invocationes, flagellationes, aliaque id genus plura, eaque notiſſima. Docentur perpetuo in ore habere formulam Hiſpanorum: Laudes Immaculatæ Virgini & ſanctisſimo Altaris Sacramento. (o) ſc. in Ciborio repoſito atque in

(o) *P. I. p. 84. & paſſim.*

in templis proſtanti ad cultum perpetuum. Extruuntur, quantum fieri poteſt, pretioſa & ſplendida templa, etiam inter maxime barbaras & mendicisſimas gentes, de quibus totidem verbis fatentur Misſionarii, nihil acrius ad amplectendam fidem Chriſtianam, quam rituum Eccleſiaſticorum ſplendorem, cultusque publici glorioſum ordinem gentiles allicere. (p) Horum autem pleraque miſeris gentibus tanquam neceſſariam & nobilem pietatis Chriſtianæ partem obtrudere, dum illius medulla interim vel ſatis perfunctorie, vel plane non docetur, tam abſurdum ſane & indecorum eſt, ut, male hoc fieri, cordati quandoque R Catholici candide agnoſcant. (q)

Pro-

)p) *P. II. p. 104.*

(q) Audiamus inſtar multorum Richardum Simonium, Virum in hoc judiciorum genere minime contemnendum. *Il auroit meme* [ſic ille] *dans cette vüe etè a deſirer, que les Miſſionaires n' euſſent point porte dans les Indes la meilleure partie de nos devotions & de notre culte exterieur pour ne pas donner lieu aux peuples groſſiers de ce pays - la de ſe figurer, que la Religion Chretienne ait rien de commun avec la leur. Car n' eſt - ce pas ainſi, que les Apôtres en uſerent pour toutes les ceremonies de la Synagogue, auſſi bien qne pour celles de la gentilitè. On ne peut rien voir de plus ſimple, que les rites de la*

Promovet hoc malum, quod in R. E. Miſſionibus inter gentes quoque ſacra Latino idiomate (r) peragantur, egregia ſc. hos populos docendi ædificandique methodo. Usque adeo ſanctiſſimis finibus cultus publici contraria eſt hæc agendi ratio, ut niſi aliunde conſtaret, qua de cauſa id fieri ſoleat, vix credi poſſet, eousque morem iſtum ineptiſſimum potuiſſe extendi. In quanta pericula ipſas etiam Miſſiones hæc conſuetudo conjiciat, non pauci ex inſignioribus Miſſionariis pridem agnoverunt, inter quos PHILIPPUS COUPLET, Jeſuita Gallus, ac Sinenſis Miſſionarius libellum plane memorabilem de ſacris lingua Sinica celebrandis Congregationi Romanæ de Propaganda fide obtulit, monuitque, fieri poſſe facillime, ut Eccle-

primitive Egliſe; *& en effet ce n' eſt point par la conformitè de nôtre culte avec les Juifs, ou des gentils, qu' on leur fait ſentir la fauſſeté de leur religion; c' eſt au contraire par ce, qu' il y a de ſingulier.* V. omnino & ſeqq. *Bibl. Critiq T. II. p. 83. ſeq.* & conf. ſi placet, quæ pro hac Simonii ſententia adverſus cenſuram Laubruſſelii protulimus *Introd. in H. E. T. II. p. 785.* Neque enim ea hic decet repetere.

(r) E. g. *P. I. p. 58.*

Eccleſiæ Sinicæ noviter plantatæ, ejectis Europæis, pereant, niſi indigenæ quoque Sacerdotes ipſis præficiantur: enimvero de eo tam diu deſperandum, quamdiu ſacra durent Latina; ut enim hæc lingua inter Sinas doceri poſſit, ne minimam quidem veriſimilitudinem adeſſe. (s) Id maxime mirum in hac cauſa, quod, cum Paulus V. jam ſuo tempore permiſerit in ſacris uſum linguæ Sinicæ, (t) eam tamen veniam

(s) Extat hic libellus *Bibl. Brem. Claſſ. V.* à *p. 618.* uſque ad *p. 655.*

(t) Conf. HUYLENBROCK, qui ſcripſit: *Igitur ediſſerant, quo tempore, & a quo Pontifice legitima nobis tradita ſit facultas Sinicum idioma adhibendi in divinis Officiis, qui tam inconſiderate affirmant, id nobis a Pontifice fuiſſe commendatum.* Tranſigat HUYLENBROCKIUS cum COUPLETO, cujus hæc ſunt verba: *Atque inter ceteras,* inquit, *hæ fuerunt graviſſimæ cauſæ, ob quas tanquam præſcius futurarum in gente tam politica perſecutionum, ac humanarum belli & pacis viciſſitudinum Sanctiſſimus & ſapientiſſimus D. N. Paulus V. pro paterna ſua cura communi Sinenſium animarum bono providere volens poſt identidem habitas ſuper ea re cum Eminentiſſimis Eccleſiæ Principibus, qui ſupra 60. tunc numerabantur Romæ, deliberationes tandem A. 1615. benigniſſime indulſit, ut in lingua Sinica, non vulgari aut vernacula [qua ſola vetat ſacra peragi*

veniam Miſſionarii, maxime Luſitani, in hunc uſque diem conſtantiſſime neglexerint, metuentes forte, ne, ſi ex civibus ſuis Eccleſiæ Sinicæ, vel aliæ quoque, Sacerdotes acceperint, ipſi tanquam peregrini & exteri aliquam ad minimum priſtinæ, ejusque maximæ, autoritatis ac poteſtatis in haſce Eccleſias ſenſim ſenſimque amittant; quod utique, ipſorum judicio, abſurdiſſimum eſt.

Illud porro non immerito culpatur, quod E. R. Miſſionarii (præterquam quod plures provincias & terras gentilium occupent, quam poſſint illis vel modice inſtituendis regendisque ſufficere) nimium quantum feſtinare ſoleant in conſtituendis novis Eccleſiis, nihil minus, quam rite & legitime præparatis, ut tota hæc Scena ſpeciem ſæpiſſime habeat, ad pompam & gloriam potius R. E. quam ad veram religionis Chriſtianæ ſolidamque propagationem

Concilium Triidentinum] *ſed erudita & literatorum propria poſſint a Sinis celebrari divina officia Miſſarum, Sacramenta adminiſtrari &c. quod ipſum ab ipſis Apoſtolorum temporibus apud alias nationes uſitatum, prout Liturgiæ antiquæ teſtantur, & a variis deinde Pontificibus Chriſti nationibus diverſis indultum fuit.* &c. Nihil utique his verbis dici poterat clarius.

nem eam inſtrui. Nihil frequentius in Relationibus Miſſionariorum dicitur, quam id ſibi incumbere, ut ex beſtiis homines, & ex hominibus deinceps Chriſtianos faciant. Et tamen ipſis ſolenne eſt, priusquam primam hujus officii ſui partem impleverint, multa millia, imo integra regna & provincias ad Baptiſmum admittere, baptizatos pro Chriſtianis habere & tractare, ac ſacra quævis, una in Societate Eccleſiaſtica, ut membris genuinis & legitimis, cum publice, tum privatim iis impertire. At minimam horum Proſelytorum partem (ſi ritualia forte excipiamus) Chriſtianam religionem vere & ex animo amplecti, non modo frequentiſſimi relapſus teſtantur, & ipſa vivendi ratio, ſed & propriæ confeſſiones, quas magno numero in Miſſionariorum Commentariis deprehendimus. Loco ſpeciminis aliqua, ſed pauciſſima, citabimus. Sic de Jndis alicubi loquitur Jeſuita BREYERUS. *Indi*, ait, *ſtatim poſt Baptismum ad ferinam vivendi conſuetudinem relabuntur, non auditis Miſſionariorum monitis, precibus ac præceptis, niſi carceri mancipentur, vel flagellentur acerbiſſime.* (u) Quam parum autem ipſa quoque

---

(u) *P. II, p. 69.*

que verbera in eos valeant, exinde colligi poteſt, quod, ipſis teſtibus Miſſionariis, calloſam induratamque cutem ſponte quoque ſua & voluntariis ictibus crudeliſſime feriant, non quod ipſis magnopere doleat, (x) ſed unice, ut Doctoribus ſuis placeant, eorumque gratiam ſibi concilient. Addo ſæpe iterata Capucini ZUCCHELLI de integrorum regnorum, Congitani & Angolenſis incolis, quorum tamen pleroſque ad religionem Chriſtianam converſos & baptizatos eſſe refert, teſtimonia. *Horum*, inquit *alicubi*, *miſeria tanta eſt, ut nullæ illi deploranda pro meritis lachrymæ ſufficiant. Abeſt ab iis omnis honor, omnis ſcientia, conſcientia, fides, juſtitia, pudor, pietas, & cura ſalutis. Quam atrocia etiam ſcelera ſingulis diebus perpetrent, horum tamen eos pudebit nunquam.* (y) *Et rurſus*: *Peſſima hæc ipſorum vita maxime poſt Evangelium a tam longo illis tempore prædicatum, credere jubet omnino, omnem eorum religionem, quod ad magnam adultorum partem attinet, nil niſi externam ſpeciem habere, quam in Europæorum gratiam ſimulant, utpote quos vehementer metuunt.* (z) Vix ullam noviter

(x) *Zucchelli* Reiß-Beſchreibung *p. 252.*
(y) Miſſions Reiß-Beſchr. *p. 250.*
(z) *Ibid. p. 433.*

noviter apud Indos plantatam Eccleſiam liberalioribus exornant elogiis Miſſionarii, quam Paraguarienſem, de qua usque adeo magnifice ſentiunt, ut Apoſtolicis cœtibus ſimilem Jeſuitæ Pariſienſes in *Trivultinis Commentariis* nominaverint. (a) Et tamen refert inter cetera de novorum iſtorum Chriſtianorum moribus P. ANTONIUS SEPP, primus illorum Doctor atque Apoſtolus, eos mirifice voraces eſſe, ut vel unus una nocte integrum bovem ſemiaſſum & ſemicrudum devorare queat; nec minus neceſſariis etiam laboribus exantlandis tam ſegnes eſſe & ignavos, ut verberibus diligentia ab ipſis extorqueri debeat. (b) O Chriſtianos Apoſtolica ætate digniſſimos! ſed qui a Miſſionariis excuſantur vermium cauſa, qui ipſorum viſcera rodant, & ſingularem apud eos famem excitent. (c) Unum adjicio exemplum Sinenſium, quos quanto alias opere Misſionarii extollant, notisſimum eſt.

(a) *Mem. de Trevoux* ad *An. 1710, Art. 97. p. 1173.*

(b) *P. II. p. 54. 57. 58. P. VII. p. 64. ſeq.*

(c) V. *Indicem* ſub tit. *Parguar.* ubi hæc verba leguntur: Sie ſind dem Fraß über die Maſſen ergeben, weil ſie Würm im Magen haben, von welchen ſie ſo zeitlich verzehret werden, daß ſie zu keinem hohen Alter kommen.

eſt. *Sinenſium gens* (ſunt hæc verba Jes. CHAVAGNACI) *nihil timet præter ſuum Imperatorem: nihil æſtimat præter pecuniam; de iis, quæ ad æternitatem ſpectant, nequaquam ſollicita.* (d) Hujus autem indolis homines tam repente in bonos ſanctosque Chriſtianos evadere quis temere crediderit? Sed pergendum eſt ad alia, quamvis in hoc ulcere ungues diu exercere longe eſſet facilimum.

Exaggerationibus Misſionariorum, Societatis maxime Ignatianæ, (de quibus apud ſuos quoque, & in ipſo ſinu Congregationis de Propaganda fide, quod alibi demonſtravimus, ſuſpectisſimi ſunt) ad latus pono ſilentii & diſſimulationis peccata, quæ ſtudio & arte ſolent committere. In toto illo, eoque prægrandi Volumine, quod huic noſtræ Orationi occaſionem præbuit, regnat ubique ars tacendi vel extremis ſaltem digitis tangendi ingrata quævis & odioſa, exceptis pauciſſimis, in quibus non difficilis erat contra obtrectatores nimis craſſos & impudentes victoria. Paucis, ſed claris & perſpicuis, demonſtrabimus exemplis, nos nullam Misſionariis R. E. eorumque apologetis

(d) P. *III. p. 16.*

logetis hac in cauſa injuriam facere. In *libro cit.* circa Miſſiones Sinicas e. g. de notiſſimis aliunde Miſſionariorum controverſiis, de cultu Confucii, de Card. Tournonii fatis, de Pontificiis adverſus Confucianas ceremonias decretis, de Jeſuitarum in delicatiſſima hac materia tergiverſationibus & machinis, aliisque ſimilibus altiſſimum eſt ſilentium. Et hæc tamen omnia ad ſolidum de ſtatu Miſſionum Sinicarum ferendum judicium ſunt quam maxime neceſſaria, atque adeo ex fidelioribus petenda monumentis, ſi vel hoc concedatur Jeſuitis, ne propriam ſuam teneantur revelare turpitudinem. In recenſionibus Miſſionum Madurenſium copioſe quidem recenſentur Indorum de metempſychoſi, de cultu vaccarum vaccinique ſtercoris, quisquiliæ. Quod ipſi Societatis Ignatianæ Miſſionarii periculoſa indulgentia hic peccent, quodque hac de cauſa publicam Card. Tournonii cenſuram incurrerint, egregie ſane *epiſtolæ* iſtæ tacent atque diſſimulant. Quam atroces controverſias cum Epiſcopis & Clero ſeculari Occidentalis Indiæ aliquoties exercuerint Jeſuitæ Miſſionarii, fœdiſſimis cum circumſtantiis ab ipſis Scriptoribus R. Catholicis deſcriptum legimus,

quas

quas certe HUYLENBROCKII ſicca & rabuliſtica brevitas atque audacia in negando ac diſſimulando mendacii nunquam convincet, ſi nulla alia acceſſerit innocentiæ demonſtratio. Nihil elegantius ſc. & religioſius fingi poteſt verſiculis, quos durantibus iſtis litibus clientes Societatis ſparſerunt Hiſpanice, in Latinum carmen fideliſſime converſos. Sunt autem iſti ex parte.

Tanta eſt Majeſtas Sociorum, & tanta poteſtas,
Ut ſub ea pavidus contremat omnis homo.
Quando igitur de iſtis canibus victoria noſtra
Certa eſt, omnis plebs ad Socios veniat.
Nunquam etenim prudens ſe privat amore gigantum
Mitratam formicam ut ſibi conciliet.
(Obispo Hormiga &c.)

Urbes Indiæ Orientalis & Occidentalis primarias, Goam, Limam, S. Sebaſtiani Urbem, & alias, nec minus Bahiam & Loandam, Matres illas Eccleſias Miſſionum plurimarum ſcatere vitiis & peccatis clamantibus per quoſvis hominum Ordines, multa ſane Itineraria, cum vetera, tum recentia, prodiderunt. Tacent de hac culpa Collectanea Societatis miſſionaria. Contradicunt etiam Apologetæ Europæi, & putant, Autores iſtarum relatio-

tionum, quamvis R. Catholicos, vel credulitate, vel falſo judicio in charitatem heic deliquiſſe. (e) Nec tamen deficiunt rationes, quæ probent, ſummam rei eſſe longe veriſſimam. Nomen Europæorum

ſc.

(e) Sic ſcribunt Autores *Diarii Trivultini* ad *A. 1716. Art. 96.* occaſione cujusdam *Itinerarii* ab ipſis recenſiti: *Mr. Frezier permettra, qu' on n' ajoute pas une entiere croyance a tout ce, qu' il dit touchant l' Etat Eccleſiaſtique de Lima. Cette pietè des habitans de Lima, dont le P. Feuillèe, Minime, qui y a demeure neuf mois, fait l' èloge, n' eſt pas de ſon gout, & il s' en exprime en des termes, qu' on s' abſtient de rapporter. Ils ne conviennent pas non plus ſur le chapitre des Religieux, qui y ont pluſieurs communautez nombreuſes, dans lesquelles, ſelon le P. Feuillèe, ils obſervent une grande & edifiante regularitè, & ſelon Mr. Frezier ils menent dans l' oiſivetè & dans l' ignorance une vie licentieuſe a l' excès ſans pudeur, & ſans ſe cacher. On peut demander, comment les Eveques tolerent un debordement ſi ſcandaleux, s' il etoit tel? . . Comment ſe peut-il faire, que le ſevere Tribunal de l' Inquiſition n' en prenne pas connoiſſance?* &c. & poſtea: *Mr. Frezier entre dans un grand detail des moeurs a Lima & dans le Perou. On a crû en le liſant devoir ſe precautionner, & ſe dire, qu' en quelque point c' eſt, comme ſi un etranger pretendoit juger des moeurs de Paris par la conduite de certaines perſonnes, qui ne s' y rencontrent, que trop.*

ſc. Francorum in Orientali India pari paſſu cum titulis ſceleratorum nebulonum nauciique hominum ambulare, & quidem maxime propter Luſitanos, tam certum eſt, quam quod certisſimum. Unde hæc contumelia Chriſtiano nomini adhæſerit? in promtu eſt judicare. Hiſpanos & Luſitanos frequentisſima inter Indos Occidentis latrocinia exercere, vita impia, injuſta, & libidinoſa innumera ſcandala præbere, præcipua converſioni illarum gentium impedimenta objicere: ipſosque Misſionarios, ſi velint cum fructu verſari in illis regionibus, &, quicquid forte pepererunt ſuis laboribus, qualitercunque tueri, hos fines ſuos non felicius aſſequi, quam ſi Peruvienſes Hiſpanos, & Braſilienſes Luſitanos vel arte, vel armis quandoque ab illis ſuis Neophytis abſtineant, ex ipſis Miſſionariorum Commentariis haud obſcure pellucet. (f) Quid his cautelis, his remediis opus, ſi veteres illi Chriſtiani tam religioſi, tam pii, tam innocentes denique ſunt, ut in honorem Eccleſiæ a falſa quorundam Miſſiona-

(f) *P. IV. p. 43. ſeq. P. II. p. 52. Conf. Relat.* P. FERNANDEZ recenſitam in *Diar. Trivult.* ad *A. 1728. Art. LIII. p. 892. ſeq.*

ſionariorum prudentia nonnunquam prætenditur? Nec rejici temere poterit ANTONII ZUCCHELLI de metropolibus, Bahia & Loanda, prorſus ingenua confeſſio, eaque ſatis recens, dum ſcribit: *cives Loandæ non veritos eſſe apud ſe profiteri, ſi Capucini Miſſionarii hinc diſcederent, timere ſe, ne iratum Numen urbem ſuam ingentium peccatorum cauſa in abyſſum præcipitet*; ſuisque deinde verbis adjicit, *eſſe longe veriſſimum, quod duæ urbes iſtæ, Bahia Braſiliæ, & Loanda Angolæ impietate Niniven antiquam exæquent, ſi non ſuperent*. (g) Hoc dum ceteri Miſſionarii diſſimulant & negant, vitio ſane vertere non poſſunt ſuis Lectoribus, ſi fidem ſuam apud eos in hoc narrationum genere non raro decoxerint. Plura exempla ſi afferrem, non lucem inferrem his tenebris, ut prævideo, ſed veſtram, quod nolo, irritarem patientiam.

Liceat jam meminiſſe baptiſmi clandeſtini numeroſiſſimæ multitudinis infantum, de quo tanquam fructu principe ſuarum Miſſionum, ſi cetera omnia nihil eſſent, mirum in modum ſibi Sacerdotes R. Catholici gratulantur. E. g. cum apud Sinas

(g) *Zucchell. p. 157.*

nas ob immanem incolarum copiam, ac plerorumque adeo civium paupertatem multa infantum recens natorum millia de nocte, non ſine præſentiſſimo vitæ eorum periculo, exponantur, diligentisſime curare ſolent Misſionarii, ut, quotquot poſſunt, infantes ſive ipſi, ſive per Neophytos ſuos Chriſtianos, quærant inventos baptizent, baptizatos autem ſuo tamen loco, quo inventi ſunt, perituros relinquant. (h) Referunt præterea, ſe, oblata pecunia, ab ipſis Sacerdotibus Bonziis nonnunquam impetraſſe, ut infantes hujusmodi vel in ipſis eorum templis liceret baptizare. Nec minus ægrotos Parentum gentilium infantes, quos ſpecie medicinæ inviſunt & adeunt, cum morti vicinos intelligunt, clam adſperſa aqua, quaſi medicata, & musſitatis apud ſeipſos verbis Sacramentalibus, ſolent tingere, id quod in ipſius Imperatoris Sinenſis aula, ejusque nepote infante, (i) factum eſſe recitant, nec minus in trecentis infantibus Turcicis. (k) in univerſis autem Misſionibus ſæpisſime. Propria Misſionariorum verba,

(h) *P. II. p. 27. VII. p. 182. VIII. p. 5. ſeqq.*
(i) *P. IV. p. 15.*
(k) *P. IV. 71.*

verba, notatu per ſe digna, hic allegarem, niſi parcendum eſſet tempori. Rideant jam nos DD. R. Catholici, cum Eccleſiæ veræ magnam partem tempore corruptionis Chriſtianorum in baptizatis infantibus conſtitiſſe, noſtri affirmant Theologi, objiciantque nobis ſalſiſſime cum BECANO, Eccleſiam in cunis jacentem & vagientem, quæ nec fari poſſit, nec fidem profiteri. Rideant nos, inquam, poſtquam de integris Eccleſiis a ſe baptizatis conceptis verbis fatetur Jeſuita GUINSOLIUS, *apud Indos* e. g. *ſi parvuli excipiantur poſt Baptiſmum morientes, de ceteris exiguam ſalutis ſpem ſupereſſe, cum vix unus inter adultos reperiatur, qui res fidei vel capiat, vel applicet; plerique etiam, quo magis creſcant ætate, eo promtius ad barbariem ſuam revertantur.* (l) Nonne & ipſis in hoc caſu unicum fere in Eccleſia ſua in cunis jacente & vagiente ſolatium eſt? Deinde pellucet ex iſtis Miſſionariorum agendi rationibus falſa de abſoluta neceſſitate Baptiſmi opinio, quæ in Europa quoque Chriſtiana tot abortus ſuperſtitioſos, imo tot abſurda & violenta, ut

(l) *P. II. p. 61.* ZUCCHELL. *p. 274.* & alias *ll. innum.* it. *P. II. p. 3. & 27*, it. *p. 61. P. IV. p. 15. & 71. VII. p. 102. VIII. 5. 6.*

ut ex perſecutionum Gallicarum Hiſtoria liquet, conſilia peperit. Porro hoc eſt profanare Baptiſmi ſacramentum, non honorare, dum quaſi aliud agendo, & admurmuratis tacite formulis, nemine ſciente aut intelligente, adminiſtratur, præſentibus quibusvis de re longe alia cogitantibus; hoc eſt profanare Baptiſmum, cum iis datur infantibus, qui poſtea ſuccreſcunt in idololatria, ignariſſimi omnium, quæ cum ipſis acta ſunt in infantia, & nemo præterea eſt, qui adultos de accepto Baptiſmo poſſit reddere ſecuros: Hoc eſt profanare Baptiſmum, cum inſciis, hincque invitis etiam, Parentibus ſacra hac unda adſperguntur infantes, quorum poteſtati eos doctrina Evangelii non eximit. Ut taceam, fraudibus artibusque Sacramenta perficere, Chriſtianæ religioni nequaquam eſſe conſentaneum.

Nemo Hiſtoriæ Misſionum vel modice gnarus eam facile prætermittet culpam, quæ in ſcandaloſo condeſcenſu & accommodatione ad mores gentilium per Misſionarios R. E. admittitur. Non reprehendimus, quin laudamus candide, ſi nominis divini cauſa & propter regnum Dei promovendum ſive parva, ſive magna

DEO ſacrificantur a Miſſionariis. Nolumus moroſos nos exhibere adverſus intentionem piam, etiam exceſſu haud carentem, ſed innocuo & tolerabili. At non deſunt vitia majoris momenti. Ut in Sinenſi Imperio tuerentur religionem Chriſtianam Societatis Ignatianæ Miſſionarii, ad eum usque, ut notum eſt, tolerantiæ gradum progreſſi ſunt, quem nec Romana Curia poſt diuturnas tergiverſationes, & acutiſſimas deliberationes tandem, ut probaret, addduci potuit; Sicque de commiſſo in hac parte Miſſionis vitio admodum gravi nulli jam E. R. Miſſionario dubitare licet, poſtquam ſedes Apoſtolica rem ita ſe habere ex carhedra pronuntiavit. Poſt Sinenſem nulla eſt Miſſio, cui in Relationibus plus tribuatur, quam Madurenſis & Malabarica. Si his credimus, ad gentiles harum Provinciarum lucrandos id ſibi jugum impoſuerunt Miſſionarii Societatis, ut Europæum nomen rigidisſime abnegarent, ut Saniarum h. e. rigidisſimorum inter illas gentes Aſcetarum vitæ genus imitarentur in omnibus, ut durisſima & noſtri Orbis hominibus plane inſolita ſibi familiaria redderent jejunia: ut ab omni denique uſu carnium & vini, imo & a cal-

calceamentis inter arenas fervidisſimas abſtinerent, hoc ſc. fine, ut unica hac via, quam patere ſibi ad has gentes exiſtimant, occaſionem haberent religionem Chriſtianam ipſis annuntiandi. Quæſumus autem, an ſi his omnibus veniam dare libeat, (quamvis ea a nemine pio & ſapiente Dominus requirat, nec raro hæ ipſæ artes noceant potius, quam proſint) An, inquam, Chriſtianis Sacerdotibus & Miſſionariis condonari posſit, quicquid hac parte inexcuſabili profecto ſuperſtitione delinquunt? Nituntur illi mores Madurenſium abſurdisſima hypotheſi Metempſychoſeos, creati a malo principio mundi corporei, & humani quoque corporis: Quia credunt inſtar Evangelii, animas meliores poſt corporis mortem in vaccas migrare, hoc animal apud ipſos ſanctisſimum eſt, quod non modo non licet occidere, ſed etiam colere oportet quam religioſisſime. Stercoribus vaccinis totos ſe a capite ad calcem, ipſa etiam tuguria ſua, inungunt, nec quidquam optant ardentius, quam poſt obitum in vaccas tranſire. Hincque, ut Miſſionarii referunt, ad morientem vacca adducitur, cujus novisſima pietas eſt caudam vaccæ arripere fortiter, ac tam diu tenere,

 donec

donec anima relicto priore corpore humano in vaccam per poſticum ingrediatur, hacque via in illius caput & oculos ſe facilius penetret. (m) Has Indorum inſanias ſciunt, & ipſi vivis coloribus h. e. nigerrimis in ſuis depingunt Relationibus: & nihilo tamen minus ſpecie condeſcenſus, & ut ſe inſinuent in gratiam incolarum, non modo non refutant cordate, & quantum ſatis eſt, hæc deliria apud gentiles, quam diu tales ſunt, ſed etiam tam prope, quam poſſunt, accedunt ad ritus ex ſtultiſſimis illis principiis exortos; usque adeo, ut Chriſtianis quoque Madurenſibus ſordium vaccinarum uſum, genti ſuæ familiarem, Societatis Ignatianæ Miſſionarii permittant, imo imitentur ipſi, ceterorum licet Ordinum Sacerdotibus cum indignatione hæc omnia improbantibus. (n) Dici non poteſt, quot abſurda, ſubductis univerſis rationibus, in hac agendi ratione concurrant. Tantundem hoc eſt, atque fœdiſſimos errores mitiſſime tractare; tolerare doctrinas dæmoniorum; confirmare turpiſ-

(m) *P. IV. p. 91. ſeqq.*

(n) FR. GONZALEZ *Relat. de la nouvelle perſec. de la Chine p. 266. ſeqq. p. 270. 283. ſeqq.* Conf. *Miſſ. Dan. Contin. XIII. p. 63.*

piſſime errantes in ſuis erroribus: hoc eſt utilitatis cauſa mentiri, & ex Diabolicis ſuperſtitionibus ritus mere Politicos præter omnem veritatem fabricare. Et tamen de Madurenſibus Jeſuita BOUCHETUS audet ſcribere: *Quam primum facti ſint Chriſtiani, eos inſtar Angelorum vivere, ut Eccleſia Madurenſis cœtibus primi & Apoſtolici ævi haberi poſſit ſimillima.* (o)

Adjungo hactenus dictis, quantumvis breviſſime, miracula & mirabilia, quæ ſine controverſia in hoc ſcriptorum genere nimis temere multiplicantur. Jeſuita NATALIS Romæ interrogatus: an Deus miraculis quoque præconium Verbi ſui in Sina confirmaverit? reſpondit diſtinguendo miracula & mirabilia; Priora non audebat aſſerere, poſteriora autem affirmabat. (p) Nec tamen ea diſtinctione opus fuit, ſi vera ſunt, quæ is eodem loco retulit. In *Hiſtorica relatione de ortu & progreſſu fidei Orthodoxæ in regno Sinenſi* ex *literis* maxime JOH. ADAMI SCHALLII, (maximi inter hos Miſſionarios viri ac immortalis memoriæ) collecta innumeræ recitantur fabulæ miraculoſæ de expulſis per agnos Dei cereos

(o) *P. II. p. 98.*
(p) *P. IV. p. 18.*

cereos & aquam luſtralem Dæmonibus, ſanatisque ægrotis, in illis quoque caſibus, quibus invocatum nomen DEI & JEſu nihil antea profuit. (q) Quis quæſo has næ-nias unquam ſerio crediderit? Memini quoque me legere, quibusdam puerum Jeſulum apparuiſſe, & ſevero vultu minatum, niſi legem ſuam acciperent, eos abs ſe trucidatum iri: quod egregie Salvatoris noſtri indoli & methodo Evangelium ſuum conſcientiis hominum commendandi convenit. JOHANNES FONTENÆUS eo loco, quo rationem reddit, cur religioſis habitu ſuo Monaſtico in China uti non liceat? his inter alia verbis reſpondet: *Si Miſſionarii Apoſtolorum inſtar facultatem haberent miraculorum, utique integrum ipſis fore cum cuculla rudi & nudis pedibus inter Sinas incedere, quin imo heſce conſpectis miraculis, nulla veſtium ratione habita, ſummo cultu eoſdem honoraturos.* (r) Si quid igitur hæc ratio probat, certe ipſa veſtis Miſſionariorum demonſtrat, eos donum miraculorum haud poſſidere. Quorſum etiam pertinet PHILIPPI COUPLETI, l. ſupra jam

(q) V. *l. c. p. 243. 272.* aliisque pluribus.

(r) *P. V. p. 38.*

jam cit. iſthæc ſcribentis, ſententia; gentem Sinicam pedetentim & multa cum patientia rationibus potius, quam miraculis & martyriis convincendam eſſe. (s) Nec plura jam de hoc articulo addimus cetera ſatis trito, ac præterea majore copia verborum illuſtrando, ſi quidquam pro rei dignitate & pretio dici debeat.

Ad extremum non poſſumus a nobis impetrare, quin reprehendamus in Miſſionariis R. C. iniquam eorum ſuperbamque erga quoscunque alios Chriſtianos in adeundis docendisque gentibus æmulationem atque invidiam. Non hic multis verbis repetam, quanto cum livore Jeſ. HIERONYMUS FRANCHI de Legatione quadam Ruſſica ad Aulam Pequinenſem, cui homines quoque Eccleſiaſtici interfuerunt, retulerit in *epiſtola* quadam de cætero timoris pleniſſima, ne ſi Ruſſi Miſſionarios in Sinam poſthac ablegaverint, maximum inde ad Miſſiones R. Catholicas damnum redundet, hæque ob varias, quas ibidem profert, rationes ab illis brevi ſupe-

(s) *Bibl. Brem. Claſſ. V. p. 620. ſeq.* ubi & Cl. Viri THEODORI HASÆI *annotatio* ſub lit. *a.* conſulenda.

perentur. (t) Id breviter recitabo, quam inciviliter ſe erga Proteſtantium Miſſionarios geſſerint hactenus, (u) & quam affectate

(t) *P.V. p. 41. ſeqq.*

(u) Ad hujusmodi ſpecimina merito referimus, quod a R. Catholicis quoque Scriptoribus narratum legitur. Audiamus FRANC. GONZALEZIUM, Dominicanum. *Ce Vicaire*, inquit indigitans Johannem Ferdinandum de Guebara, Sacerdotem ſecularem & Vicarium tunc Eccleſiæ R. Cath. Tranquebarienſis; *Ce Vicaire eſt tres-devoue & tres-ami de Jeſuites. Il nous raconta, qu' un Jeſuite Allemand Recteur de l' Egliſe de Meliapour, quand il vint a Goa, debarqua a Tranquebar, & que lui le recut dans ſa maiſon: que les Miſſionaires Lutheriens aiant ſû, que c' etoit un homme ſavant, allerent diſputer avec lui, & qu' ils commencerent la diſpute par agiter la queſtion: ſi les Pretres Catholiques pouvoient permettre aux Malabares batiſez tant de pratiques immondes, qui etoient en uſage parmi les Malabares paiens: que le Pere Recteur repondit, qu' il y avoit ſur cela deux opinions probables, & oppoſées entre les Theologiens, les uns ſoutenant, qu' on pouvoit permettre ces pratiques comme purement politiques, & nullement ſuperſtitieuſes, & les autres ſoutenant le contraire. A cette reponſe les Lutheriens tous indignez: Ne vous tourmentez pas davantage, diſoient-ils, a nous expliquer les opinions de vos Theologiens, car nous vous declarons, que jamais nous ne ſuivrons une pareille Theologie.*

ſtate eorum perſonis & cauſæ quavis occaſione ſoleant obtrectare. De Miniſtris Hollandorum in Batavia Orientali ſcripſit KOFFLERUS Jeſuita, eos utplurimum Sutores & Sartores, atque indoctos adeo homines eſſe; (x) quod procul dubio mendax convicium eſt. Noſtrorum inter Malabares Evangelii Miniſtrorum bis tantum *Collectio Stöckliniana* mentionem facit, eamque breviſſimam, ſed aculeis calumniisque

Le Pere Recteur aigri d' une telle reponſe commença a les traiter de bêtes, & apres d' autres paroles ſemblables il ſe leva tout en colere: mais eux s' enfuirent, & ainſi ſe termina la diſpute. C' eſt du moins ainſi, que ce Vicaire nous en fit l' hiſtoire. Tous les Lutheriens & les Calviniſtes, qui ſont dans ces quartiers-là, ont en horreur, & avec raiſon, ces coutumes paiennes. V. *la Relation abregèe de la perſecution de la Chine p. 270. ſeq.* Forte Vicarius iſte noſtris iniquior ſcurriliter quædam ex his recenſuit. Ex re ipſa tamen apertum eſt, quam ſordida & inepta ſuperbia ſe in cauſa, etiam ipſorum R. Catholicorum judicio, injuſta Miſſionarius Jeſuita ſupra noſtros tunc extulerit. Cetera non memini in præſentia, num aliquid ſimile in horum Recenſionibus annuis annotatum ſit? Neque vacabat, cum hæc ſcriberem, ea relegere veſtigia.

(x) *P. I. p. 31.*

(y) *P. VII. p. 110. ſeqq.*

que fœcundam. Fingunt Jeſuitæ CARON & BOURZÆUS, (y) eos cum contemtu a Brachmanibus excipi, cum R. Catholicos, Jeſuitas maxime, admodum humaniter tractent. Fingunt, eos nummis aliquot Proſelytorum centurias coëmiſſe; quæ omnia quam falſa ſint & maligna, non publici tantum Miſſionis illius Commentarii, ſed nuperæ etiam apologiæ Doctiſſimi LA CROZE (z) & S. R. D. MICHAELIS (a) ſatis ſuperque evicerunt.

Denique, ſi liberet jocari in re ſeria, dicerem, E. R. Miſſionarios ad corrigendos Miſſionum ſuarum nævos non pauca diſcere poſſe in Schola D. WILLENBERGII, Gedanenſis Icti, & Præceptorum illius. Is, ut notum eſt, in variis de Polygamia nec inter Chriſtianos jure divino prohibita libris inſignem doctrinæ ſuæ uſum hoc inter alia argumento demonſtrare conatus eſt, quod integræ nationes barbaræ ab idolis ſuis ad veri Dei agnitionem invitari poſſint, ſi ipſis ſuæ uxores relinquantur, hincque maxima in rem Chtiſtianam incrementa ſint ſecutura. (b) Supereſt, ut Miſſio-

(z) *Hiſt. generale des Indes p. 553. 556. 559.*

(a) in *Præf. ad vit. Heylingii.*

(b) V. WILLENBERGII *Selecta Juris Matrimonialis p. 269.*

Miſſionarii, quibus gentilium polygamia invictum hactenus impedimentum fuit, diſcant in poſterum rectius ſapere, iisque de multitudine uxorum nullam poſthac faciant controverſiam. Sed, ut diximus, in re ſeria jocari nolumus.

Supereſt, ut de fatis ac ſtatu præſente Miſſionum Eccleſiæ Romanæ aliqua, Veſtra, A, H. attentione haud indigna, ex me percipiatis. Eſſet enim res oppido mira, ſi tam amplum negotium, tot difficultatibus obſitum, tot incertis ac lubricis nonnunquam fulcris ſuſtentatum, tot defectibus nequaquam contemnendis ſæpisſime vitioſum, absque magnis vicisſitudinibus, periculis, atque caſibus diu duraret. Plus dico: credendum eſſet, nullum amplius Satanam, nullum tenebrarum regnum in mundo ſupereſſe, ſi id, quod in gravisſima hac cauſa innocens, bonum, & laudabile eſt, diu ab illius inſultibus & pugnis immune eſſet validisſimis. Ibimus ergo per exempla, ſed inſigniora, eaque, quantum fieri poteſt, avthentica, atque proprio eorum, quorum cauſa hic agitur, teſtimonio confirmata. Quodſi initium a Misſione Sinica facimus, ne ipſi quidem Scriptores R. Catholici reticent amplius aut disſimu-

lant

lant funeſtas tam ſplendidi ac diuturni operis ruinas, quæ poſt fata novisſima Camhii Imperatoris, ineunte moderni Principis regno, ſpem longe amplisſimam, atque, ut videri poterat, a longo tempore confirmatam quaſi per turbinem everterunt. Mirum eſt, quam languide & ſuſpecte ipſe Camhius Imperator ſub finem vitæ ſuæ ſe adverſus Misſionarios, ceterosque Sinenſes geſſerit Chriſtianos, ut non vana ſit ſuſpicio, quicquid antea per omnes regiminis ſui annos favoris & gratiæ in ipſos contulit, ex arte regnandi finibusque politicis potius fluxiſſe, quam ex inſtinctu religioſitatis. Cum antea PP. Societatis de eo prodiderint, in famoſis illis de ſenſu verborum Sinicorum controverſiis palam & aperte ipſum ſuæ faviſſe ſententiæ, novisſima contra occaſione is tam intricatis, contortis, ac ancipitibus formulis circa easdem quæſtiones uſus eſt, ut, nemo, quid vellet? quid intenderet? intellexerit. (c) Apertius adhuc abalienati animi ſignum erat, quod Miſſionariorum Apologiam quandam noviſſimam, plane contra morem ſuum priſtinum, Tribunalibus ſummis examinandam tradi-

---

(c) V. *Collect. Stöckl. Part. VIII. p. 20. ſeq.*

tradidit, horumque decreta, licet peracerba & iniqua, rata habuit non modo, ſed etiam executioni dari a Magiſtratibus permiſit. (d) Nec moriens ullam, vel minimam, edidit ſignificationem, Chriſtianam religionem quendam in ipſius animo reliquiſſe aculeum. (e) Triſtia hæc erant præludia calamitatis atrocioris, qua deinceps ſub novo Principe templa quævis Chriſtianorum everſa, exercitium religionis Chriſtianæ interdictum, relegati non quidem omnino extra Chinam, attamen ad illius confinia, Sacerdotes & Miſſionarii, ipſi denique Jeſuitæ Pekinenſes usque adeo imminuti fuerunt atque coarctati, ut quovis momento ultimum fortunas ſuas expectare ictum aperte profiteantur. (f) Si cauſas hujus perſecutionis inquirimus, dici quidem poteſt veriſſime, occulta multorum adverſus Chriſtianos eorumque religionem odia, eaque nationalia, heic erupiſſe in nervum,

(d) *l. c. Part. IX. p. 4. 5.*

(e) *l. c. Part. IIX. p. 24.*

(f) *l. c. Part. IIX. p. 25. ſeq.* ubi inter alia hæc quoque leguntur verba: So weit iſt es mit dem Schutz des Chriſtenthums in China nunmehr gekommen, daß ſolcher an dem Pinſel eines Jeſuiter-Bruders hafftet, obſchon auch dieſer der bedrängten Miſſionarien nicht leicht annehmen darff.

vum,poſtquam in ſumma Poteſtate optatum diu præſidium invenerunt. Verum ipſi Eccleſiæ Miſſionarii alias quoque occaſiones & cauſas proxime acceſſiſſe agnoſcunt, quæ ſi veræ ſunt, magnam culpæ partem in ipſos devolvunt Miſſionarios. Aliquas etiam ſi quis altius repetat, non certe is facile erraverit. Certum eſt, odioſas methodos invadendi terras longinquas, easque non minus violentas & injuſtas, quam aliunde odioſas,inSinenſium quoque memoria fuiſſe reſuſcitatas. Certum eſt, Sinenſem Aulam altius ſemper in hiſtoriam Europæorum deſcendiſſe. Mutuo ſe porro hic accuſant Miſſionarii. Hi iſtis nimiam & ſcandaloſam prudentiam: iſti illis ſimplicem quidem, nec ſtudio peccantem, at noxiam tamen & infelicem imperitiam objiciunt. Credunt etiam aliqui, cum Principes R. Catholicos potentiſſimos, tum ipſam Romanam Aulam Legationibus, decretis, mandatis, ſtrepitu varii generis nimis ſplendide ac operoſe ſe interpoſuiſſe controverſis inter Miſſionarios exortis, nec fieri aliter potuiſſe, quam ut invidiam atque exacerbationem in Aula delicatiſſima ac menſuratis ubique paſſibus incedente excitarent. Id maxime miratus ſum, quod

præ-

præcipuus hodie in Aula Pekinenſi Miſſionarius, Ignatius Kôgler, de ſerpente in oris iſtis Ianſeniſmo, miſſisque ad Sinas usque apothecis integris libellorum Conſtitutioni Unigenitus in Europa oppoſitorum pleniſſimis cum dolore commemorat. (g) Illud quoque alta mente reponi meretur, quod Imperatorem hodie regnantem, utut perſecutorem ſuum, magnificis ornent elogiis

(g) In Cocincina genieſſt die Chriſtenheit zwar eines ruhigen Friedens von Seiten der Heyden, nicht aber von Seiten der Chriſten: dann es iſt gar zu gewiß, daß der Janſeniſche Irrthum daſelbſt nicht ohne Anhang gleich einem Krebs um ſich freſſe. Ob in China auch Janſeniſten ſchwärmen? laſſe ich dahin ſtehen: doch habe ich mit dieſen meinen Ohren gehöret die Janſeniſtiſche Sprach reden, wie auch zwölff Bände Frantz. Schrifften gepfändet, in welchen beyläufig biß 100. kleine wider die Bullam Unigen. gedruckte Büchlein zu leſen ſind. So iſt auch erſt vor zwey Monaten mit einem Oſtendiſchen Schiff an einen gewiſſen Miſſionarium ein verſchlag mit Büchern angelangt, in welchen gleicher geſtallten obgemeldte Conſtitution angefochten und bekriegt wird, *l. c. Part. IX. p. 25.* Quid quæſo his regionibus negotii eſt cum controverſiis Janſeniticis & Conſtitutionariis?

elogiis oppreſſi, doleantque, religioni Chriſtianæ *in ſinu gentis tam rationabilis, ac ſub ictibus Principis alias tam perfecti eſſe pereundum.* (h) Noſtris hos contemplantibus even-

(h) *Nous finirons,* ſic ſcribunt Autores *Comment. Trivolt. par la lettre du P. Contancin ecrite de Canton au P. Etienne Souciet ſur la fin de 1725. Elle fait un portrait achevé de l' Empereur aujourdhuy regnant. Quoiqu' il ſoit ennemi de la Religion Chretienne, on ne peut s' empecher de lui rendre la juſtice, qui lui eſt düe ailleurs, & de louer les qualitez, qui le rendent digne de l' Empire. Ce Prince a environ 50 ans, la taille avantageuſe, l' air noble, de l' eſprit. Il parle bien, mais vite, & ſans donner de tems pour lui repondre: affectation politique pour ne pas ecouter de raiſons, qui pourroient lui faire changer des reſolutions deja priſes. Attentif a tout, apliquè aux affaires d' Etat, infatigable dans le travail, & ne travaillant nuit & jour, qu' au bonheur de ſes ſujets. Il s' en fait une etude, ſans en pretendre ni gloire, ni interet.* Poſt allata quædam ejus rei exempla longe pulcherrima hæc tandem ſubjungitur ἐπίκρισις: *Qu' il eſt triſte de voir la religion perir dans le ſein d' une nation ſi raiſonable, & par les coups d' un Prince d' ailleurs ſi parfait.* V. *les Mem. de Trevoux* ad *A. 1728.* m. *Mart.* & *Majo Art. XXIIX. & LII.* in quibus *XVII.* & *XVIII. Partes des Lettres Edifiantes* &c. recenſentur. Ut verum tamen fatear, aliquid ſuſpicionis in animo meo hæret ex iſtis laudibus. Similia ſingularis curæ pro ſub-

eventus eæ procul dubio cogitationes in mentem venient, majore conſtantioreque Dei benedictione gaviſuras eſſe has Miſſiones, ſi fuiſſent puriores, ac fundamentis ſolidioribus ſuperſtructæ. Optabunt illi certe, ut hac forma aliquando reſurgant ex ruderibus ſuis, atque Deo reviviſcant.

Iaponicæ Miſſiones jam ante ſeculum deſtructæ in huncusque diem haud potuerunt reſtitui. Unde hoc demum ſeculo ſcriptum ab Jeſuita Fontanæo deprehendimus, ipſum poſt accuratisſimam ejus rei ex-

---

ditis Principum Sinicorum exempla paſſim allegantur, in quibus affectationem Politicam & artem regnandi difficile eſt non ſentire. Credi poteſt, idem principium in his quoque ſpeciminibus regnare. Ejusdem alias Principis initia regendi non caruerunt violentia, vindicta, ac duritie ſibi per proximorum quoque perniciem autoritatem undequaque conciliandi. Ipſa Chriſtianorum perſecutio ab eo brevi intervallo longiſſime provecta non tam ex odio religionis profecta eſſe videtur, quam ex arte Politica ſibi cuncta ſacrificante inſtar victimæ neceſſariæ. Hæc ſecum apte conciliare non admodum facile eſt. De cetero probabile eſt, regnorum ac provinciarum Chriſtiani nominis incolas ſibi de hac ſpecie hypocriſeos Principum ſuorum mirifice gratulaturos, ſi eadem apud ipſos in uſu eſſet.

explorationem, cum vicinus eſſet Japoniæ, nihil tamen de religionis Chriſtianæ veſtigiis apud Japones ſuperſtitibus percipere potuiſſe atque detegere. Addit idem cauſam admodum memorabilem, cur nihil novi hactenus ad reſtaurandam religionem Chriſtianam in regnis iſtis tentari potuerit? Notum erat jam prius, atque abierat in proverbium, ſolos Batavos ex omni Chriſtianorum numero admitti ab Japonibus, & quidem unius mercaturæ cauſa. At plane novum eſt, quod recenſet hic Miſſionarius, advenis cum Sinis, tum Batavis (his enim ſolis, loco nonniſi unico, conceſſum eſſe aditum confirmat) de religione primum interrogatis cupream laminam, cui Chriſti crucifixi imago inſculpta eſt, nudo pede conculcandam deinceps proponi, ac tandem horrendum ac infeſtiſſimum religioni Chriſtianæ ſcriptum una cum edictis proſcriptionis olim factæ publice ipſis prælegi. (i) Intereſt certe Batavæ gentis cauſa quam maxime, ut turpiſſimi hujusmodi facti, ac vere abominabilis, mercatores ſuos innocentes eſſe ſolide demon-

(i) V. *Collect. Stöckl. Part. V. p. 30. ſeq.* Epiſtola A. 1704. ſcripta eſt.

monſtrêt. Probant interim ex eo Iaponum rigore Miſſionarii, mirari debere nemi- nem, quodſi in tanto alias, eoque notiſ- ſimo, propagandæ religionis Chriſtianæ ſtudio hac tamen parte nihil cum ſucceſſu vel tentatum amplius fuerit, vel præſtitum. Nos illud adjungimus conſectarium: ſi hæc vera ſunt, non intelligi, qua ſpecie veri URBANUS ſcripſerit CERRIUS, Congregationis de propaganda Fide olim Secretarius, nunquam ita fuiſſe extinctam religionem Chriſtianam in Japonia, quin multitudo Chriſtianorum ingens manſerit ſuperſtes, & Dominicani Ordinis Mona- chos ex Philippinis Inſulis clandeſtinas quandoque Miſſiones eo dirigere. *(k)* Regnante maxime Clemente XI. aliquoties de recens aperto ad Japones acceſſu ſparſæ ſunt in tabulis publicis fabulæ; ſed quarum fides nunquam ſe tueri potuit.

Quoniam inter colonias ſacras Orientis vix ullam altius extollunt Miſſionariorum Commentarii, quam Madurenſem ſ. Ma- labaricam, etiam de illius fatis ac ſtatu præſente pauca quædam monebimus. Fa- tentur Scriptores Societatis, in regionibus mari-

(k) *l. c. p. 211.*

maritimis illarum gentium vix hilum ha-ctenus profeciſſe a tam longo tempore Sacerdotes R. Catholicos, eo quod implacabili odio proſequi ſoleant Europæos quoſcunque, quorum vel nomen ipſis bilem moveat. Addunt vero, poſtquam in mentem venerit Miſſionariis, velle ſe relictis oris maritimis in interiores provincias ſe penetrare, patriam Europam prorſus diſſimulare, earum gentium veſtitui, moribus, atque inclinationibus, quacunque fieri poſſit ratione, ſe totos accommodare, pulcherrime ſucceſſiſſe negotium, & florentiſſimas ex iſto labore ſucceſſiſſe Eccleſias, ex atrociſſimis, quas per vices ſubire cogantur, perſecutionibus novas ſemper vires accepturas. (l) Nec illud plane ex eorum relationibus tacendum, quam maſcule, ſi quidem illis credendum, hi ipſorum Neophyti repulerint aliquando Batavum quendam Miniſtrum de ipſorum perverſione laborantem

(l) *Part. III. p. 40. ſeqq.* in aliquot *epiſtolis* ſe conſequentibus. V. *Index Collect. Stöcklin.* poſt *Partem IIX.* ubi hæc verba leguntur: Die in Madura ſich befindliche Miſſion. *Soc.* Jeſu ſolle die heiligſte in der gantzen Welt ſeyn, als in welcher gröſſere Wunder, als ſonſt in keinem Ort auf Erden geſchehen.

rantem, hoc ſc. propoſito argumento, olim Xaverium quinque vel ſex mortuos in his regionibus in vitam revocaſſe, reſuſcitaret igitur decem defunctos, ſanaretque ægrotos ſuos, tunc ſe ipſi eſſe credituros. His enim auditis Virum iſtum cum pudore ad ſuos eſſe reverſum. (m) Nos, dimiſſis hujusmodi hiſtoriolis, vel ex his ipſis intelligimus epiſtolis, non defeciſſe ex ipſis R. Catholicis, qui vehementer admirarentur, Miſſionariorum labores apud maritimos Malabares tam inanes & vacuos, in ipſo autem earum gentium meditullio tam fœcundos & ad miraculum usque benedictos eſſe, ut multo minus mirum videri debeat, ſi alii hoc tantum diſcrimen, cujus certe cauſas ſatis idoneas non afferunt, difficilius capiant. Si noſtræ confeſſionis teſtes huc advocare liceat (cur vero non liceat?) nullos certe majori jure conſulemus, quam Tranquebarienſes Miniſtros provinciis illis vicinos atque proximos. Ex horum vero commentariis multa diſcimus, quæ demonſtrare queant, iſtas quoque Miſſiones iisdem, quibus pleræque aliæ peccant, in hunc usque diem laborare vitiis. Quoties in hoc argu-

(m) ibid. p. 50. 51.

gumentum incidunt, perpetuo dolent neglecta ſolidæ inſtitutionis fundamenta, præcipites baptiſmos, (n) libros nonniſi B. Virginis & SS. miraculis refertos, Neophytorum R. Catholicorum compertam ſibi ex multis exemplis ignorantiam craſſiſſimam, (o) ſcandaloſos paſſim Miſſiona-

(n) Dabimus quædam eorum Verba modeſtiſſime concepta: Ich weiß gar wohl, inquit, BENJ. SCHULZIUS ad A. 1726. indem ich dieſes ſchreibe, was die Cathol. Miſſionarii, und ſonderlich die Jeſuiten vor Rühmens machen von ihren neuen Chriſten. O! habe ich allezeit geſeufftzt und ausgeruffen, wann es doch auch ſo wäre, wie es die Miſſionarii in ihren Frantz. ſo genannten Lettres Edifiantes berichten. Daß ſie viele tauffen, glaube ich gern; aber, ob ſie auch viel informiren, und recht zur Tauff præpariren, das möchte ich auch gern wiſſen, und mehrere Gewißheit davon haben. Solte es ihnen mit dem Marien-Bild und der Figur eines höltzernen Creutzes, welches ſie den abgöttiſchen Heyden zeigen, ſo treflich gelingen die Seelen der Heyden zu bekehren, ſo wären ſie in der Wahrheit glückliche Miſſionarii, als welchen tauſend zu bekehren nicht ſo ſchwer und mühſam fiele, als uns nur eine Seele mit dem Wort GOttes herum zuholen. Vid. omnino & *ſeqq. Continuat. XXIII. p. 934. ſeq.* lectu digniſſima.

(o) Poſtquam de egreſſibus ſuis in vicina loca,

narios creandi modos, (p) aliaque id genus plura ad minimum, quæ cum alterius partis

---

in quibus partim gentiles, partim Neophyti habitabant R. Catholici, horumque maxime inſcitia a ſe animadverſa retulerat Vir Cl. ſupra laudatus, his deinceps pergit verbis: Und das iſt auch kein Wunder. Die Patres Vicarii in Tranquebar können nur Portugeſiſch, und leſen ihre Meß lateiniſch. Was ſoll diß den Malabaren nutzen, die es nicht verſtehen? Einſt kam von der andern Seiten dieſer Küſte ein Römiſch-Catholiſcher Malabar zu mir, und wollte ſich bey uns aufhalten. Weil er dann ein Chriſt heiſſen wolte, fragte ich ihn, ob er dann wohl wüßte, wer Himmel und Erden erſchaffen hätte? Er ſtund ein wenig ſtill / und gab mir endlich die Antwort: Wer wolte doch wohl anders den Himmel und die Erde erſchaffen haben, als Maria? Solche ſchlechte Erkanntnuß haben die arme Leute von dem Chriſtenthum. Ja daß ich diß noch anführe, welche Bücher der Catholiquen ich in der Malabariſchen Sprach geleſen, in denen allen finde ich wenig oder nichts, was Chriſtus vor Wunder gethan habe: aber alle Wunder ſind durch Anruffung Mariä geſchehen. *Contin. XIX. p. 355.*

(p) Es ſind eine geraume Zeit her [ſcribuntur hæc ad An. 1727.] viel Catholiſche Patres in dem Land herumgegangen, wie dann vor einem Jahr eilf dergleichen auf einmal nach Nagapatnam

tis relationibus ſapienter ac ſincere confe-rantur ab iis, qui ex integra cauſa ac probe inſpecta judicare cupiunt. Mira ſane res eſt, cruces ligneas, imagines SS. Reliquias, exorciſmos in manibus Miſſionariorum R. Catholicæ partis ſcatere undequaque mi-racu-

kamen. Es hat mir aber ein Catholiſcher Kauff-mann folgendes erzehlt. Es gibt, wie anders-wo, alſo auch in Portugal, viel liederliches Ge-ſind und böſe Buben, die wegen ihrer Ubeltha-ten lang gefangen geſeſſen. Mit denen alle Jahr nach Indien, und ſonderlich nach Goa abgehen-den Schiffen hat man dieſelbe als gefangene mitgeſchickt. Wann nun öffters mit denen Schiffen 60. biß 100. ſolcher Ubelthäter ange-kommen, ſind die Cathol. PP. in Goa auf die angelangte Schiffe gegangen, und haben den Gefangenen die Befreyung angebotten, wann ſie wolten in ihren Orden tretten, da dann ſol-che dieſe Gnade mit allen Freuden angenommen, ſich in die Collegia führen laſſen, und in ein paar Jahren etwas Latein gelernt umb Meß zu leſen, hat man ſie nach deren Verlauff bey der erſten Gelegenheit als Miſſionarien von Goa weiter ver-ſchickt. Allein da ſie in die Freyheit kommen, haben ſie es ſo getrieben, wie ſie es längſt ge-wohnt geweſen, und groſſes Aergernuß gegeben. Doch ſollte dieſe Manier Miſſionarios zu machen nunmehr abgeſchafft werden. *Continuat. XXIII. p. 942. ſeq.*

raculis, ipſum vero Jeſu Chriſti Evangelium, in quo prædicando atque communicando tam parci ſunt, adeo ſterile atque inefficax a Deo relinqui. His paradoxis ſi incredulos nos præbeamus, quis jure nobis id vertet vitio? Dici porro poſſent ex ipſis illis narrationibus R. E. domeſticis quam plurima, quæ ad examen Miſſionum iſtarum Madurenſium adjumento eſſent non exiguo. Sed ſufficiet, ut proprio quis credat judicio, ad lectionem extra partium ſtudium poſitam ac ſinceram invitare.

De ſtatu Miſſionum Habeſſinicarum moderno hæc ex Miſſionariorum Commentariis diſcimus: Sub initium hujus Seculi ad regnantem eo tempore Imperatorem Adiam Sagedum ex ordine Franciſcanorum Sacerdotes eſſe ablegatos, muneribus quoque a R. P. ad hunc Principem additis ſatis ſplendidis: Hos tamen nonniſi ſub alio ſchemate admiſſos, atque de religione in clandeſtinis ac furtivis tantum auditos colloquiis. Iis cautelis nequaquam obſtantibus publicam & atrocem inter plebem Habeſſinicam ſeditionem exortam, quæ invitum Imperatorem ad dimiſſionem Miſſionariorum ex omni Habeſſinia decernendam coëgerit, poſtquam prius R. Catho-

licam fidem, privata ſolennitate, profeſſus fuerat. Ex viginti Monachis Franciſcanis A, 1703. a Clemente XI. in Habeſſiniam deſtinatis nonniſi tres, & quidem Anno demum 1711. eo ſe penetraſſe, a Principe clementſſiime receptos, plurimiſque ac munificis affectos beneficiis, ut ſpes fuerit ampliſſimæ meſſis denuo colligendæ. Sed hanc, quadriennio abhinc, illaudatis artibus Monachorum, & furore populi mature fuiſſe, veneno Imperatori propinato, eoque poſtea prætextu ineptitudinis ad regnandum depoſito, ſuccedente per tumultum adverſario Principe, Davide, lapidatis autem tribus, qui ſupererant, Franciſcanis Sacerdotibus everſam. Cauſæ tanti odii priſtinæ fuerunt æmulationes ſic ſatis ex Hiſtoria Miſſionum cognitæ, & formidata a peregrinis, maxime Europæis, pericula. Quos enim alios rumores adverſus ſe ſparſos tunc fuiſſe Miſſionarii commemorant, ipſos ſc. juratos hoſtes eſſe B. Virginis, & panem azymum, quo in Evchariſtiæ adminiſtratione utebantur, ex adipe canino ac ſuillo cerebro confectum eſſe, id omnem prope fidem ſuperat, & a nobis merito ſuo loco pretioque relinquitur, (q) Magis novæ de

(q) V. *Collectio Stöcklin. Part. IIX.* a *p. 43.* uſ-

de novis in illud regnum conatibus relationes non proſtant. Prodiderunt tamen Noſtrates, Armeniis Chriſtianis, iisque ſolis, liberum patere ad Habeſſinos aditum, contra eum R. Catholicis interdictum, idque ſe

---

que ad *p. 59.* ubi hæc omnia copioſius diducta leguntur. Nos nihil exinde hoc loco addimus, præter lepidum illud artificium, quo Miſſionarius KRUMPIUS ad eludendos in Cairo vetere Judæos publicorum vectigalium redemtores uſus eſt. Sic ipſi rem referunt: Als R. P. Theodoro Krump des Zolls wegen etwas bang ware, den er wegen mitgebrachter Geld- und andern Kiſten bey denen Juden zu Cair, welche denſelben immer im Beſtand haben, entrichten ſollte, hat er ſich in den Handel über die Maſſen ſinnreich gefunden, da er oben auf die Müntz und andere Koſtbarkeiten Schüncken und cervellate - Würſt gelegt, hiedurch aber die Sau-ſcheue Jüdiſche Zöllner dermaſſen erſchrecket, daß ſie ihm befohlen ſich ſammt ſeinen Kiſten fein geſchwind fortzupacken, welches er willig und gern bewerckt hat. Non eſt religioſum hujusmodi fraudes in legum civilium injuriam irreligioſe patrare: ſed ſimplicitatis quoque eſt hæc privatis literis ſcripta in publicis Commentariis haud omittere: quales ineptias etiam ex Noſtris aliquos olim commiſiſſe ſapientes poenitet.

V. *Continuat. Part. XXIII. p. 943.* in qua A. 1726. epiſtolæ continentur.

ſe ex Armenis literarum commercium cum Imperatore exercentibus noviſſime didiciſſe.

Aliud exemplum ſi quis requirat, Paraguarienſes, iiſque vicinas, de quibus jam ſupra dictum eſt, adjicimus colonias. Si commentarios Miſſionariorum novisſimos conſulimus, non durant illæ tantum, ſed florent etiam & creſcunt egregie. Sacerdotum maxime Germanorum, quod ipſis honori & ornamento cedit, quaſi proprius hic labor, ac ſingularis Provincia eſt. Si ulla Miſſionum ſuarum parte felices ſunt ac laudandi Eccleſiæ R. Miſſionarii, hac certe parte ſuis minime defraudandi ſunt præconiis. Excipimus pro conſcientiæ noſtræ dictamine, quæ religio vetat probare. Id vero ſine ſcrupulo laudamus, quod gentes illas ad ſocietatem juſtam & rationabilem adſuefaciunt, quod mutuum illis nationibus amorem & ſociabilem animum inſpirant, quod diſſolutum ipſarum otium in legitimos utilesque ſocietati labores & operas convertunt, quod populos iſtos, procul ab omni commerciorum luxusque inter gentes, quas nos vocare ſolemus, cultiores uſitati conſuetudine abſtentos in vitæ genere frugali, ſimplici, &

la-

laborioſo exercent, quod eos a Pſeudo-Chriſtianorum vitiis, converſatione, ac violentia, quacunque poſſunt via, abſtinent tutosque præſtant, quod denique in conſervandis augendisque his omnibus nulli parcunt diligentiæ ac operæ, nullas moleſtias & pericula refugiunt. (r) Dolendum tamen in iis, quæ ad religionem propagan-

(r) Non jam denuo colligam monumenta ex *Collectione Stöckliniana* ſuperius citata: Placet tamen illuſtrationis gratia quædam apponere, quæ ex *Relatione* Hiſpanica Fernandezii *Comment. Trivult.* Autores decerpſerunt. *Quand on eſt venu* [his verbis methodus Miſſionariorum iſtorum deſcribitur] *a bout de reſſembler un certain nombre de ces Barbares, on commence par leur enſeigner plus en detail les premiers elemens de la doctrine Chretienne: mais on a ſoin a meme tems de les mettre en etat de ſubſiſter, ſans qu' il ſoyent obligez de ſe debander avec danger de retourner d' abord a leurs ſuperſtitions, & a leur vicieuſes habitudes, ce qui ne manqueroit pas d' arriver, pour peu, qu' ils rentraſſent dans le commerce de leur compatriotes, ou de quelques autres Sauvages, que ce ſoit. Pour cela on leur montre a cultiver la terre, & on leur apprend les metiers les plus neceſſaires a la vie. A meſure que leur eſprit s' ouvre, & que leur coeur ſe forme, on leur donne des inſtructions plus relevées, & l' on parvient par degrez a les etablir dans la pratique conſtante de la plus pure morale de l' Evangile. Comme*

pagandam artinent, in methodo docendi eadem vitia habere hanc Miſſionem, qua labo-

---

il n' y a point là des maximes d' Etat, ni d' engagement d' interet, ni rien, qui s' oppoſe a une egalitè entiere entre tous les membres d' une meme bourgade, & a une dependence abſolüe de la loi de Dieu expliquèe & manifeſtèe pas ſes Miniſtres, on a crû pouvoir entreprendre d' etablir parmi ces Neophytes un gouvernement, qui retracat au naturel l' image de la primitive Egliſe &c. *& on y a reuſſi. Une des plus grandes attentions de ceux, qui les gouvernent, eſt, de les eloigner de tout commerce etranger, & ils peuvent s' en paſſer.* ad *A. 1728. Art. LIII. p. 899. ſeqq.* Amplam meditandi materiam hoc experimentum ſuppeditat. Primum eſt, quam triſtis ſit ac funeſta neceſſitas arcendi Chriſtianos a gentilibus, ſi ipſos ad Deum convertere, atque a contagio puros ſervare oporteat. Alterum, quam longe abſint a veritate & pietate, qui inter Chriſtianos ſic ſatis jam carnales & mundo immerſos noctes diesque nil niſi augmenta luxus & materiæ luxus ſomniant, & ingenioſas has animarum peſtes deinceps culturam populorum nominant. Tertium, quam ſimilia, imo longe adhuc magis præclara, de Waldenſibus vel Vallenſibus potius Pedemontanis nationalis eorum referat Hiſtoria, quamdiu a commerciis mundanis remoti in ſimplicitate Chriſtiana perſtiterunt. Vid. *Introd*, noſtra *in H, E. Tom. II. p. 994. ſeqq.*

laborant & reliquæ. (s) Etiam illud ad fata hujus Miſſionis referendum, quod ſingularis forma Societatis civilis & Eccleſiaſticæ in illas provincias a Miſſionariis introducta odioſisſimis adverſus hoſce ſuſpicionibus occaſionem præbuerit. Percrebuit enim fama longe lateque, integra regna ſibi acquirere & ſervare PP. Societatis; proprias ibi aurifodinas, & ex illis ampliſſimos theſauros, poſſidere; Poteſtatibus utriuſque ordinis hos populos, has Eccleſias

(s) Illuſtris Anonymus, licet R. Catholicus, non omnes methodos hic adhibitas ſibi probari, his verbis, præmiſſa ſc. quadam egregia Acoſtæ ſententia, teſtatus eſt: Die davon abweichen, und neue Moden, als [wie z. E. einer in Paraguaria gethan hat] durch Trommeln, Trompeten, Schalmeyen, Flöten und andere Muſicaliſche Inſtrumenten, ja gar durch Indianiſche Täntze, die ſie der ſeeligſten Mutter des HErrn zu Ehren vor der Kirche anſtellen, die Heyden an ſich zu bringen, und dergeſtalt das Chriſtenthum, und zwar bey ſchlechter Unterrichtung der armen Leute, unter ihnen zu pflantzen, erdencken und gebrauchen, ſelbige haben die Verantwortung hierüber vor GOtt und der Welt allein auf ſich. Abriß der W. C. K. *p. 713. ſeq.* Conf. *Collect. Stöckl. P. II. p. 59.* ad quem locum ejus epiſtolæ Anonymus videtur alluſiſſe.

ſias ſubducere, ut ſoli ſocietati ſubjaceant; Enimvero hæc omnia eſſe longe falſiſſima, candide agnoſcendum, ſi, quod Miſſionarii ſe hactenus demonſtrâſſe confidunt, neque aurum, neque argentum iſtæ gignunt provinciæ, ſi ipſa Aula Hiſpanica, cujus intererat in hanc cauſam inquirere, nihil molitur aut decernit adverſus hæc inſtituta, imo ſi hæc tributis ac cenſibus iſtarum gentium ſatis liberalibus contenta eſt, (t)

Non poſſum mihi temperare, quin hoc loco mentionem quoque faciam Miſſionis Crimea - Tartaricæ, quam Commentarii moderni inter illuſtria noſtri temporis exempla referunt. Occaſionem huic Miſſioni præbuit Ferrandi, Medici Galli & Chani Tartarorum tunc temporis Archiatri, lugubris de Chriſtianorum in illis regionibus captivorum relatio. Autoritatem ei apud

(t) Vid. omnino *les Mem. de Trevoux l. c. p. 892.* & *p. 901.* nec non ad *A. 1716. Art. XCVI.* Add. *Vindic. Soc. Jeſu* ALPH. HUYLENBROCKII *p. 265. ſeqq.* ubi ex memorabili quadam formula *Retractationis* Capitanei cujusdam & Secretarii quondam Regiminis Hiſpanici in Paraguaria oſtenditur, factam eſſe per ſparſos rumores Miſſionariis Societatis injuriam.

apud Tartaros conciliavit Legatorum Regis Galliæ ad Aulam Turcicam interceſſio. Objectum & materiam his laboribus præbuerunt miſera illa & numeroſiſſima mancipia, in variis religionibus nata & educata, quæ ex vicinis regnis & provinciis gens iſta latrociniis & rapinis adſueta a longo tempore & undequaque corraſerat. Operarium & Miniſtrum huic Miſſioni ſe obtulit P. Du Ban, Societatis Ignatianæ Sacerdos. Fructus operæ ab initio difficilioris deinceps ut ampliſſimus laudatur. (u) Hactenus nihil cauſæ eſt, cur miſeris illis captivis hæc invideamus auxilia, aut obtrectemus his Miſſionibus, qua parte laudabilem habent intentionem & operam. Nihil tamen adverſus æquitatem vel veritatem peccabimus, ſi pleraque fata hujus Miſſionis proſpera ex aliis derivemus fontibus, quam quos illi adſignant hi Commentarii, ac præterea plurima pro more exaggerata fuiſſe exiſtimemus. Ipſi fatentur, maximam illorum captivorum, etiam R. Catho-

(u) V. *Collect. Stöcklin. Part. IX. epiſtola* ſatis copioſa P. du Ban ad March. de Torci, Miniſtrum tunc Status Aulæ Gallicæ, a *p. 78.* uſque *ad p. 89.* & Conf. *les Mem. de Trevoux ad A. 1715. menſ. Sept. Art. CXIX.*

Catholicorum, partem longo temporis tractu plane dedidiciſſe religionis Chriſtianæ principia, atque inſuper ex conditionis ſuæ infelicitate, ac tædio tam duræ ac diuturnæ captivitatis ex hominibus, ut ipſe P. du Ban in literis ſuis loquitur, tantum non beſtias effectos eſſe. Quis, quæſo, mirabitur, hujusmodi homines animum propenſum, & docilitatem mollem deinceps oſtendiſſe, poſtquam ſe variis affectos beneficiis, mitigatamque non unius generis ſubſidiis officiisque humanitatis calamitatem ſuam experti ſunt? Quis mirabitur, homines religioni Romanæ jam olim a nativitate addictos Sacerdoti ſuæ religionis veteres apud ipſos ideas & ſenſationes reſuſcitanti benevolas tandem aures præbuiſſe? Quis præſtabit, captivos, Proteſtantium ſacris olim quidem innutritos, hacque occaſione ad fidem Romanam adductos, cum omnibus ceteroquin fovendæ juſtæ rerum ſacrarum notitiæ ſubſidiis deſtituti fuerint, ſpuriis & illegitimis rationibus non fuiſſe allectos? Quantulum eſt, quod ibi jactatur, quotannis quinque vel ſex ex Lutheranis, aut Reformatis Tartarorum mancipiis, quæ tamen maximo numero ibi proſtare dicuntur, a P. du Ban fuiſſe

fuiſſe converſos ? (x) Quid hoc ad verita-
tem vel falſitatem religionis Proteſtantium
conferet momenti, quod aliquando Mi-
niſtri alicujus Hungari uxor, diu licet re-
luctata Miſſionarii perſuaſionibus, & Ge-
danenſis quidam Lutheranus publice ſuam
abjuraverint confeſſionem? (y) Miſere
ſane peſſimeque ageretur cum religione cu-
juscunque generis, quodſi illius valor atque
innocentia ab hujusmodi penderet exem-
plis? Nihil etiam magis jejunum referri po-
tuit, quam quod de miſſo quodam a Rege
Sueciæ, apud Turcas tunc hoſpite, Mini-
ſtro, ejusque apud Chanum Tartarorum
actis

(x) Bißher habe ich ihrer jährlich 5. oder 6. auff ſolche Weiſe der Catholiſchen Kirche einverleibet. *l. c. p. 85.*

(y) Bey dem Hoch-Amt hat ein teutſcher Jüngling das Lutherthum, eine Moſcowiterin aber den Griechiſchen Irrthum offentlich widerruffen. Nichts hat uns an dieſem hohen Feſt mehr erbaut, als die offentliche Glaubens-Bekanntnuß einer Ungerin, welche deſto länger und halsſtarriger ſich gewehret hatte, als mehrers ſie von ihrem Ehemann, ſo ein Calviniſcher Prædicant in Ungarn iſt, in der Ketzerey ware geſteifft worden. Derhalben ward ſie von ihren Glaubens-Genoſſen, der es zu Bagſchari eine Menge hat, als eine Heldin in Ehren gehalten. *&c. l. c. p. 88.*

actis in cauſa captivorum eadem in *epiſtola* legitur. (z) De cetero nec illud ingens prodigium eſt, quod Aula Tartarica Sacerdo-

(z) Ich weiß nicht, wie der Ruff ſolcher Bekehrungen biß nach Bender geflogen ſeye: wohl aber, daß ein Schwediſcher mit Geld und Troß ſtattlich verſehener Prædicant nach Bagſchari gekommen, um diejenige, wie er läſterte, ſo ich verkehrt hatte, zu der Augſpurgiſchen Confeſſion zuruck zuführen, die übrige Lutheraner aber bey ihrem Glauben zu erhalten. Nachdem er aber geſehen, daß er weder mit Geld, noch mit Zuſpruch bey dieſen armen Leuten, auch ſo gar bey ſeinen lieben Schweden ſeinen Entzweck nicht erreichen würde, lieſſe er den Tartar-Hahn warnen, ich handelte wider des Mahomets Geſetz, vermög deſſen man jedermann bey ſeinem Glauben laſſen, noch die Chriſten von einer Secte zu der andern verleiten ſollte. Herr D. Ferrand, welcher den Han würcklich an einer Fiſtel curirte, hat mich deſſen eilfertig berichtet, worauf ich aber geantwortet, daß mein Beginnen dem Alcoran nicht zuwider wäre; angeſehen ich in Krimland keinen neuen Glauben einführe, ſondern nur die Lutheraner zu dem Alt-Fränckiſchen Glauben zuruck weiſe, von welchem ſie aus ſträflichem Muthwillen abgewichen wären. Der Han lieſſe ihm meinen Beſcheid dermaſſen gefallen, daß er dem Prædicanten hat ſagen laſſen, der Fränckiſche Prieſter hätte von

cerdotibus R. Catholicis hujuſmodi Miſſionis inſtituendæ veniam dederit. De religione aliorum, ſuorum maxime mancipiorum, ſolliciti non ſunt. Hæc ſervari, nutriri, augeri, absque ſuo ſumtu vel injuria, ex ipſorum re eſt & commodo, ut prorſus ex rationibus Status in illas partes propendere non poſſint tantum, ſed etiam debeant. Nihil eſt in hac agendi ratione, quod ſingularem Cœli favorem in Romanam

---

ihm ausdrücklichen Befehl die Sclaven in dem Gebett zu unterrichten, derentwegen er ſich nicht ſolte unterſtehen ihm deßhalben das geringſte in den Weg zu legen. V. l. c. p. 85. 86. Non dicam, nihil ſimile contigiſſe: nimis enim eſſet impudens talia prorſus confingere. Rem vero ſic geſtam eſſe quis crediderit? Absque Regis Sueciæ mandato aut permiſſione nihil horum ne geri quidem potuit. Generoſiſſimum hunc Regem non aliis mandatis, mediisque dignitati ſuæ convenientibus, uſum fuiſſe, inaniſſima fabula eſt, quæ vel ex ipſo relationis, ſibi nullibi cohærentis, tenore ſatis poteſt intelligi. Ipſe Miſſionarius ſcripſit, ex tam ingenti Lutheranorum numero quotannis 5. vel 6. converti. An ergo Theologus a Rege in Aula Turcica honorato ablegatus ob hunc manipulum apoſtatarum abſtinere coactus eſt a reliqua multitudine confirmanda, docenda, & excitanda? Judicet ipſe Lector candidus.

nam doceat Eccleſiam, eamque partem religionis, quæ ipſi propria eſt, divino tanquam præſidio corroboret.

De Statu præſente Miſſionum Congitanarum ex avthenticis monumentis multa diſcimus, quæ absque his teſtibus ne per ſomnium quidem veniſſent in mentem Proteſtantium. Quid, quæſo, ipſi cogitabunt cordati Catholici, dum legunt, tot gloriationes de propagato ad integra regna Evangelio Chriſti effundi, in quibus tamen poſt ipſam Chriſtiani nominis profeſſionem cum miſeris & mutilis omni ex parte religionis Chriſtianæ rudimentis, iiſque ut plurimum externis tantum, ſtupidiſſimus ac malitioſiſſimus, ipſis Miſſionariis fatentibus, Gentiliſmus conjungitur? Quid præſtabunt in tam amplis provinciis unus & alter Miſſionarius, qui ne quidem ſuam ibi ſedem figunt, atque inter hos Neophytos habitant, ſed eas tantum ut hoſpites luſtrant & pervagantur temporaria hypocriſi & obſequio in operibus operatis horario, ipſa cogente neceſſitate, contenti? Nulla ſolida in doctrina religionis Chriſtianæ deprehenditur inſtitutio; Ne quidem ad præcepta honeſtatis, rationis, & ſocietatis humanæ, quod tamen alibi

alibi faciunt Miſſionarii, in his locis primum & gradatim iſti formantur populi: tantum abeſt, ut in tam horrenda ac ferina barbarie religionem Chriſtianam vel intelligere posſint, vel, quod magis eſt, exercere, unde non modo Patres Societatis ipſi jam pridem eas reliquerunt Miſſiones tanquam deſperatas; ſed idem hodieque facerent Capucini, niſi vel nudum Miſſionum nomen & ſchema Romanæ Eccleſiæ crederent eſſe honorificum. Conſideret lector vel ſolas illas inanitates operoſisſimas, quas in confesſionibus audiendis manipulus ille Sacerdotum R. Catholicorum cumulare ſolet. Non quidem abs re eſt, quod hoc medio diſcant extrema earum gentium ſcelera; Sed quid juvat hæc ſcire, dum illis ſecundum religionis Chriſtianæ regulas corrigendis nec pares ſunt autoritate, nec aliis ex rationibus idonei? Sunt præterea confesſiones iſtæ & abſolutiones mera ſacrilegia, dum ipſi fatentur, & longa ipſis conſtitit experientia, non ut DEO placeant, ut vitia ac ſcelera emendent ſua, ſed unice in Misſionariorum gratiam & ex metu Europæorum iſta fieri omnia. Quam ridiculum quoque eſt, miſeros hos homines, carnibus ne quidem

ex ordinario vitæ genere adſuetos, ad ſolennem apud R. Catholicos ex præcepto Eccleſiæ abſtinentiam tanta religione adſtringere, ut illi quoque Sacramentalis materiam confeſſionis adeſſe exiſtiment, ſi forte mures aut ſimilia, quod nonnunquam contingit, ederint animalia! Taceo, ut ſublato concubinatu, & promiſcua libidine abrogata, ad monogamiam adducerentur, fuſtibus ac verberibus non raro opus fuiſſe, quorum & aliis in caſibus apud Miſſionarios ſat frequens uſus eſt: nonnunquam etiam ſponte ſua gamicis legibus eos ſe ſubmittere, ut ſtanneos aut æreos annulos, Neogamorum digitis Sacerdotali in copulatione inſeri ſolitos, lucrentur; quod poſterius lenocinium priore illo, quod modo diximus, haud paulo honeſtius ac tolerabilius eſt. Denique ex innumeris aliis id unum liceat clauſulæ loco adjicere, eos, qui apud populos iſtos eminent (eſt autem illa dignitas longe miſerrima) in baptiſmo a Miſſionariis impetrando hoc maxime operæ pretium quærere, ut ipſis more Hiſpanorum vel Luſitanorum nomina honorifica: Don Franceſco, Don Petro, Donna Anna &c. poſtea adſumere liceat.

(a)

(a) Ex his omnibus de fatis harum Miſſionum ſive præteritis, ſive futuris, judicium ferre, longe facillimum eſt.

Ad extremum de fatis Marianarum Inſularum, (b) Sinis & Japonibus vicinarum, ſatis adhuc recentibus placet nonnulla commemorare. Primum eorum Apoſtolum Didacum Ludovicum a S. Victore nominant Societatis Commentarii hactenus nobis citati. Tanta ipſius in his Miſſionibus obeundis ſtatim ab initio prædicatur felicitas, ut in 13. hujus nominis Inſulis brevi tempore 30000, incolas baptizaverit, quorum

(a) Nihil eſt hactenus a nobis dictum, quod non diſerte ac ſæpius in ANTONII ZUCCHELLI, Capucini quondam in his regionibus Miſſionarii, *Itinerario* ſupra citato occurrat, ad quod proinde Lectorem noſtrum ablegamus, mirati ceteroquin, tales Commentarios R. E. Miſſionibus in multis haud honorificos luci permitti publicæ, cum alias pro gloria ſua tam delicatos & vigilantes ſe præbere ſoleant.

(b) Nomen Marianum has Inſulas non a B. Virgine, ſed a Maria Anna Auſtriaca, Phil. IV. Regis Hiſpaniæ Conjuge, Carolique II. Matre, ampliſſimis Legatis ac beneficiis hanc Miſſionem fundante ſuſtentanteque accepiſſe, Joſeph Bonani nos admonet in *ep.* ad P. Pettinatum ex Rota Inſula A. 1719. perſcripta *Collect. cit. Part. VII. p. 3.*

rum plurimi, quia & aliâs lotiones gens iſta amat, & baptizatus quisque novam veſtem cum roſario vitreo accepit muneris loco, ſæpius, inſcio quidem ob tantam multitudinem ſacerdote, eandem repetiere ceremoniam. (c) Poſt præcipitata illa & immatura principia multæ ſeditiones ac bella ſecuta ſunt, in quibus aliquot ex primis illis Miſſionariis partim in tumultu, partim ſicariorum manu occubuerunt. Memorabile eſt, quod, teſte Hiſtoria, P. a S. Victore ob baptiſmum abſente Patre barbaro infanti cuidam illius impertitum, quem ille huic lethalem fore timebat, trucidatus ſit; ut adeo ex hoc quoque ſpecimine tumultuaria iſtorum Virorum agendi ratio luculenter appareat. Falſum enim eſt, invitis ac inſciis Parentibus gentilibus mero Baptiſmi opere operato adverſus eorum infantes utendum eſſe. (d) De cetero ex recentioribus diſcimus monumentis, hoc ipſo, quod nunc decurrit, ſeculo vix adhuc ſupereſſe in omnibus his Inſulis quinque incolarum millia, cum plus quinque myriades eorum numerus olim expleverit. Cauſæ hujus

(c) *Collect, cit. Part. I. p. 7.*
(d) *ibid. Part. VII. p. 3.*

hujus excidii fuerunt jugum Hiſpanorum ipſis prorſus intolerabile: tumultus inteſtini & pugnæ cum Hiſpanis: morbi deniqueEpidemici, quos, quaſi per parodiam, atque ſecundum analogiam *C. XI. l. ep. ad Corinthios*, abuſui hypocritico S. epuli, retentisque a magna gentis parte artibusmagicis & necromanticis Sacerdotes Miſſionarii adſcripſerunt. (e) Quousque tam diuturnis laboribus religio-

(e) Fünfftens hat eine gewiſſe Seuche eine unzehliche Schaar Marianer A. 1709. und 1710. durch eine noch auf dieſe Stund unergründete Kranckheit aufgerieben, wann nicht vielleicht der Unglauben und Mißbrauch göttlicher Sacramenten, wie ehedeſſen bey den Corinthern, Urſach daran iſt. Dann gleichwie dieſe Corinthier, alſo auch die Marianer ſich zwar äuſſerlich als eyfrige Chriſten angeſtellt, und das H. Altar-Sacrament öffters genoſſen: aber erſt vor wenig Jahren hat man ihnen endlich die Larven abgeriſſen, und den Deckmantel, unter welchen ſie ihre Schalckheit verhüllet, aufgehoben, hiemit aber handgreiflich entdeckt, daß ſie Macahna oder Zauberiſche Seelen-Verehrer ſeyen, als bey welchen viel abergläubiſches Zauberzeug iſt gefunden worden. . Ich habe letztverwichene Oſtern mich der Thräneu ntcht enthalten können, als um eben die Zeit, da in Europa alle Chriſtglaubige beichten und communiciren,

ligionem Chriſtianam apud pleroſque hi ipſi provexerint Miſſionarii, propria, nî fallor, eorum confeſſio indicat; ſcribunt enim, nomina & vocabula rerum ſpiritualium ſe coactos fuiſſe ex idomate Hiſpanico depromere: hæc incolas Marianos facile quidem ediſcere, nec tamen vere capere atque intelligere, cum rerum divinarum exi-

ich auf meiner geſamten Inſel kaum 10. Communicanten gezehlet, auch dieſen den Leib Chriſti nicht anders als mit Furcht und Zittern gereicht habe, nur damit ſolche Oeſterliche Andacht nicht völlig ſollte ins Stecken gerathen. *l. c. P. VII. p. 7.* Quodſi Hiſpani Aurum & argentum in his Inſulis inveniſſent, eſſent ſane illæ cultiores, & feliciora harum Miſſionum fata, quod ad externum earum habitum attinet. De cetero enim eadem ubique methodus regnat. Optimus illius ſucceſſus hic eſt: GOtt hat auch mein Beginnen ſo reichlich geſeegnet, daß die Kinder nun ohne Scheu von Glaubens-Sachen auferbaulich ſprechen, und ihre Eltern in die Schul führen können: Das Weyhwaſſer, aus welchem ſie bißher ein Geſpött gemacht, jetzt alle Wochen fleißig nach Hauß tragen, und allda bewahren: Die Bilder der Heiligen von mir begehren, und andächtig verehren: denenſelben Altärlein bauen, und vor ſolchen Tag und Abends geiſtliche Lieder, ſo ich ihnen aufgeſetzt habe, andächtig ſingen. *Part. IIX. p. 2.*

exiguam admodum curam habeant, licet vix ullus eorum ſit, qui Catechiſmum ſuum memoria non teneat. (f) Quod eo magis mirum eſt, ſi perpendimus, quod noviſſima ex his regionibus *Relatione citata Collectionis Part.IX.* inſerta docemur, ſc. hos populos Majoribus ſuis quondam audiviſſe: cœlum bonam eſſe regionem, domum lætitiæ ac deliciarum. Eo hominibus eſſe eundum properandumque, ut ibi in perpetuum tandem liceat habitare. (g)

Hucusque favente Veſtra, A. H. patientia & humanitate Præfationem noſtram proveximus. At tranſeundum nobis nunc eſt ad partem Illuſtris hujus Panegyris præcipuam. Eo nim. fine in locum hunc publicum confluximus, ut ſummi in Theologia honores Candidato Digniſſimo conſueto ritu ac ſolennitate conferantur, ceterisque Ejus dignitatibus ornamenta quoque Doctoralia hodie accedant. Eſt Is Vir Maxime Reverendus, Ampliſſimus, atque Excellentiſſimus, Dn. CHRISTANUS HAGMAIER, SS. Theologiæ inter nos Profeſſor P. Extraordinarius, Illuſtris Stipendii

(f) *Part.VII. p. 8.*
(g) *Part. IX. p. 2.*

pendii Theologici Superattendens, & in templo noſtro primario Eccleſiaſtes longe meritiſſimus, Fautor & Collega noſter Honoratiſſimus; cui, cum nihil Ipſi deſit earum dotium & virtutum, quibus hæc publicæ exiſtimationis ſymbola deſtinantur: cum etiam legibus per Ipſum abundantisſime fuerit ſatisfactum, Facultas noſtra hos ipſos honores quam lubentiſſime decrevit, & nunc mea voce manuque inter plauſus & congratulationes veſtras ipſo quoque opere impertiet.

Cum vero ad id perficiendum ſuperiore venia & poteſtate opus ſit, eaque in Te, Vir Magnifice, Summe Reverende atque Excellentisſime, DN̄E CHRISTOPHORE MATTHÆE PFAFFI, Sacri Palatii Cæſarei Comes, ac Serenisſimi Würtembergiæ Ducis Conſiliarie: SS. Theol. Doctor & Profeſſor primarie longe Celeberrime, Eberhardinæ noſtæ Cancellarie Reverendisſime, Fautor & Patrone Colendiſſime, in Te, inquam, reſideat, non erit Tibi grave & moleſtum, ſi ea, qua par eſt, reverentia ad Te nos jam convertentes, majorem in modum abs Te petamus, Velis pro autoritate, qua fungeris, publica, ab ipſis Imperatoribus conceſſa & confirmata, mihi

ad

ad hunc Actum legitime conſtituto Promotori facultatem benevolentiſſime concedere, Digniſſimum Dn. Candidatum, quem jam ſatis ſuperque ex meritis ſuis Tibi cognitum præſentem denuo ſiſtimus, Doctorem Theologiæ ſolenni ritu creandi renuntiandique. Nulli dubitamus, quin hunc ipſum favorem ex Te, Vir Reverendiſſime, eo certius ſperare liceat, quo magis Academiæ noſtræ honor curæ cordique Tibi eſt, & quo illuſtrior portio ad Te ipſum, qui Ordinis noſtri præcipua pars, Decus & Ornamentum es, inde redundabit.

* * * * * *

Quam nobis veniam, Reverendiſſime Domine Cancellarie, humaniſſima Oratione indulſiſti, eam debita cum veneratione cultuque jure merito nunc excipimus, ac pro inſigni hoc beneficio obſequioſas quam maxime Tibi referimus gratias, quas tunc demum nos ex voto noſtro retuliſſe exiſtimabimus, cum Te, Vir Reverendiſſime, in ſplendidiſſima Tua Dignitate & Familia bonis omnibus divinitus auctum, beatum, ſalvum & incolumem quam diutiſſime videre & experiri licuerit.

Nihil

*** ***

Nihil ergo nos ultra impedit, quo minus data nobis venia ex more utamur, niſi quod leges jubeant Capita juramenti ſolennis & conſueti, cui ſe Maxime Reverendus Dn. Candidatus obſtringere haud gravabitur, publice prius prælegere, quod jam præſtabit Nobiliſſimus Dn. Lic. Schmalckalderus.

*** ***

Quod itaque Divino Nomini glorioſum, Ordini noſtro totique Academiæ honorificum, felix fauſtumque ſit: Ego CHRISTIANUS EBERHARDUS WEISMANN SS. Theologiæ Doctor ac Profeſſor Publicus Ordinarius, Facultatis Theologicæ p. t. Pro Decanus, atque ad hunc Actum legitime conſtitutus Promotor Te Dn. Chriſtianum Hagmaierum, Profeſſorem Theologiæ publicum in hoc Ordine noſtro Doctorem ſolenniter creo, renuntio, & proclamo, talemque ab omnibus haberi Volo, jubeo, mando, omnesque ſimul immunitates, prærogativas, & privilegia Doctoralia Tibi concedo & confero, invocato inter hæc ſolennia nomine SS. & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſtu-

Poſtulant autem leges, ut ſolitis quoque ritibus ac ceremoniis, quas non ſine ratione noſtri adjunxerunt Majores, totum hunc Actum noſtrum condecoremus & obſignemus. Age igitur, Vir maxime Reverende, atque ad ſuperiorem hanc cathedram propius nunc accede.

* * * * * *

Ante omnia pileum ſ. mitram Tuo impono Capiti, quod, cum alias libertatem juſtam & legitimam ſignificare ſoleat, ita nunc interpretor, ut Deus ipſe, in Tuo quoque docendi munere, perenni ſua gratia, potentiſſimoque præſidio ſit maneatque decus & tegumentum Tui Capitis.

Annulum offero, Tuisque digitis inſero, ut recorderis, nova & inſigni eruditionem ac virtutem Tuam ornari dignitate,&,quod majus eſt, annuli inſtar ſigillatorii Te fore in Dei dextera, ſi Domino, cui ſervis, Te porro fidelem præſtare perrexeris.

Porro librum Tibi trado apertum, ne Te Doctorem quoque pudeat alienis frui donis, &, quæ Deus in ceteros contulit Chariſmata, in Tuos uſus humilitate ſancta convertere.

Denique eundem librum clauſum Tibi reſtituo, quia inſigne Doctoris Evangelici privilegium eſt divinæ legis ſcientiam cordi magis, quam libris chartisque, inſcriptam habere, & ex bono cordis theſauro ἔμψυχον Βιβλιοθήκην, divino ſenſu, efficere.

⁂ ⁂

Unum jam noſtra ex parte ſupereſt, quod cum voluptate præſtamus. Primus nim. Maxime Reverende Domine Doctor, venerabili hoc nomine Te alloquor, Tibique de honoribus eo, qui Theologum decet, animo abs Te, ut credo, receptis animitus gratulor, eosque ut Deus T. O. M. multiplici ſua gratia perpetim ſanctificet, &, quod ipſi Tibi in votis eſt unice, in Academiæ noſtræ Eccleſiæque ſalutares uſus convertat, toto pectore opto ac voveo. Tibi vero ingratum haud erit propriis mentem Tuam explicare verbis, conſuetaque Oratione Evchariſtica finem exoptatum huic Panegyri imponere. Dixi.

ORA-

ORATIO TERTIA

De

Religionum, quem vocant, Indifferentiſmo,

abdicati

D. F. OO. S. S.

A. D. MDCCXXVII.

Rectoratus Academici tempore

publice recitata.

P. P.

DUarum maxime rerum hodierna Panegyris me admonet, de quibus ſi nonnulla pro more præfatus fuerim, ſpero fore, ne hoc quicquid eſt Vobis, AUDITORES HONORATISSIMI, diſpliceat. Semeſtre jam effluxit ſpatium, ex quo inſignia Magiſtratus Academici in hoc ipſo loco mihi tradidit Magnificus tum temporis Eberhardinæ noſtræ Rector, Conſultiſſimus quondam MAYERUS, nunc vero, quod lugens cogor adjicere, paucas ante ſeptimanas per fatalem & decretorium morbum Academiæ noſtræ ereptus. Tunc Ille cedebat loco, quem ſæpe ornaverat, cedebat dignitate, qua ipſum octava vice dignum Senatus cenſuit Academicus: cedebat denique onere, quod jam ante annos aliquot, cùm ſeptimum deponeret Rectora-

ctoratum, haud amplius in ſe devolutum iri ſperaverat, optaveratque. Nondum vero vel Ipſe vel nos eo tempore præſumſimus hanc cogitationem, tam prope adeſſe horam, qua Academia, Senatu, vita denique ipſa Viro meritiſſimo eſſet excedendum. At exceſſit tamen, Deo volente, nec invitus, imo non ſine magno exceſſit animo: Nosque per hoc funus Profeſſorem doctiſſimum, Senatorem aſſiduum, laborioſum Conſultorem, uno verbo, Virum cum titulo, tum re ipſa Excellentiſſimum cum dolore & luctu amiſimus. Ego vero, AUDITORES HONORATISSIMI, ſingulari ratione ad meam in Anteceſſorem Beatum pietatem pertinere exiſtimo, ut, cum hodie munus Rectoris hujus Academiæ relinquo, quod Vir Ampliſſimus ſua voce manuque in me contulit, paucis ad minimum verbis, at ſinceris tamen venerandam Ejus honorem memoriam, Ipſique animam in Domino quieſcentem, oſſa molliter cubantia, benedictum apud poſteros Nomen, familiam Divinæ Providentiæ commendatam, fructus denique quorumvis laborum perennes gratuler partim, partim apprecer ex animo. Ad me ipſum quod attinet, ſic ſemper (quod jam alias abs me

obſervatum memorabili hac occaſione nunc repetere liceat) ſic ſemper, inquam, divina hactenus Providentia in quibusvis fere Actibus & ſolennitatibus publicis ad me ſpectantibus a primo meo ad hanc Scholam acceſſu imaginem mortalitatis mihi obtulit, atque vel inter funera præſentia, vel exequiarum ſatis recentem memoriam, in hanc cathedram me deduxit. Quod jure merito eó interpretor, ſingulari curæ eſſe Domino, cui ſervio, ne unquam, etiam inter ſplendidas mortalitatis noſtræ umbras, etiam inter eruditas umbras, mea mihi meta, ſtadium meum, & peregrinatio humilis ad æternitatem animo excidat. Utinam hac quoque parte fidelis ſim maneamque Deo ac Servatori meo, cujus nomen ſit benedictum in ſecula!

Altera mihi de argumento Orationis meæ cura eſt. Video, dicendum mihi eſſe, ſed breviter: dicendum, ſed ſine tædio: dicendum; ſed utiliter. Sin omnes iſtas ſermonis virtutes aſſequi datum mihi non ſit, conandum tamen erit, ut primam illam, &, ſi fieri poſſit, poſtremam maxime conſequar. Hæc dum apud me ipſum meditabar, pro-

prope in mentem mihi venit ſcenica illa ſeculi noſtri modeſtia, quam ſæpe, tacitus ad minimum, ridere ſoleo. Illud cacoethes intelligo, quo multi hodie palliare ſuperbiam ſuam ſolent atque inverecundiam, dicendo, ſe Pygmæos Gigantum humeris inſiſtere, hoc eſt, ſe Majorum donis maximis utendo longius tamen, ſed eorum beneficio, & acutius proſpectare, quam ipſis illis eorum ætate obtigerat. Forte, qui id proverbium olim finxerunt, ex animo ac ſincere locuti ſunt. Quis vero dubitet, multos eorum, qui noſtra ætate hanc affectant ſententiam, nil niſi verba dare inania? Jnvertenda ſunt apud hoſce verba, & contrario ſenſu inflectenda, dicendumque potius, Pygmæorum humeris Gigantes inſiſtere. Sentiunt Pygmæi, ſive veri, ſive imaginarii, pondus horum gigantum, & ſeſquipedales eorum gradus, ut vel uno hoc experimento certum ſit, non a gigantibus ſuſtentari pygmæos, ſed Gigantes calcare Myrmidones, eosque longe majore cum contemtu adſpicere, quam id factum eſſe legitur in ludricis notiſſimi Theologi cujusdam Angli commentariis, quos hic nominare vix operæ pretium eſt. Cogitanti porro occurrit quæ-

ſtio haud contemnenda, quo ſenſu verum ſit, eos, qui in Republica vivunt literaria, in ſtatu naturali verſari, h. e. plenæ perfectæque æqualitatis ac libertatis jure frui? Poteſt id certo ſenſu verum eſſe, ſed ex mente eorum, qui noſtra ætate hoc floſculo abutuntur, inſulſum dicterium eſt. Noctuarum & veſpertilionum privilegium eſt, de nocte libere circumvolare, quod ipſis non licet, cum Sol lucet. Alio ſapientiore maturioreque ſeculo proſcriptus & exſibilatus jacuiſſet hujusmodi ſtatus naturalis, ſive, quod idem eſt, abſurda illa in Republica & Eccleſiaſtica Societate ordinis omnis atque decoris anarchica confuſio. Imo vero civitas Dei, hominum vere ſapientum civitas, non minus ſtatum hujusmodi naturalem (in quo vel ipſe titulus collatus cum re ipſa abſurdus eſt) excludit, quam per civitatem ſ. civilem ſocietatem eundem inter homines limitari, &, quatenus vitioſus & irregularis eſt, tolli etiam & ſanari, apud omnes in confeſſo eſt. Redire ad hujusmodi naturalem ſtatum in Societate ſapientum non minoris certe inſipientiæ negotium eſſet, quam ſi poſt tot ſecula culturæ

mun-

mundi ſocietatisque civilis ad barbariem & licentiam ævi vetuſtiſſimi hominibus nunc eſſet redeundum. Sed eſt mihi ratio non una, cur nunc iſta mihi malim excidere. His igitur ex animo in præſentia dimisſis, ſine multis ambagibus in dignius illud de Religionum, quem vocant, Indifferentiſmo, noſtra ætate mirum in modum, triſtiſſimoque fato, invaleſcente argumentum ſponte mea ac vicina ſatis cogitatione incidi, quod a plurimis Viris gravibus & eruditis docte licet illuſtratum fuerit, tam fœcundum tamen eſt ac dives, ut non facile exareſcat, tam grave & arduum, ut plus ſimplici vice, imo iterum iterumque repeti publice ac privatim, & fortiter inculcari mereatur. Id nunc breviter amplificandum mihi ſumo illuſtrandumque, noſtro quidem more, & pro noſtro ingenio. Vos vero, AUDITORES HONORATISSIMI, pro Veſtra humanitate & benevolentia, quam nemini negatis, mihi nunc permittite, ut ſine mora hoc ſtadium ingrediar, idque curſu non admodum prolixo emenſus deſiderio & expectationi Veſtræ præcipuæ more conſueto ac ſolenni ritu ſatisfaciam.

*** ***

DE religionum Indifferentiſmo ſi quis ſolide atque perſpicue docere voluerit, is hoc ante omnia agat neceſſe eſt, ut, quid hoc nomine intelligat? omnibus ac ſingulis, qui ipſum audiunt, ſit certum atque exploratum: Summa enim eſt, ut conſtat, hujus vocabuli ambiguitas, nec poteſt ab ullo homine perito negari, ingentem maſſam variorum conceptuum hoc titulo paſſim involvi, quos extricare & legitimis reſtituere ſenſibus magni ſæpe laboris ac longe moleſtiſſimi operis negotium eſt. Hi in deſcribendo Indifferentiſmo nimis craſſi: illi nimis ſubtiles ſunt. Alii has ideas nimium reſtringunt, alii nimium amplificant. Utrumque malo fieri poteſt animo: utrumque cum obſcuratione veritatis conjunctum eſt. Appellent igitur alii indifferentiſticum, vel indifferentiſmo vicinum, ſi quis de ſtatu præſente quarumvis Eccleſiarum Chriſtiani nominis, etiam Orthodoxarum, non adeo magnifice in omnibus, ut hi & illi faciunt, exiſtimet: ſi quis in ſuo de religione judicio animum a ſtudio partium alienum præ ſe ferat, vel jactare videatur: ſi vo-

lun-

luntatis emendationem potius, quam inſtitutionem intellectus, hac quidem nunquam penitus excluſa, urgeat; ſi nomina Eccleſiarum diſtinctiva & characteriſtica faſtidiat: ſi numerum articulorum fidei ultra modum amplificari ſibi perſuadeat. κ. τ. λ. Contra dicant alii, eos ſolos, Indifferentiſtæ ut habeantur, promereri, qui religionem Judaicam, Chriſtianam, Muhametanam & Ethnicam in eodem habent pretio, & Sacerdotes Chriſtianorum a Talaponibus, Bonziis, & Lamæis vix gradu aliquo patiuntur diſcerni. Dicant alii (inter quos Magnus ac celebris Vir his ipſis, quæ nunc enuntiamus, verbis utitur) illos demum indifferentiſmi in religione vere reos eſſe, qui apud Papiſtas Papiſtarum, apud reformatos Reformatorum, apud Lutheranos Lutheranorum, apud Socinianos Socinianorum &c. religionem profitentur. Nos præciſis, nec tamen ideo negatis, multis aliis noſtrum Indifferentiſtam, quem deſcribendum ac reprehendendum nobis quidem hoc loco proponimus, repræſentabimus tanquam hominem, qui licet divino religionis ſenſu vere non ſit affectus, imo nec a literali ejusdem ſcientia, quantum neceſſe eſt, inſtru-

ſtructus, aut gravium veritatis arduæ momentorum rite conſcius & peritus, nihilo tamen minus vel generali crudoque præjudicio, vel ex ſuperficiaria quarundam particularium notitiarum præſumtione graviſſimos quosque errores pro innoxiis habet, verum a falſo, purum ab impuro, neceſſarium ab inutili in religionis cauſa non diſcernit, plerasque omnes de religione controverſias contemnit, ſive quis hoc, ſive illud, ſive iſtud ſciat vel neſciat, ſentiat aut profiteatur, conſcientiæ & ſaluti ſuæ indifferens eſſe judicat, dum forte honeſte vivat, ſibique a vitiis & ſceleribus temperet. Dari hujusmodi Indifferentiſtas, & magno quidem dari numero ac pondere, ſalva veritate, imo ſalva verecundia, negari non poteſt. Nec dubitem affirmare, hanc ſcabiem omnes propemodum aulas, curias, ſcholas, ſocietates denique doctorum & indoctorum longe lateque invaſiſſe.

Si natales quæramus hujus mali, utique non valde difficile eſt Βίβλον γενέσεως hujus partus conficere. Aliquas ejus rei cauſas in ipſa jam definitione inſinuavimus. Sunt illæ vel internæ, quæ in ipſo hominis animo ex corruptione propria reſident; vel

vel externæ varii generis, quæ concipiendis deinceps atque excludendis hiſce ſeminibus anſam præbent infelicem atque multiplicem. Inter internas haud poſtrema eſt vel cruda impietas, vel frigida ſaltem & negligens irreligioſitas, quæ cum ſtupendum in modum noſtra invaluerit ætate, ac vere ubique conjuncta ſit cum peſte Indifferentiſmi, non ſane colligimus inſipienter, non contemporanea ſolum eſſe hæc mala, ſed etiam fontis ac rivuli, cauſæ & effectus cognatam inter ſe habere relationem. Qui ſubſtantiam ſeu medullam religionis contemnit ac negligit, in quo pretio is habebit religionis ſurculos vel paululum remotiores, quos absque radicis damno libere amputari poſſe, ſibi perſuadebit facillime? Cui curæ non eſt, cognoſcere divinas veritates hoc animo, ut Deum ſincere colat, pie timeat, eique in fide ac bonæ conſcientiæ ſuæ ſtudio vere placeat, quid valebunt in ipſius frigidiſſimum pectus multæ aliæ rationes minores, quamvis per ſe minime contemnendæ? Si quærenda poſthac ſit veritas ac decenter libranda, obſtabit apud hunc tædium laboris & operæ, apud alium diverſum a ſtudio veræ religionis accurato vitæ genus,

nus, apud iſtum ſuperbia, quæ hanc partem ſapientiæ tanquam abjectam nimis & nonniſi a vilibus excultam hominibus repudiat. Hi prætextus, licet inanes ac falſi, ſuffocare tamen re ipſa ſolent juſtum atque exactum religionis ſtudium, ſi a corde hominum abſit vis religionis ac divina in ipſorum cordibus efficacia. Ex neglecta autem religionis cura cum impietate conjuncta Indifferentiſmus certo generatur certius, ut proinde infallibilis ipſi conſtitui poſſit horoſcopus. Negari interim non poteſt, ex pietate quoque ſpuria aliquam ſæpe naſci indifferentiſmi ſpeciem, cujus abortus vix ullo alio, quam noſtro, tempore tam copioſa extitere ſpecimina, atque exempla longe triſtiſſima. Pietatis eſſe videtur, haud nimis ſeverum notitiæ atque cognitionis exactorem ſe præbere. At ſpuria eſt ea pietas cæca, quæ vel ſibi, vel aliis, privilegium ignorantiæ largitur invito DEO. Speciem habet pietatis, abſtinere a cenſura ac damnatione ſui proximi. Sed ſpuria pietas eſt, quæ poteſtatem ſibi arrogat parcendi rebus & perſonis, quibus Deum hanc veniam indulgere, nequaquam probari poteſt. Sc. illi non raro abſurda injuſtaque miſericordia ad exemplum

plum Sauli Agagum Amalekitam abſolvunt, quem Sacerdos Samuel divina autoritate & lege ferire tenetur. Speciem habet pietatis, urgere facta potius, quam verba, cordis magis innocentiam, quam oris confeſſionem. Sed ſpuria pietas eſt, quæ negligit veritatem, & ne practice quidem vera, dum veritatem ſanctioris doctrinæ tanto cum frigore patitur in falſitatem converti atque mendacium. Ad cauſas externas, quæ procreant atque augent peſtem Indifferentiſticam, pertinent ſymptomata Reipublicæ & Eccleſiæ quam plurima; Studium carnalium commodorum in ſocietate civili prædominans: magna Eccleſiarum Chriſtiani nominis in ingenti corruptione ſimilitudo atque æqualitas; Frigida & ſterilis ſine convictione & virtute divina rerum divinarum notitia; exaggerationes Theologicæ doctrinarum & errorum ſæpe in mendacio deprehenſæ; univerſalis prope ſeculi noſtri erga Theologos eorumque judicia de rebus religionis diffidentia: Summa ſeipſum in materia religionis, atque inter medios errores, abſolvendi neceſſitas, quæ efficit, ut & aliis ſui ſimilibus pari facilitate indulgeant; Superficiaria noſtri ſeculi de rebus ad ven-

trem

trem haud ſpectantibus judicandi conſue-tudo: abſurda & improvida itinera; errantium virtutes politicæ artesque ſe per varia inſinuandi lenocinia: abuſus moderationis atque æquitatis Virorum cordatorum ad exemplum longe diſſimillimum, mentisque eorum genuinæ imitationem plane contrariam atque omni ex parte ſpuriam: falſæ denique aut ad minimum æquivocæ nimis Indifferentiſmi ſpecies, quas dum nimis liberaliter, ac præterea cum invidia injuriaque innocentium, nonnulli multiplicant, alii vero ſolide ac ſpecioſe refellunt, atque a ſe rejiciunt, evenit certe, ut veri quoque & noxii Indifferentiſtæ, arte quidem illaudabili, hoc præſidio tuti eſſe velint, & paria contra imputationes aliâs in ſe juſtiſſimas excipiant. Quod Viri quidam Docti ſerpentem Deiſmum, vel Atheiſmum quoque, inter origines & principia Indifferentiſmi apud Chriſtianos creſcentis retulerunt, abs re quidem non eſt: ſed ab hoc inſtituto noſtro alienum, ut eos fontes hic a nobis omiſſos eſſe, nemo mirari debeat.

Tanto major adeſt neceſſitas ſollicite & religioſe inquirendi, quid ſapientia, quid recta ratio, quid amor ſalutis publicæ pri-

vatæ-

vatæque armorum ac remediorum adverſus hoc malum in promtu habeat? Primum igitur clariſſimum eſt, hujusmodi indifferentiam in religione cum amore, cultu, & examine veritatis divinitus revelatæ e diametro pugnare. Nos ipſi non diu abhinc in *Diſſertatione* noſtra *de quæſtione ardua: an & quibus conditionibus cuique liceat, vel non liceat, de rebus religionis judicare?* quam proxima occaſione auctam communitamque, ut par eſt, ac neceſſe, in lucem edemus publicam, copioſis confertisque Sacræ Scripturæ teſtimoniis confirmavimus, nolle Dominum, ut Chriſtianorum fides ſit cæca aut vaga credulitas; quin potius velle, ut parata cuique a ſe neceſſaria gratia omnes rite utantur atque legitime ad cognitionem ſolidam, ſalutarem, & neceſſariam veritatum, ad notitiam cultumque Dei in Verbo ejus præſcriptum pertinentium, acquirendam, conſervandam, & augendam. Supponamus jam, hæc vera eſſe, (uti ſunt verisſima) Quis non inde intelligit, fieri non poſſe, ut gravi culpa careant affectata veritatis ignorantia, ejus, quamvis vel plane non, vel levisſime tantum cognitæ, contemtus, omnisque ratio ſentiendi agendique in cauſa

religionis tam miſeris ac lubricis fundamentis temere ſuperſtructa? Hunc ne in finem clementiſſimum Numen ex ipſo ſinu ſuo per ſanctisſimos atque ad tantum negotium ab ipſo Dei Spiritu præparatos homines, imo per ipſum Filium ſuum totam veritatis ſalutiferæ plenitudinem patefecerit, ut nobis integrum eſſet & impune eas non quærere, non diſcere, non æſtimare denique & ſervare tanquam pretioſisſimum depoſitum, quod humano generi, imo plus dico, populo & peculio Dei concreditum eſt? Hoccine eſt ſibi cavere a Spiritu erroris, a falſis Doctoribus, a cæcis Ducibus, ab efficacia erroris, a peccatis inſipientiæ & ignorantiæ voluntariæ, a delictis ſervorum voluntatem Domini cum affectate neſcientium, tum, ſi ſciunt, variis prætextibus negligentium atque violantium? Lucem & tenebras, Chriſtum & Belialem, calidum & frigidum æquali jure & pari ſucceſſu conciliari poſſe, atque hanc veritatis & erroris indifferentiam, certo certius, ac longe veriſſimum eſt.

Deinde ad mentem revocare par eſt, qua via, quibus de cauſis, quo animi ſtatu, quonam cordis habitu plerique homines in eum, quem diximus, Indifferentiſ-

tiſmum prolabi ſoleant. Si *cui deeſt ſapientia*, isque a Deo eam *poſtulat*, illi certe hoc donum a *Deo, qui id omnibus largitur benigniſſime*, promiſſum eſt. (a) Unde ſponte conſequitur, omnem eum, qui ſapientia vera & cœleſti caret, vel non petiiſſe illam, vel obliquo & malo animo petiiſſe; Neutrum horum coram Deo & conſcientia innocens aut indifferens eſt. S*i quis*, propria hæc ſunt Salvatoris noſtri verba, *ejus, qui miſit me, voluntatem exequi voluerit, cognoſcet ſane de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar*? (b) Patet ergo, ex hac Chriſti regula eum, qui doctrinam Domini ignorat & contemnit, nullum voluntatis divinæ ſerio ac ſincere implendæ propoſitum habuiſſe, quo vitio nihil turpius, nihil ſaluti humanæ hoſtilius dici aut cogitari poteſt. Et quinam illi tandem ſunt, qui in iſtam Indifferentiſmi voraginem ſeipſos majore vel minore gradu agunt præcipites? Vix tutum eſt omni loco & tempore ad hanc quæſtionem reſpondere. Licebit autem heic dicere, quod res eſt. Rudes & ignaros

(a) *Jac. I. 5.*
(b) *Joh. VII. 17.*

ros homines non curare diſcrimen veritatis & erroris, mirum non eſt. Hos vero laudare & innocentes declarare nemo præter rabulas audebit. Eos, qui ex ignavia, voluptate, otio & diſtractione in volutabra carnis & ſanguinis non guſtant veritatem divinam, nauſeabundo & frigido erga hanc animo eſſe, vel, ſi hoc nolint fateri, tantum temporis nolle ſuffurari, ut in veritatem ſe penetrent, rurſus mirum non eſt. Omnes autem pudet fateri, hoc vitium in cauſa eſſe, quo minus divinam & neceſſariam ac ſalutarem agnoſcant veritatem. Seipſos igitur damnant, qui hoc animo ſunt, & vere exiſtunt αὐτοκατάκριτοι. Sunt vero alii, qui non ſine examine & cognitione cauſæ eousque volunt videri procedere. Sed juſta adverſus hanc Indifferentiſtarum ſpeciem actio multis titulis poteſt inſtitui. Sæpe falſum eſt, eos vel in limine ſtetiſſe ullius examinis religioſi & ſolidi. Scioli ſæpe ſunt otioſi & omni glacie frigidiores, quorum nuditatem vel perfunctorium examen, ſiquidem huic obnoxii eſſent, in lucem evidentiſſimam protraheret. Deinde ſi demonſtrare poſſint, ſe aliquid ejus rei compertum habere, quantula portio hæc eſt cauſæ integræ, ex qua

ſola

ſola judicium ferendum eſt in minoribus negotiis? quidni & in ſummis & maximis, ut ſunt ejus generis divina & cœleſtis veritas, & quicquid ab ea in tempore atque in æternitate dependet? Porro de regula diſpiciendum jactati examinis. Hæc regula Verbum Dei eſt legitime intellectum atque expoſitum. Si de tota ſerie divinarum veritatum, quæ in ſanctiſſimis his tabulis deſcriptæ ſunt, ferendum ſit judicium *κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως* (quocunque hæc verba ex interpretum ſenſu trahantur, mihi nunc perinde eſt) exercitatos & *δυνατοὺς ἐν ταῖς γραφαῖς* ſenſus requiri, extra omnem controverſiam poſitum eſt. Hos plerique Indifferentiſtarum nulla cum ſpecie ſibi vindicare poſſunt: certumque inſuper eſt, eorum plurimos ne populari quidem cum diligentia Sacras unquam legiſſe Scripturas. Tantum abeſt, ut vel divinam & ſpiritualem, vel humanam & acquiſitam legitimo labore eruditionem ſibi poſſint arrogare. Plura dicerem de hoc titulo, niſi aliis adhuc rationibus eſſet utendum. Nec tamen diffiteor, doctos quoque Indifferentiſtas in hac arena comparere; Sed & iſti, quod, ſi opus eſſet, viritim ex parte ac nominatim oſtendi poteſt, ſemper ha-

ctenus in fronte geſſerunt ſuum characterem, & propius inſpecti leves inventi ſunt. Nec tamen hic nobis, noſtriſque verbis, ſed Deo ejusque teſtimonio credi poſtulamus.

Non parum autem in fide his rationibus noſtris exhibenda confirmabitur, qui prudenter conſideraverit, quam fœda & indigna homine ſapiente & Chriſtiano vitia in uno hoc mentis Indifferentiſtica labe affectæ ſtatu concurrant. In tanti momenti negotio temere quidquam negligere ſocordia eſt. Obvium quodque in tam gravi cauſa arripere, vecors credulitas eſt. De rebus haud rite cognitis exploratisque judicare, & decretorie quidem judicare, ſumma temeritas eſt. Non ſeipſum modo, ſed & alios quoque, & quidem non raro plurimos, in periculum animæ adducere, pernicioſiſſimum omni ex parte ſcandalum eſt. Si Deo non creditur, perit fides: ſi juſta & vera docens homo non auditur, abeſt docilitas: ſi proximi nulla habetur ratio, læditur charitas: ſi tam debili fulcro ſalus innititur æterna, ſpes & fiducia in divino judicio valitura extinguitur. Cumque alias ſummus hominis Chriſtiani theſaurus bona ſit & læta conſcientia, nihil ſane eorum,

quæ

quæ hanc labefactare poſſunt & corrumpere, ab infelici abeſt Indifferentiſmo, in quem juſta indignatione invehimur. Cum is modeſtiſſimus eſt, in ſcrupuloſam conſcientiam degenerat, multorum certe errorum matrem longe fœcundiſſimam. Ubi contrario vitio impudens factus eſt, non procul abeſt cauteriata & impudens conſcientia. Ea ex parte, qua plerumque Indifferentiſtæ incerti fluctuant, & problematice diſputant de tota religione, omnis eorum conſcientia nonniſi dubia, incerta, & in perpetuis fluctibus natans eſſe poteſt. Addi debent peccata contra modeſtiam, quam Indifferentiſtæ prorſus negligunt in temerariis ſuis judiciis: contra juſtitiam, dum erroribus eadem prope privilegia, quæ veritatem comitantur, attribuunt: contra Zelum & fervorem, qui omne malum animæ & ſaluti contrarium repellere docet; is enim in eo ſtatu animi plane langueſcit, & nonnunquam prorſus emoritur: contra reverentiam denique & ſubjectionem divinis juribus debitam, quæ ſalva eſſe non poteſt dominante Indiffe-rentiſmo, qui damnat ſæpiſſime, quod Deus abſolvit, & contra abſolvit temere, quos divina ſententia exemtos eſſe nonniſi

ipſe

ipſe Deus novit Omniſcius. Percurramus porro breviſſime præcipua vitæ ſpiritualis ac ſtatus gratiæ beneficia, atque exinde quoque deducamus, annon veritatis ſalutaris vilipendium ac negligentia hominem Indifferentiſmo corruptum iſtis privet omnibus? Qui ne literæ quidem veritatum divinarum cupidus eſt, qua ſpecie de eo ſperabitur, eum idoneum eſſe, qui in Schola Sancti Spiritus divina illuminatione de iisdem edoceatur? Procul igitur abeſt ab illuminationis via, quæ ſalutis Chriſtianæ initium eſt. Neceſſariam porro converſionem ad Deum eſſe, vel elementa ſanctæ religionis noſtræ confirmant. Vera autem converſio transfert hominem a tenebris ad lucem, ab ignorantia ad cognitionem cultumque Dei vivi, a ſtultitia ad ſapientiam, a mendacio ad veritatem, Hæc ſi curæ non ſunt Indifferentiſtæ, quo jure ſe converſum dicet aut Chriſtianum? Neque eidem aditus patebit ad veram coram Deo juſtitiam: præterquam enim, quod ex iſto ordine quam plurimi dogmatice quoque irrideant ſanctiſſimam noſtrarum Eccleſiarum, imo Scripturæ ipſius, de juſtitia fidei doctrinam, certe, ſi remiſſa ipſis eſſent peccata, ſi tranſiiſſent in ſtatum gra-

tiæ,

tiæ, caverent ſibi a vitiis illis conſcientiam vaſtantibus, quæ, ut ſupra monuimus, cum Indifferentiſmo vinculo quaſi nativo copulata ſunt. Pars eſt gratiæ cœleſtis divina adoptio, & filialis Spiritus. Hic docet revereri omne Verbum Dei, docet ſcrutari voluntatem Patris ſui teſtamentariam, docet, quicquid huic revelare ad ſalutem noſtram placuit, ut λόγον πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον digna, h. e. apta ac bene parata mente ſuſcipere. Hunc animum apud Indifferentiſtas nunquam deprehendemus, & ſi eum vere haberent, aut habere poſſent, expungendus eſſet hic titulus, ac delenda accuſatio, quæ tamen prohdolor longe veriſſima eſt. Magna portio veræ pietatis eſt, ipſo Spiritu Dei teſte, *trepidare ad verbum Dei.* Venerabilem hanc formulam multa complecti ab Indifferentiſmo, quem carpimus, longiſſime aliena, facile credent univerſi, dum conſtiterit ſemel, quid per eam Sanctus eloqui voluerit Spiritus? Tantundem ſc. hoc eſt, atque ſumma affectum eſſe reverentia erga divinam Majeſtatem, eademque reverentia omne Verbum Dei excipere, & ad illud audiendum, intelligen-

(c) *Eſ. LXVI. 3. 5.*

gendum, perſcrutandum eundem adferre affectum animi, accedere, imo accurrere, non tantum, ut alte & magnifice ſentiat de illius verbi autoritate, ſapientia, pondere & uſu ad veram ſalutem aut exitium ſuum: verum etiam, ut ad illud accedat cum promtiſſima voluntate fidei & obſequii illius verbi, & tenerrima ſollicitudine, ne præcepta ejus transgrediatur. (d) Hi non ſunt mores Indifferentiſtarum, qui non trepidant ad Verbum Dei, ſed de eo in fide & vita parum ſolliciti ſunt. Regnat apud eos ignorantia, frigus, acceptio perſonarum, ſervitus temporis, adulatio, levitas, præſumtio, impatientia adverſitatis, inconſtantia. Hæc vitia ex multis ſeligimus. Enimvero, ſi vitæ ſpiritualis indolem, & Chriſtiana principia recte aſſequimur, contraria quævis locum habere debent in homine Chriſtiano. Fides non eſt ignorantia, nec amor & charitas frigus: Acceptioni perſonarum repugnat juſtitia: Tempori ſervire prohibet timor Dei: Adulationem excludit ſinceritas: Levitatem gravitas: humilitas præſumtionem: impatien-

(d) Hæc verba iſti loco inſigni adſcripſit doctiſſimus hujus prophetæ interpres, CAMP. VITRINGA *T. II. Comment. in Jeſai. p. 926.*

tientiam tolerantia Chriſtiana. Denique ſi de perſeverantia inter tentationes quasvis ſit quæſtio, quam longe a nobili hac virtute abſunt Indifferentes noſtri hoc ipſo vitio molles ac delicati, atque pedem ſuum quibusvis cothurnis, quod mox pluribus dicemus verbis, data occaſione adaptantes. Aut hæc probant, quod vobis, AUDITORES HONORATISSIMI, ex intimo ſinu doctrinæ Chriſtianæ proponendum erat, aut fatebor candide, nihil eſſe, quod mendacium a veritate, a virtute vitium ſibi hac in cauſa metuat.

Porro, ut vehementia morbi per lethales paroxyſmos apertè proditur, ſic Indifferentiſmi malum ex periculis, quæ ſecum vehit, prudentes tanquam ex certiſſimis ſignis dignoſcent. Nemo Indifferentiſtarum, quales ſupra delineavimus, ſincere amat Eccleſiam, in qua natus & educatus eſt. Nemo quidem tenetur eam amare, quatenus aliquid vitii habet, eaque parte amore hominis ſapientis ſeipſam indignam reddidit. Sed non hoc eſt, quod eos homines abſterret aut impedit, niſi quousque placuerit. Non amant hanc ſuam Eccleſiam, non reverentur, non excolunt, quia avulſi

ab

ab ea ſunt animo, tanquam ad eos nihil pertineret, hæcque abalienatio interior facile eos inclinat, ut de officiis Societatis religioſæ, in qua vivunt, debitis, iisque certis honeſtisſimisque, parum ſint ſolliciti: Eo turpior eſt hæc acedia, quo ſceleratiori idem alias vitio illis imputatur civibus, qui, cum membra ſint rei publicæ, eo quod ubique patriam ſibi patere exiſtimant, hujus ſalutem negligentiſſime tractant, ſiccisque oculis & corde languido naufragium illius proſpectant, dum ipſi tabulam habeant, qua evadant. Quamdiu in vado ſunt res Eccleſiæ, & religionis, adhærent ei quidem, ſed frigide, ac tenui plane filo, quod facile rumpitur, cum vel publica perſecutio, vel ſimiles aliæ cauſæ intervenerint. Quicquid publice docetur, non ideo ipſarum quoque doctrina & ſententia eſt: imo fieri poteſt, ut apud ſeipſos omnia alia & plane contraria cogitent, non dicam in acceſſoriis & problematicis (de quibus nulla hic movetur controverſia) ſed in maximis ac præcipuis Chriſtianæ doctrinæ articulis. Polygamis ſimiles dixeris, qui ſuos amores in plures feminas, imo nonnunquam integra Gynæcea, diſtribuunt, nulli earum fideles, niſi ad tempus,

&

propter ſeipſos: Sic enim & illi vago ac incerto affectu feruntur in has vel illas doctrinas, religiones & Eccleſias, neutram plane abjicientes, neutram fideliter ſectantes, præſentem ſic amplectentes, ut, cum opus fuerit, facilis ſit ad futuram quoque tranſitus. Etiam illud fieri poteſt, imo forte contingit re ipſa ſæpius, ut quis corpore in hoc loco ſit, & in alio per animum, quodcunque candoris & conſcientiæ ſacrificium (graviſſimis enim ſimulationibus, diſſimulationibus, æquivocationibus & reſervationibus mentalibus huic fini conſequendo opus eſt) ad hujus generis Indifferentiſmi tutum requiratur exercitium. Hæc ſpecies indifferentiæ ubi invaleſcit, & quidem per quosvis hominum ordines, quid aliud inde expectandum erit, quam peſtes religionis & Eccleſiæ, quam infinita mala in immenſum graſſantia, atque in extremam tandem deſitura perniciem? Carnalis ſcilicet Reſpublica, & religionem imaginariis ſuis commodis Politicis ſine ſcrupulo ſacrificans; Eccleſia ex monſtroſis conſtans membris atque inſtar corporis cachectici contrariis & confuſis humoribus oppleta, & ſeipſam per domeſticos hoſtes efficacius, quam ab inimicis apertis & ſeparatis fieri

poſſit,

poſſit, deſtruens: infrugifera ſacra publica: contemtum & inutile apud quam plurimos Miniſterium: malorum triumphus: bonorum ſuſpiria & gemitus: diſciplinæ ruina: &, quod peſſimum eſt, fatalis ad facilem reddendam non privatorum tantum, ſed integrarum quoque Societatum Eccleſiaſticarum apoſtaſiam & revolutiones funeſtas præparatio. Certum utique eſt, his effectibus producendis non unam paratam eſſe cauſam. Nihil vero dubitandum, quin peſtis indifferentiſmi inſtar validiſſimi arietis ſalutem publicam privatamque præ multis aliis malis vehementiſſime luxet atque concutiat.

Si cetera omnia hujus mali phænomena ſentire aut curare nollent Proteſtantes, vel manibus palpari poſſet, quantum detrimenti rebus ipſorum ſacris attulerit hactenus Indifferentiſmus, quantum vero emolumenti exinde ad Romanam maxime Eccleſiam, ad Papiſmum, juratum Proteſtantium hoſtem & implacabilem, acceſſerit, & quotidie magis accedat. In ditionibus Romanæ religioni addictis Proteſtantibus, præter extremam neceſſitatem, & nonniſi cum caſtigatiſſimis conditionibus, vix tantillum conceditur. Non modo clauſa,

obſer-

obſerata, & munita ſunt omnia in R. Catholicorum ſinu: ſed & inſuper noctes diesque cogitant de artibus & machinis innumeris, quibus Proteſtantium Capita, &, cum hoc ipſis nequaquam ſufficiat, integræ provinciæ & regna ab Eccleſiaſtica eorum communione adhuc diviſa per fas & nefas ſubjici poſſint ſuæ poteſtati, & ſub jugum priſtinum revocari. Quid Proteſtantes faciunt? Ab eo tempore, quo divinum beneficium in Eccleſias noſtras per liberationem earum potentem ab erroribus, ſuperſtitione ac Tyrannide Papiſmi collatum apud poſteros ingratos cœpit vileſcere, quo maxima & venerabilia Dei opera cum erroribus & vitiis hominum injuſte & faſtidioſe confuſa ſunt, quo magna ipſorum etiam Proteſtantium pars ad carnem & ſanguinem, ad luxum mundanum, uno verbo, a Deo & Chriſto ad ventrem reverſa eſt: ab eo, inquam, tempore turpe frigus in religione invaſit plurimos, omnemque prope veritatis amorem, omnem Zelum pro gloria Dei, omnem pro cuſtodia Eccleſiarum tepeſcentium adverſus tentationes vigilantium hoſtium diligentiam & ſeveritatem mirum in modum enervavit, in multis etiam extinxit.

tinxit. Prætextu libertatis conſcientiæ, non modo, ubi pacta publica fidem ſervare jubent, ſed ſponte, ſed ſine neceſſitate, in ſinum Proteſtantes hoſtem ſuum recipiunt, fovent, nutriunt. Quo fructu? quo eventu? res ipſa loquitur, & frequens per totam Germaniam experientia. Nunquam tam infelices evaſiſſent res Proteſtantium, niſi ad hanc imprudentiam Indifferentiſmi variæ ſpecies a longo tempore animos multorum diſpoſuiſſent. Plus dico, imo, quod jam ſæpius, etiam e ſuggeſtu ſacro, dixi, confidenter repeto: in mediis Proteſtantium Eccleſiis tantam multitudinem per teporem, per variis generis in religione indifferentiam & frigiditatem eo gradu corruptam eſſe, ut juſtus adſit metus, ampliſſimam meſſem paratam fore Conqueſtoribus Romanis, ſiquidem ſevero Dei judicio tantum poteſtatis in Proteſtantes reliquos impetrarent, quantum, ut ſibi aliquando obtingat, optant, conantur, moliuntur. Imo credibile eſt admodum, Indifferentiſtas & Libertinicos illos thraſones, qui nunc omnem deteſtantur in religione ſervitutis ſpeciem, qui nihil niſi conſcientiæ libertatem crepant, qui ne verbulum quidem circa fidem ſibi a Miniſtris ac Theolo-

gis

gis volunt præſcribi, in prima acie tunc exrituros, non eorum, qui pro veritate certant, ſed qui docili humilique animo, partim ventris & carnis cauſa, partim indifferentiſticis principiis excæcati, totam Romanorum ſacrorum ſervitutem admitterent, & ad imas usque feces, quia tempora hoc urgent & poſtulant, ſorberent. Id unum precor ex imo pectore, ut nominis ſui cauſa Divinum Numen dignetur avertere, ne unquam triſtiſſima noſtra præſagia, vel odioſæ iſtæ ſuſpiciones noſtræ, ferali quadam occaſione, & apertis quaſi ad ipſum januis, cum ſummo bonorum quorumvis religioſorumque Proteſtantium dolore impleantur.

Neque id ſolum metuendum habemus periculum, ne ſc. per viam Indifferentiſmi in voraginem Papiſmi, ſin occaſio faverit, præcipitemur. Si vel præternavigetur hæc Charybdis, multæ aliæ ſuperſunt Scyllæ, in quibus naufragium fidei noſtræ pati, ac perire poſſumus in eadem ſemita. Serpit hodie in tenebris virus AntiTrinitarium, quod cum ſpecioſis ſuis ratiociniis acutos etiam & ingenioſos homines (quales plerique fuerunt Socinianiſmi DD. pri-

 marii)

marii) inficere poſſit: certe multo adhuc magis aptum eſt invadere tabulas ævi noſtri per ignorantiam raſas, & per indifferentiſticam paſſivitatem inſtar Chamæleontis omnis formæ & coloris capaces. Iſtud ut monerem hoc loco, inter alia monumenta ætatis noſtræ Anti. Trinitaria novisſima iſte maxime *libellus* effecit, quem nuperrime obvium habui, & cujus titulus eſt: *Initium Evangelii S. Iohannis Apoſtoli ex Antiquitate Eccleſiaſtica reſtitutum, indidemque nova ratione illuſtratum*: ibi enim eos conatus, eas artes, eam induſtriam in expoliendo confirmandoque ſyſtemate AntiTrinitario reperi, ex quibus patet, hujus defenſores modernos nihil minus, quam triumphos & victorias de ſanctiſſima veritate noſtra, expectare. Hos autem aculeos alte ſe in libertinica & indifferentiſtica ingenia facile penetrare, ex recenti Hiſtoria rerum in gente Anglica circa religionem geſtarum plus quam ſatis notum eſt. Paucis: dum antiquas in aliis quoque leges refigit Indifferentiſmus: dum doctrinas etiam rectiſſimas ſenſim ſenſimque delet in animis hominum: dum æque erga errores, quam veritatem, dociles facilesque reddit: dum languidos & ſegnes facit in examine religionis,

gionis, quod patiens, accuratum, & conſtans eſſe debuerat, ſponte ſane ſua inde conſequitur, diſpoſitionem animorum indifferentiſticam eos quibusvis erroribus, etiam graviſſimis & vere noxiis, dum aliunde ſuis haud careant lenociniis, patefacere, & amplam ad minimum his conciliare gratiam, ac privilegia latiſſima.

Supereſſent adhuc argumenta ampliſſima, quæ ſapientibus & probis quibuscunque ſuſpectam atque odioſam merito reddunt eam, quam hactenus notavimus, mentis in religionis cauſa indifferentiam. Sed modum Orationi ponendum, Veſtræque A. H. parcendum eſſe indulgentiæ, facile intelligo. Aliquis etiam locus concedendus eſt ſententiis atque principiis, quibus culpatus a nobis Indifferentiſmus excitatur, alitur, & ſuſtentatur. Cum vero exiſtimem, poſſe has rationes apud candidos & amantes veritatis homines brevibus quoque verbis refelli, non erit, A. H. unde longas ac tædioſas metuatis moras. Quoties commoditati Indifferentiſticæ neceſſitas & æquitas ſolidi legitimique examinis rerum ad religionem pertinentium opponitur, in promtu eſt exce-

ptio, tam intricatam & difficilem hanc cauſam reddidiſſe Theologos, ut ſecari debeant eorum nodi, cum ſine tædio ſolvi nequeant. Non jam abſolvam Theologos omni ex parte. Audiant illi cenſuram, qua juſta eſt, & emendent ſincere, in quo forte peccatum eſt. Abſit autem, ut ſapienter factum credamus, ſi quis hac difficultate conſpecta prorſus abjicere velit ſobriam ac neceſſariam inveſtigationem veritatis: ſi quis ſibi temere perſuadeat, meras tricas & otioſas tantum diſputationes eſſe, quicquid non quibusvis otioſis hominibus, & res religionis nonniſi perfunctorie tractantibus, primo ſtatim intuitu patet & obvium eſt. Et certum tamen eſt, hoc generali præjudicio & vaga doctrinarum Theologicarum averſatione pleroſque ad eam ſpeciem Indifferentiſmi ſollicitari, quæ hucusque a nobis reprehenſa eſt.

Accedit, quod profunde in eorum animis hæreat, quid opus ſit veritates & errores tam operoſo & moleſto examine diſcernere, cum extra controverſiam poſitum ſit, eos, qui errare creduntur, non minus tandem ſalutem æternam conſequi, quam confeſſores veritatis? Neſcio, quis

hoc

hoc poſtremum myſterium eo ſenſu, quem illi prætendunt, ipſis revelaverit? & unde ſciant, hoc ſimpliciter verum eſſe? Deinde abſurdum eſt, concludere, perinde eſſe, ſive quis errorem ſequatur, ſive veritatem, quoniam ſperamus, eos, qui non ſponte errant, qui ex veritatibus ſalutaribus reliquis errores ſuos corrigunt, qui aliunde corda ſua per ſinceram pœnitentiam & fidem ad Deum convertunt, miſericordiam conſecuturos apud Dominum. Hæc vero gratia & providentia Dei gratioſa (ſic alibi ad eam Indifferentiſtarum objectionem reſpondimus) non diſpenſatur omnibus, multo minus voluntariis & petulantibus divinæ veritatis contemtoribus, aut ignavis ſuperbisque hominibus indulgetur: habet enim ſuum ordinem, & requirit aliquid ex parte hominis, quod oſtendat, eum hujusmodi miſericordiæ divinæ & avidum & capacem eſſe.

Quod tertio loco ab Indifferentiſtis prætenditur, ut quis Deo placeat, probam & honeſtam vitam ſufficere: Satius utique eſſe, per veritatem eo deduci; ſed nec male factum, ſi quis ipſis etiam erroribus ad hunc ipſum finem obtinendum abutatur, id,

quamvis non omni careat ſpecie, plurimis tamen vitiis & falſitatibus corruptum eſt. Utinam Indifferentiſtarum plerique ſincere agnoſcerent, proba ac honeſta mente vitaque opus eſſe. Quotusquisque enim eorum honeſte vivit ſcelerisque purus? Quin potius contraria omnia ex eorum vivendi ratione apparent, ſi affectatam & honoris cauſa paulo magis caſtigatam vitæ illorum partem, quæ publica eſt, excipiamus. Deinde quid vere honeſta ſit vita? & quantum ad eam requiratur? non ex imaginaria hominum ſibi ipſis blandientium ſententia, ſed ex religionis Chriſtianæ indole præceptisque illius ſanctioribus æſtimandum eſt. Hujus ſi fontes, principia, naturam, proprietates, fructus, & ſigna conſulamus, de illis certe Indifferentiſtis, ad quos nos digitum intendimus, nemo Chriſtianus, nemo ſapiens temere affirmabit, eos honeſtam hoc ſenſu mentem habere, honeſtam ex præceptis Chriſtianæ religionis vitam ducere. Id ſi per vitam honeſtam ipſi non intelligunt, hoc ipſo errant miſere, &, quamvis eorum aliqui hominibus ſe moribus exterius compoſitis commendent, Deo tamen ſe, niſi longe alia acceſſerint, probabunt nunquam; ut enim quis hoc a Deo

impe-

impetret, ſincera ad Deum converſione, regeneratione totius hominis, viva in Chriſtum fide, Sanctique Spiritus per omnem vitam cum internam, tum externam regimine obſequioſe admiſſo opus eſt. Longiſſimo inſuper intervallo a ſe diſtant invicem, ſi quis ex animo cetera religioſo errorem, quem neſcit eſſe errorem, & pro veritate colit, ad occaſionem & motivum officiorum ſuorum inflectat: & contra, ſi alii, qui vel omnino errorem agnoſcunt, vel, num ſit error aut veritas, quamvis moniti & inſtituti, nolunt pro dignitate rei inquirere, in ipſo errore qua tali hac ſola de cauſa acquieſcunt, quoniam fingunt, errorem iſtum honeſtatem vitæ & bonos mores cetera non impedire: quod utique longe falſiſſimum eſt; non enim tantum bene vivendum, ſed etiam ex rectis ſolidisque principiis, quantum fieri poteſt, bene vivendum: & partem eſſe officiorum boni viri, nemo neſcire debet, ut ad cultum Dei, cujus portio eſt non poſtrema ejusdem agnitio, quam proxime accedat.

Quarto illud quoque incommodum urgere Indifferentiſtas, compertum eſt,

præciſiones & ſubtilitates illæ Theologicæ, in quem cenſum controverſa inter Chriſtianos de religione capita referri mereantur, Rempublicam & Eccleſiam funeſtis litibus, odiis, & turbis impleant. Eas igitur merito rejici, contemni, imo præſcindi, & extirpari. At primo nemo rerum iſtarum ſolide gnarus unquam fatebitur, controverſias religionis, in quas Chriſtiani diſtracti ſunt, univerſas meras ſubtilitates, mera problemata eſſe Scholaſtica. Contrarium ſæpe, ac diu, & multis argumentis aſſertum & confirmatum eſt. Deinde ne problematicas quidem vel acceſſorias doctrinas abnegare & abjicere fas eſt, cum eas tanquam veras agnoſcimus, cum illis contrarias doctrinas ut veras ſubſtituere cogimur, cum, ut anathema hujus quoque ordinis veritatibus dicamus, imperioſe prætenditur. Lites, odia, turbas excitare Chriſtiano homini non licet. Sed nec in Chriſtiani hominis rationes referendum, ſi occaſione tuendæ veritatis retinendæque in Eccleſia puritatis doctrinæ non per ipſos, ſed vel ab apertis veritatis hoſtibus, vel a violentis innocentium oppreſſoribus, vel a tepidis illius contemtoribus lites, odia, & turbæ oriuntur Reipublicæ non minus atque

que Eccleſiæ moleſtæ. Hic enim non ad eventus ipſos, ſed ad eventuum cauſas & principia ſapientes reſpiciunt.

Quinto non eſt a nobis prætermittenda objectio longe ſpecioſiſſima, eſſe Indifferentiſmi vocabulum inter ſolennia Cleri, totiusque ordinis Theologici, convicia; hoc nomen imponi ſæpiſſime doctrinis prorſus innocentibus, & perſonis ab eo vitio ſatis longe remotis: nullo itaque loco hoc habendum eſſe. Omnis in ſolvendo hoc nodo opera perditur, niſi verum a falſo, a vili pretioſum, in tota hac cauſa ſollicite ſeparemus. Sic reſpondendum eſt, ut ne una ex parte veritas lædatur, & ex altera charitas. Quis negaverit, invita niſi experientia, & repugnantibus monumentis publicis, Indifferentiſmi nomen noſtra maxime ætate admodum frequens eſſe atque latiſſimum? Unde mirum non eſt, ſi in tanta perturbatione publica, in maxima, quæ prohdolor ſtupendum in modum invaluit intra ejusdem Confeſſionis Societates & membra, in rebus religionis erga ſeinvicem diffidentia præter meritum applicetur nonnunquam ad res & perſonas, quibus num vere quadret? magna & ſpecioſa moveri controverſia poteſt. Conſiderandum quo-

que mature proponimus, annon magis conſultum eſſet, & evertendis multis genuinorum peſſimorumque Indifferentiſtarum clamoribus valde idoneum, ſi nomen iſtud ſoli vitio hujus generis craſſiori, maloque in ea re aperto & liquido, relinqueretur a Theologis, neque illi tot ac tam liberaliter diviſas Indifferentiſmi facerent claſſes atque ſpecies, ut ſit longe facillimum ejus convicii invidiam pro lubitu fere, & ex levioribus quoque cauſis, deinceps extendere? Species ad minimum hujus mali, ſi ſecus fiat, nulla ratione vitari poteſt. Et quid opus eſt hoc præciſe titulo convicium facere? Si cum vero errore & vitio in materia religionis res nobis eſt, poſſunt utique pro neceſſitate ac dignitate illa redargui, etiamſi ejus nominis ne minima quidem fiat mentio. Quodſi vero in ipſa cenſura error eſt, certe malum haud exiguum debet haberi, ſi quis occaſionem præbuerit, ut in veritatis atque innocentiæ oppreſſæ prætextu ipſe error, ipſa ſæpe malitia, ſpecioſum quærere latibulum poſſit atque præſidium. Ponamus jam, poſt hactenus dicta, calculum, non caruiſſe exceſſu omni uſurpatam paſſim a Theologis hinc inde Indifferentiſmi exprobrationem, num ideo figmentum erit,

dari

dari veri nominis certique characteris Indifferentiſtas, h. e. tales, quales ab initio deſcripſimus, homines, ſimilesque? meras eſſe Theologorum fabulas & ſomnia, quicquid in eorum doctrina, cum viva voce, tum ſcriptis publicis Indifferentiſmo hactenus oppoſitum eſt? Hunc certe paralogiſmum, hanc rabuliſticam conſequentiam nemo ſapiens probabit unquam. Alia ſupereſt via Chriſtianis atque prudentibus viris magis digna, veritati porro ac juſtitiæ ſervandæ felicius accommodata, qua notari, caveri, corrigique quorundam exaggerationes nimiæ poſſunt ac debent, quantum ſatis eſt. Peſſimum vero ex omnibus aliis hujus mali remedium eſt, ſumma imis miſcere, probroſas toti Theologorum ordini infamias inde extundere, illis etiam, ubi vera docent, non credere, præſentia denique religionis & Eccleſiæ vulnera toto unguium acumine & robore diducere, quod multi hodie in his caſibus faciunt, iique maxime, qui in peſſimo Indifferentiſmi genere multis alios plurimos antecellunt paraſangis, & nihilo tamen minus in hoc luto ſe hærere negant præfractiſſime. Quantum veritatis amor, quantum pietas, prudentia, & ſolida in religione eruditio adhuc

huc valent inter homines; tantum ſibi a perniciosiſſimis his peſtibus atque extremitatibus, tanquam a cane & angue culei, quam diligentiſſime ſibi cavebunt. Non putem, ſuſpecta ulli eſſe oportere, quæ de delicatiſſima hac cauſa profiteor. Imo potius & verbo, & exemplo, docere velim, quæ recta & pia hic eſſe cenſeo. Mihi ipſi, quod notum eſt, accidit, ut aliquando celeberrimus quidam timeret Theologus, ne aliquam Indifferentiſmi ſpeciem verba quædam mea ſignificarent, quibus ipſi de hominibus nonnullis extra noſtras Eccleſias olim conſtitutis, ejusdem judicio, nimis benigne viſus eram exiſtimaſſe. Maluiſſem utique odioſum illud Indifferentiſmi nomen in iſta ſententia non legere. Nunquam tamen credidi, mentem Viro Doctiſſimo fuiſſe, ut meum in famoſum hujus tituli catalogum transferre vellet nomen. Nunquam ideo, quod hanc culpam a me abeſſe credidi, vel minima tentatio me ſollicitavit ad cogitandum, Indifferentiſmum eſſe mera imperitorum Zelotarum ſomnia. Hac parte immenſum quantum a moribus ſeculi noſtri me diſjungo, qui ne quidem mei fuerunt unquam. Fieri poteſt, ut in nonnullis judiciis noſtris aliquantum

noſtræ

noſtræ diſſideant ſententiæ. Si erraverim, patiar lubens dici, quod res eſt. Ubi innocens fuero, nec tamen hæc mea ab omnibus agnoſcatur innocentia, nihil ideo detraham ullius meritis aut juſtæ venerationi, nihil peccabo, juvante gratia, adverſus modeſtiam, nihil per intemperiem ulli conabor extorquere; nihil denique ex privatis rationibus admittam, quod publicam Eccleſiæ & religionis ſalutem turbare poſſit aut imminuere. Ea mente ut omnes ſint alii, noſtri maxime ordinis, homines, ex animo precor ac voveo. Hac methodo, hac via ſophiſmati Indifferentiſtarum ſupra a nobis commemorato omnium tutiſſime ſolidiſſimeque, idque non tam verbis, quam factis, reſponderi poſſe exiſtimo.

Sexta, quam afferre placet, objectio hæc eſt: imputare Indifferentiſtis Theologos, ac ſi omnem prorſus cognitionis tollerent neceſſitatem, & contrarias opiniones diſſentientium Eccleſiarum æque veras eſſe crederent, quæ tamen abſurdiſſima & contradictoria ſententia ipſis nunquam in mentem venerit; neque enim adeo ſtupidos eſſe, talia ut ſibi fingant atque perſuadeant. Imo vero nunquam hoc dixerunt Theologi,

aut

aut tam crudo & inſipido ſenſu dixerunt. Hæc eorum non injuſta querela eſt, eos, qui circa æſtimandas dijudicandasque Eccleſias in graviſſimis religionis capitibus a ſeinvicem diſſidentes tam frigidos & indifferentes (retinendum hoc eſt vocabulum tanquam claſſicum) ſe exhibent, juſtam, neceſſariam, & ſufficientem tantarum doctrinarum notitiam utplurimum negligere, eam tanquam ſuperfluum ac inutile pondus contemnere, gravia, quæ adſunt, momenta non expendere, ad inania & macilenta compendia medullam religionis cum ſummo ejus detrimento comprimere: & nihilo tamen minus non pro ſe ipſis tantum, ſed & in perniacioſiſſimum multis aliis exemplum, omnem ſuam confidentiam, autoritatem & opportunitatem, omne ſuum ingenium, otium, & robur eo convertere, ut tandem credatur, nihil hæc ſaluti, conſcientiæ, officiis hominis Chriſtiani nocere. In his igitur duplex culpa eſt; primum, quod exploratio veritatis in multis plane rebus perniciosè reſtringitur: deinde quod cognitarum etiam veritatum momenta & pondera apud ipſos nimis vileſcunt. Facile cetera credimus, don poſtulare eos, qui hac mente ſunt, ut contradictoriæ doctrinæ ſimul ſint

veræ,

veræ, ac utrinque æquali, ſive in hanc, ſive in illam partem, adſenſu recipiantur. Scimus, non eſſe excutienda ex pelvi fulmina, ne illa quoque, quæ vere ex cœlo cadunt, temere ſpernendi periculoſam præbeamus occaſionem. Sed nec noſtra ex parte tam ſtupidi ſumus, ut propter phantaſma fictæ objectionis, nubemque inanem nobis oblatam, genuini certique erroris cenſuram elabi nobis permittamus.

Septimus, quo Indifferentiſmus pingitur, color eſt, dum objicitur, quicquid credant homines tanquam verum, ſive hanc, ſive illam, ſive iſtam ſequantur Eccleſiarum hodie diſſidentium confeſſionem, eos, niſi veram habeant fidem, a Spiritu ſc. Sancto excitatam, divinam, ac ſalutarem, damnari tamen certiſſime, & ex omni illa cognitione ſua nullum fructum, nullam ſalutem percipere. De hac igitur fide ſpecie eſſe laborandum: alteram vero illam fidem, quæ in notitia doctrinarum conſiſtit, tam grave momentum non habere. Primum hæc ratiocinatio a vero nos longe abducit controverſiæ ſtatu & cardine. Non hoc agitur a Theologis, ut ſimplicem veritatum religionis cognitionem,

nem, ſive catecheticam, ſive ampliorem, absque vera ac ſpirituali illuminatione Chriſtiani hominis ſaluti ſufficere doceant. Id paradoxum ne illis quidem imputari jure poteſt Theologis, qui præ ceteris de cognitione irregenitorum Theologica magnificentius, quam par eſt, ſentire creduntur a plurimis. Imo certum eſt apud omnes, rectiſſime etiam in doctrina religionis ſentientes, niſi vera fide ſint prædici, niſi in ſtatu ſint gratiæ, inſtructique multis aliis gratiæ donis, quæ verum efficiunt Chriſtianum, divinam damnationem non poſſe effugere. Sed injuſta abſurdaque eſt, quæ hinc nectitur, conſequentia, non eſſe ideo de acquirenda tuendaque vera doctrina, eaque non ſingulari tantum, ſed plena & integra, accurate ac diligentiſſime laborandum. Divina ac ſalutaris fides ex erroribus non concipitur. Spiritus S. inſtrumentum ad illuminandum non error, ſed veritas eſt. Non igitur hæc ſibi opponenda invicem ſunt, ſed conjungenda apte, atque egregie ſubordinanda. Ne id quidem regulam nobis hic conſtituit, quod de divina circa errores hominum patientia & longanimitate partim compertum nobis eſt, partim arcanum atque incognitum. Deus faciet,

ciet, quod Deo convenit. Nobis præſtandum eſt, quod leges ipſius jubent, & ordo commonſtrat divinitus nobis revelatus. Ex hoc nullibi diſcimus, perinde eſſe, ſive errores & tenebræ noſtram mentem occupent, ſive ea veritatem rectasque Verbi divini doctrinas teneat: tamen viam ad fidem, ad gratiam Dei, ad Chriſtiani nominis plenitudinem, ad regimen ac diſciplinam S. Spiritus, ad ſalutem denique ipſam longe lateque patere. Poſſumus autem hoc quicquid eſt eo innocentius nunc prætermittere, ſi, quæ ſupra jam a nobis in rem iſtam dicta ſunt, conſideraverimus. Id vero pluribus verbis monendum amplificandumque ſupereſt, quam multis peccent nominibus, qui ipſius etiam literalis veritatis in ſocietate religioſa præſentiam, conſervationem, ac defenſionem tam contemtim tractant, tamque adunco ſuſpendunt naſo, quoties vident, eam a plurimis in ipſum pectus non demitti, nec fructus apud homines ferre ſanctiſſimo Chriſti Evangelio dignos. Multæ hoc loco rationes concurrunt, quibus iſta opinio gravatur, atque in juſtam ſuſpicionem adducitur. Omnis veritas per Spiritum Dei revelata præter literale teſtimonium, quod continet, cum

 divino

divino quodam lumine ac cœleſti virtute conjuncta eſt. Hactenus igitur nunquam mera eſt litera, quæ nihil aliud præter communem illam humanis quoque doctrinis, ſi veræ ſunt, ſignificationem in ſe contineat. Secus qui exiſtimant, errant ipſi, ac de Scripturis ſacris minus recte, quam debebant, ſentiunt. Quicquid ſit de recipientibus pro merito doctrinam veritatis publicam, apertum eſt, eam in ſe ipſa maximum eſſe gratiæ providentiæque divinæ beneficium. Cum litera veritatis in humano genere ipſa ſemper periit veritas. Cogitet ſapiens quilibet, quam diverſum ipſius Dei ſonuerit de Judaico populo judicium, quoties ille vel inter multa impiorum & hypocritarum exempla divinam tamen legem ſalvam retinuit, veritatem docuit, ab idololatria gentium ſe abſtinuit, lychnumque divinum ſuper candelabro publice lucere permiſit: vel e contrario ipſam divinæ legis literam abjecit, theoretica quoque apoſtaſia a religione ſibi cœlitus impoſita diſceſſit, ſacra denique idololatrica aut copulavit divino cultui, aut ſubſtituit. Immane utriusque caſus diſcrimen rite ſi expenderit, nihil certe dubitabit, longe veriſſimum eſſe, quod de pondere veræ do-

ctrinæ in religioſa Societate perdurantis profeſſi ſumus. Porro quam miſera eſſet Miniſtrorum religionis conditio, ſi conceptam, claram, & ab omnibus Societatis Eccleſiaſticæ membris agnitam ſuis auditoribus oſtentare haud poſſent divinioris doctrinæ literam? Quam ſæpe ipſi etiam pii ac ſapientes evaneſcerent in ſuis cogitationibus, in deciſionibus languerent, fluctuarent in conſiliis, in tenebris denique tentationum varii generis titubarent, niſi ſanctam hanc probatamque ſibi literam haberent prælucentem? Hæc ſi aliquandiu negligitur, & retracta quaſi in ſeipſam virtute inefficax tantiſper habetur inter homines, ſemper tamen illa ſacra anchora, illud remedium eſt, ex quo maximæ etiam corruptelæ, errores graves, abuſus nefandi in populo Dei graſſantes per Dei gratiam ſuo reſtitui poſſunt tempore. Quodſi doctrina ac veritas publica a multis quandoque repellitur, quo minus per eam convertantur omnino ad Dominum, negari tamen haud poteſt, eam ad terrendos coercendosque malos & hypocritas etiam in hoc ſtatu prodeſſe plurimum. Denique, ſi totam hanc cauſam adducta ſimilitudine quadam perorare libeat, non errabo, ſi dicam, eos, qui

 has

has veritates non agnoſcunt, ſimiles eſſe affirmantibus, quod parum interſit, ſive inter liberos filiosque familiâs voluntati paternæ, quantumvis non ſemper accurato obſervatæ obſequio, honos adhuc conſtet atque reverentia, ſive, abnegatis Parentibus, ipſum etiam jus & poteſtatem his iidem reddere velint controverſam atque dubiam. Hoc vero diſcrimen maximum qui non ſentit, jure meritoque a ſententia heic dicenda longiſſime rejicitur. Concludimus ex hactenus dictis, eos, quibus veræ in doctrinæ ipſa quoque profeſſione publica conſervatio ob multorum illam profitentium ſterilitatem indifferens eſt, imprudenter omnino & ſiniſtre de cauſa hac graviſſima judicare.

Putem, recta & ſolida eſſe, quæ pro noſtro inſtituto, atque in perpetuo ad imaginem Indifferentiſmi ab initio nobis effigiatam reſpectu, hucusque tradere viſum eſt. Prævideo quidem, & ex copioſis noſtri temporis experimentis intelligo, vix ullo in argumento minus docentes proficere, vix difficilius eſſe ullo alio loco, quam hoc noſtro, e tot tenebris, tricis, æquivocationibus, & præoccupationibus animorum feliciter eniti: At non ideo reticenda eſt ve-

ritas

ritas, aut abſque præſidio omni relinquenda. In tota vero hac cauſa nihil triſtius eſt, nihil indignius, quam ſi ſæpe in publicum prodeant homines tanquam pro medulla religionis, pro viva fide, pro excellentia interioris Chriſtianiſmi adverſus vanam ſterilemque doctrinæ ſolum externæ profeſſionem atque jactationem propugnantes, qui tamen ipſi hæc omnia ne digito quidem attingunt, quin potius ore & exemplo miſerrime vaſtant, conculcant, atque impediunt. Neſcio autem, an aperta profanorum impietas Indifferentiſmum illum noxium & peſtilentem, qui noſtræ Orationis hactenus materia fuit, validius promoveat, quam hæc ipſa, quantumvis in toto ſuo complexu ineptiſſima, ac facile detegenda, multorum ex eo genere hypocriſis? Quanto magis certum eſt, longe pejus eſſe vitium, quod cum profanatione divini nominis conjungitur: tanto malitioſior etiam cenſendus iſte rerum ſanctiſſimarum abuſus, dum ad palliandum Indifferentiſmi malum, ſic ſatis jam ex propria indole noxium, extenditur.

Denique ſapientiora quædam ſanctioraque Indifferentiſmi remedia breviter indicamus.

camus. Tunc nimirum hic morbus ſanabitur inter Chriſtianos, ſi profligata impietate, poſitaque ſincere omni hypocriſeos larva, Deum ex animo colere didicerint: ex utroque enim illo fonte, ut ſupra oſtendimus, pleraque Indifferentiſmi mala promanant; ſanabitur, ſi divinas veritates, pretioſi inſtar depoſiti, ſibi divinitus hoc fine concreditas exiſtiment, ut eas per inhabitantem Spiritum ſanctiſſimum, quæ Divi Pauli exhortatio eſt, quam diligentiſſime cuſtodiant, myſteriumque fidei in bona ſeu pura conſcientia, tanquam gazophylacio Deo præ omnibus gratiſſimo, conſervent; ſanabitur, ſi momenta doctrinarum, earumque ad regnum Dei promovendum, ad plenam Eccleſiarum inſtitutionem, ad tranquillitatem ſocietatis religioſæ conſervandam habitus pro rei dignitate graviter atque exercitate ab omnibus expendantur: ſanabitur, ſi Chriſtiani omnes ac ſinguli ædificare ſolide, quam tumultuarie deſtruere, ſubordinare apte, quæ ſe mutuo non tollunt, quam inepte collidere, cunctari denique prudenter, quam firociter præcipitare maluerint: ſi iidem mutare quadrata rotundis, conciliare

lucem

lucem & tenebras, prunas ardentes in ſinum recipere, pretiumque rerum maximarum ex cujusque inconſiderata levitate audacter definire deſinant. Faciant ſinguli Status ac Ordines ſuum officium: Credant ſibi cum Deo & conſcientia hic negotium eſſe. Præſtent Eccleſiæ univerſam, quam ipſi propter Deum debent, charitatem, juſtitiam, ſapientiam. Etiam contra eam, qua parte peccat, faciant officium ſuum, ſed religioſe, ſed verecunde, & graviter, ut intelligat, ſe juſte moneri, ac ſentiat hæc Mater, liberos ſuos cœleſtis ſui Patris autoritate ſecum contendere, ſanctiſſimumque hujus nomen in ea cenſura reverendi cauſas inveniat legitimas; Vitentur extrema, utrinque pernicioſa. Nemo ſe det præcipitem in foveam vere Sectariam, ut nomen Indifferentiſtæ fugiat. Nemo amoliendi partium inepte ſectandarum ſtudii prætextu ad frigus deflectat Indifferentiſticum. His prænavigatis Syrtibus in portum religionis ſecure deveniet. Nemo hic ſibi poteſtatem arroget in Majeſtatis divinæ reſervata. Nemo ſit invito DEO liberalis: nemo parcus contra Domini liberalitatem: nemo ferox, dum patiens eſt Dominus:

nemo patiens ac indulgens, ubi conſtat, vel juſta etiam adeſt ſuſpicio, fieri poſſe, ut præpoſtera benignitate divinis juribus, ac declaratæ in Verbo rei ſententiæ detrahatur. Cetera, quæ dici poſſent, eaque magis ſpecialia, ſponte ſua in mentem venient meditantibus, ac dicerentur quoque hoc loco, niſi ipſi quoque veritati ſui eſſent in docendo gradus.

* * * *
* *

Nolim autem Vos, AUDITORES HONORATISSIMI, in argumento forte non omnibus grato diutius detinere. Nec moris eſt in hoc Conventuum genere, quibus ſtatuta & leges magis favent, quam magnæ partis civium noſtrorum Academicorum licentia. Supereſt igitur, ut id nunc maxime agamus, quod in Panegyri noſtra princeps negotium eſt. Ad finem nimirum cum hac ipſa hora Magiſtratus properat Academicus publica autoritate quondam mihi concreditus, nunc vero in alias, easque digniores, manus abs me cum voluptate tradendus. Hinc; præmiſſis ad Deum T. O. M. pro omni præſidio, gratia, atque beneficio mihi in hac quoque munerum meorum parte clementiſſime

tiſſime præſtitis, precibus Evchariſticis, univerſis Eberhardinæ noſtræ civibus publica jam voce declaro atque renuntio, communibus Ampliſſimi Senatus ſuffragiis in Rectorem hujus Univerſitatis Magnificum per proximum ſemeſtre hybernum ſolenniter & legitime electum eſſe Virum Nobiliſſimum, Conſultiſſimum atque Excellentiſſimum, D. MICH. GRASSUM, J. U. Doctorem & Pandectarum atque Sanct. Crim. Prof. Celeberr. Fautorem & Collegam noſtrum Colendiſſimum, cui nunc ſolenni ritu, ac more conſueto, tradam eximiæ hujus dignitatis inſignia, quam primum, ut leges jubent, capita juramenti Rectoralis ſibi a Nobiliſſimo Dn. Lic. Schmalkaldero prælecta Vir Magnificus data publice fide confirmaverit, atque in ſe receperit.

*** ***

Quod itaque Deus T. O. M. tanquam Autor omnis boni Ordinis, omnisque poteſtatis legitimæ, ſibi ſacrum, noſtræ autem Academiæ honorificum & ſalutare eſſe jubeat, ego Rector decedens Te, Vir Nobiliſſime, Conſultiſſime, atque Excellen-

tiſſime, Ampliſſimi Senatus autoritate juſſuque Rectorem Eberhardinæ noſtræ Magnificum legitime electum publice proclamo atque renuntio, utque ab omnibus & ſingulis hoc nomine agnoſcaris & colaris, jubeo & mando. Patere nunc, Magnifice Domine Rector, ut, quam intra Senaculi noſtri parietes exorſus ſum, gratulationem in publico hoc loco abſolvam penitus atque perficiam. Id maxime voveo & opto, ut Deus T. O. M. in hoc munere graviſſimo per Tuam, Vir Magnifice, ſapientiam, dexteritatem, experientiam, ceteraque dona Tua ampliſſima, nobis omnibus pridem explorata & cognita, totam noſtram Academiam felicem, tranquillam, fœcundamque reddat, & ſupremam, quam hodie in Te recipis, Scholæ noſtræ poteſtatem ſuo quoque præſidio & benedictione ampliſſima omnibus bonis jucundam, malis autem & indocilibus venerabilem & reverendam eſſe ſinat. Sic omnes, inter laudes Deo perſolutas, & cum perpetua Nominis Tui veneratione, cum durante Magiſtratu Tuo, tum eo ad finem ſuo tempore perducto, intelligemus, Deo propitio & rebus noſtris favente, Te, Vir

Ma-

Magnifice, Caput & Rectorem Univerſitati noſtræ datum fuiſſe.

** **

Hunc in finem jam Tibi ſceptrum trado Academicum, ſupremæ, at legibus juſtis ſanctisque munitæ, poteſtatis in cives Academicos ſymbolum, qua quomodo utendum Tibi ſit, ut Deo, ut Senatui, ut bonis quibuscunque placeas, non opus eſt, ut me monitore percipias. Te ipſum conſule, & conſcientiam Tuam, & rectam tanti muneris adminiſtrationem habebis in promtu.

** **

Noſti, Vir Magnifice, quibus ſtatutis & legibus Sapientiſſimi Fundatores & Nutritii Eberhardinam noſtram muniverint. Horum venerabile Volumen nunc pariter ex mea manu accipe, utque mores civium his legibus ſemper exacte conveniant, omnesque ſe iisdem conſcientiæ & religionis, fideique ſponte legitimeque præſtitæ, cauſa teneri diſcant atque agnoſcant, pro virili Tua parte & facultate, qua polles, ſuprema ſapienter & fortiter procura.

De-

** **

Denique ſigillum Tibi trado publicum, Vir magnifice, quod ut ſemper ad obſignanda decreta honeſtiſſima & literas edendas ſalutares, prudentes, & Academiæ noſtræ proficuas, nunquam vero querelis, defenſionibus, aliisque rebus ingratis & odioſis confirmandis applicare Tibi liceat, quam maxime in votis habeo.

DIXI.

ORATIO QUARTA

De gloria Chriſto Infanti a Spiritu Dei verè, atque ab hominibus falſo attributa

MEMORIAE

NATALIUM SANCTISSIMI SALVATORIS

DICATA

& in

SENACULO UNIVERSITATIS PUBLICE RECITATA

D. XXIV. DECEMBR.

A. D. MDCCXXVI.

P. P.

DEum bimeſtrem vel trimeſtrem ſe nunquam confeſſurum eſſe, dixiſſe olim fertur CP. quondam Antiſtes Neſtorius. (a) Quo ſenſu, qua mente id dixerit, ne in hunc uſque diem extra omnem controverſiam poſitum eſſe, hominibus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gnaris ſatis ſuperque cognitum eſt. Nec vacat jam nobis ad illuſtranda hæc infelicis Viri verba digredi,

(a) Dixiſſe hæc verba Neſtorium nonniſi ex ore hoſtium nobis conſtat. Ea maxime tanquam a ſe audita Theodotus, Epiſcopus Ancyranus, in Seſſione prima Concilii Epheſini retuliſſe dicitur occaſione prælectæ atque inter prælegendum ſtatim miris anathematibus notatæ cujuſdem Neſtorii ad Cyrillum Alexandrinum epiſtolæ. Quodſi vero res ipſa certa haberi debeat, eſt tamen longe incertiſſimum, quo loco & tempore hæc Neſtorius dixerit? Sunt quidam Viri Docti, qui, cum exiſtimaverint, Neſtorium primæ Concilii Epheſini Seſſioni interfuiſſe, ſurgentem ipſum & exeuntem

digredi, qui non diſputandi animo, ſed pietatis cauſa ad hunc venerabilem locum acceſſimus. Id unum dicimus, aut nos non intelligere Neſtorium, aut illum non intellexiſſe myſterium pietatis maximum atque omni reverentia longe digniſſimum. (b) Deum infantem, atque adeo & bimeſtrem

e Synodo in iſtas voces erupiſſe ſtatuunt. V. hanc in rem e Noſtris Theologus alias in hoc literarum genere exercitatiſſimus, JOACH. HILDEBRANDUS in *Hiſtoria Conciliorum p. 110.* Alii prætendunt, in privatis Epiſcoporum cum Neſtorio colloquiis, & quidem Epheſi inſtitutis, talia Neſtorio verba excidiſſe. Alii id Conſtantinopoli eveniſſe commemorant. Prima inter has ſententias ideo vera non eſt, quoniam conſtat, Neſtorium ter vel quater citatum nunquam in Synodo voluiſſe comparere. Secundam quoque ſuſpectam facit, quod Acta Concilii Epheſini ſatis diſerte referunt, nullam unquam inter Epiſcopos Synodi atque inter Neſtorium atque Epiſcopos ab eo adductos collationem fuiſſe inſtitutam, imo nec ablegatos a Synodo Antiſtites in conſpectum unquam veniſſe Neſtorii. Si quid ergo hujusmodi eſt a Neſtorio dictum, certe CP. dictum eſſe oportet. Quo ſenſu autem Deum bimeſtrem aut trimeſtrem hic Antiſtes CP. agnoſcere noluerit? a reliqua hujus controverſiæ determinatione dependet.

(b) Ab eo tempore, quo nos noſtra in *Introd. in Mem. H. E. Novi Teſt. T. I. p. 415. ſeqq.* de

ſtrem ac trimeſtrem, omnino nos Chriſtiani profitemur ac credimus, non quod ipſa in ſe naſci poſſit Divinitas, atque ad infantis par-

---

parte dogmatica Hiſtoriæ Neſtorianismi, quacunque fieri potuit modeſtia, protulimus in medium, plurimi Viri doctiſſimi, atque in hac materia exercitati, varia occaſione, atque in libris diverſi generis id argumentum illuſtrare, atque ad liquidum deducere conati ſunt. Apparet vero ex his ſcriptis, diſſidere Eruditos adhuc hodie, ut olim, atque diverſas, in quas jam diu itum fuit, ſententias partesque eodem fere tenore continuari, quod manifeſto indicio eſt, eſſe hanc quæſtionem maximis difficultatibus obnoxiam, & vix novi quidquam pro ea decidenda adferri poſſe, quod non prius a diligentia Eruditorum collectum jam fuerit, atque annotatum. Duos tamen hic maxime nominamus, Ven. PAULUM BERGERUM, qui *Inaugurali Oratione* Wittebergæ habita *Neſtorianiſmum hæreſeos convictum* repræſentavit, & Cl. Virum, CAROLUM GOTTLOB HOFFMANNUM, qui ſub Ven. KLAUSINGii præſidio ſingulari *Diſſertatione*, *Controverſiam Neſtorianam olim agitatam haud fuiſſe logomachiam*, *evincere conatus eſt*; inter quos poſterior mihi nominatim quædam oppoſuit *p. 8.* maxime & 9. quod optima utique cum pace mea fieri potuit. Dicam interim hoc loco, quid mihi ſubductis denuo univerſis his rationibus videatur in hac cauſa ſtatuendum? Primo quod ad momentum ejus rei attinet, nolim illud

parvitatem redigi: (Quis enim tam rudis, tam ignarus divinæ eſt naturæ, ut hoc vel ipſe dicat, vel ab aliis dici patiatur?) ſed quo-

---

tantopere exaggerari. Quicquid hic controverſum eſt, hiſtoricum problema eſt, non quæſtio dogmatica. Nihil ad rem præſentem ſpectat Formula Concordiæ, neque ejusdem periclitatur autoritas, quamcunque etiam partem quis elegerit. Abſit, ut LL. SS. vim obligandi ad criticos & Hiſtoricos usque extendamus articulos. Neque hic primo loco inquirendum, an famæ Cyrilli Alex. & Patrum Epſinorum quidquam decedat? ſed quid verum ſit? quid re ipſa dictum geſtumque tunc fuerit? Præterquam quod, ſi quid hic erratum eſt in controverſia Neſtoriana circa formandas ſententias, id ante Concilium potius, quam in Concilio factum ſit, a ſingulis, licet præcipuis dignitate in Eccleſia, Viris. Ipſius etiam hujus Concilii ingens gloria eſſet, ſi in his Actis pejus, quam per logomachiam, peccaſſet nihil. At contrarium verum eſt, & ex Actis publicis plane manifeſtum, Concilio Epheſino nequaquam honorificis. Nemo Conciliorum honorem & autoritatem longius provehit, quam R E. Doctores, ipſam enim in decidendo infallibilitatem iis tribuunt. Fatentur interim, quod etiam ſine ipſorum confeſſione apertum eſt, non eſſe a periculo tumultuum, tricarum, falſarum ratiocinationum &c. prorſus libera: ſufficere, quod eorum definitiones Spiritus S. dirigat, easque ab errore tutas præſtet. Non permittunt

Dd

quoniam is, qui ſalutis noſtræ cauſa ad infantilem usque ætatem in ſacroſancta ſua Humanitate ſe demittere voluit, ſimul Deus,

principia Proteſtantium, ut in examinandis Conciliorum Actis ſcrupuloſiores nos ipſis Pontificiis ſimus atque ſuperſtitioſiores. Fateor itaque his, ſimilibusque aliis, conſiderationibus me non moveri, priusquam factum ipſum hiſtoriæ, quantum ſatis eſt, examinatum, atque in majori luce collocatum fuerit. Ab hoc igitur incipiendum capite, ac deinceps pro gradu certitudinis vel probabilitatis ex hujusmodi deductione emergentis diſpiciendum, an, ſi quis, non quidem ex mera charitate, vel amore pacis, ſed propter difficultates Hiſtoricas nondum ſatis expeditas, in facto iſto hæreat dubius, vel contrarium etiam illi, quod communiter ſtatuitur, non improbabile cenſeat: an, inquam, id tantundem ſit, atque *hæreſiarcharum errores in fide præcipuos excuſare aut tacere, eoque ipſo occaſionem cavillandi adverſariis ſuppeditare?* Cui jam Clariſſimorum iſtorum, quos citavis Virorum induſtria heic ſatisfecit, illum facile ſuo abundare patior judicio, neque vel minimam ipſi propterea litem movebo. Ipſi mihi perſuadet æquitas, cum cetera ſint paria, ſi uni id non licet, multo adhuc minus pluribus ullam inferendam eſſe injuriam. Hactenus animi mei præoccupatio in Concilium potius Epheſinum, & PP. reliquos propendet, quam in unum Neſtorium. Sed ſi rationes perpendo Hiſtoricas,

Deus, ſimul Filius Dei Unigenitus eſt, & inimitabili unionis, quam vocare ſolemus, perſonalis vinculo cum ea conjunctiſ-

---

totamque nuperæ demonſtrationis œconomiam conſidero, video primo, non tantum prætendi, quod Neſtorius vere erraverit, ſed etiam crudiſſimos quoſvis errores ipſi olim ab adverſariis imputatos ſine ſcrupulo in ipſius cenſum denuo referri, e. g. dualitatem perſonarum, negatam unionem perſonalem, ſeparatam ac diſtinctam tempore duplicis perſonæ, humanæ ſc. ac divinæ, in Chriſto ſubſiſtentiam, aſſertam qualemcunque relationem moralem inter utramque naturam ac ſimilia: video ſecundo, ſummo cum rigore ubique tractari ſententias & verba Neſtorii, ubique nil niſi fraudes ac ſimulationes ei adſcribi, nec fortiſſimis illius proteſtationibus credi, ſenſum ubique peſſimum præferri, & eligi; ipſas etiam conſequentias in ipſius rationes tanquam dogmata referri. video tertio, easdem phraſes & formulas in adverſariorum Neſtorii ore & calamo orthodoxas; apud Neſtorium vero erroneas & hæreticas ſupponi; ubi vero is illorum phraſibus ex rationibus nonnunquam ſatis ſpecioſis uti noluit, id ſemper tanquam indicium erroris realis allegari. Has agendi rationes cum Neſtorio ut imiter, hacque via ad demonſtrationem hæreſeos ipſius perveniam, nondum abs me impetrare audeo. Quin potius clara Viri verba, proteſtationes apertas & ſæpe repetitas, intentionem propriis magis illius

ctiſſimus, ut nihil ſit, quod ex ea ſibi non appropriet, quantum hæc unio ejusque finis requirit, atque vere quidem, ſed ratione

---

verbis, quam ex hoſtium interpretatione declaratum, confeſſiones denique illius, ſive primas, ſive noviſſimas ante omnia audiendas eſſe ac retinendas exiſtimo. Si ab horum omnium ſenſu obvio, eosque innocente, nonnunquam etiam tolerabili, vel excuſabili, accuſationes, delationes, interpretationes & imputationes adverſariorum, ſive coævi fuerint, ſive poſtea vixerint, absque neceſſitate extrema recedant, his ipſis diffidendum cenſeo. Dum res hæc omnis per diuturnitatem temporis, per inteſtinas ſectatorum Neſtorii diſſenſiones, per ἀντιπερίστασιν Eutychianæ controverſiæ deinceps ſuccedentem, per intricatas Veterum ac Recentiorum diſputationes facta eſt incertior atque obſcurior, quam, ut a nobis in plenam lucem, quam quidem nunquam habuiſſe videtur, reſtitui poſſit, abſque cujusquam invidia, inſectatione, aut injuria libere ac modeſte de hac quæſtione facti (ipſum enim dogma ſalvum eſt) porro disquirendum diſſerendumque eſſe, plane mihi perſuadeo. Cetera velim componi cum hactenus dictis, quæ de hac materia principibusque ejus momentis inſigni cum judicio S. R. MOSHEMIUS in elegantiſſimis *H. E. Novi Teſt. Inſtitutionibus p. 311. ſeqq.* eodem tempore tradidit, imo eadem non conferri ſolum, ſed etiam præferri meis, quam lubentiſſime patior. Dignam etiam

tione nobis imperveſtigabili, ad ſe non mirabiliter transferat. Deus autem infans, quam humile, quam glorioſum nomen eſt: humile, quia infantis, glorioſum, quia Dei. Adultam ſi humanitatem adſumſiſſet, atque omnibus ætatis vegetæ numeris perfectam, humilitatis tamen id ipſum admirabilis fuiſſet negotium. Sed majus, imo potius minus, eſt, naſci infantem. Si homo adultus ſtatim a primo vitæ principio voluiſſet eſſe dives, potens, totius orbis terrarum Dominus, atque omnibus, quæ

censeo doctiſſ. LA CROZE tractationem controverſiæ Neſtorianæ *Hiſtoriæ Chriſtianiſmi Indorum* a *p. 8.* uſque ad *p. 37.* inſertam, quæ curatius Virorum Doctorum examen experiatur. Erat, cum in *Renaudotianis* ad *Liturgias Neſtorianas annotationibus* aliquid in hac rem præſidii & lucis quærerem: ſed ubique inculcari vide tanquam certum, docere Neſtorianos *unionem Dei & hominis in Chriſto tantum per voluntatem, conjunctionem, non vero ſecundum naturam & perſonam.* At præterquam quod nonniſi ſeriora Neſtorian rum illa ſint monumenta, e quibus ad Neſtorii ipſius doctrinam nulla fieri poteſt concluſio; nimia quoque in ferendis judiciis præſidentia in Viro iſto cetera doctiſſimo impedit, quo minus illius ſententiæ multum hic poſſit tribui. Ne plura nunc addam.

quæ regem decent, opibus & fortunis abundans: ne id quidem caruiſſet humilitate in Filio Dei: quid enim vel maximi hominis gloria cenſebitur, ſi cum dignitate & Majeſtate ejus componatur æterna? Sed longiſſime exilius eſt atque demiſſius, naſci infantem. Porro cogitari poteſt, ſi quidem homo eſſe voluerit, conveniſſe magis illius perſonæ, ut inſtar primi hominis a divinis manibus formaretur, eidemque aptaretur corpus Paradiſiacum: plùs dico: ut acciperet humanitatem glorioſam, ſplendidam, exaltatam, qualem nunc in cœlis habet; imo qualem & nos propter ipſum in beata æternitate poſſidebimus. Sed conſtat, eum naſci voluiſſe infantem, infantem quidem ſanctiſſimum, infantem ab utero matris Deiparæ ſine menſura benedictum: at infantem tamen, & infantem noſtris infantibus, ſi peccatum excipias, ſimillimum. *Quoniam*, inquit Divus Apoſtolus, *pueri participes ſunt carnis & ſanguinis: ipſe quoque conſimiliter eorum factus eſt particeps.* (c) Cogitate, quæſo, AUDITORES. Quid ſit infantem eſſe? Quid ſit naſci infantem? & facile

(c) *Hebr. II. 14.*

cile humiliterque agnoſcetis, ad quam humilem conditionem ſe Dominus gloriæ Deique Filius in hominum gratiam dejecerit. Quod tamen non obſtat, quo minus verum ſit, nihil eſſe in tota hac cauſa, quod non ſit hoc magis admirandum, hoc venerabilius, quo humilius, quo inferius externa ſpecie & vilius eſt. Colligamus igitur, AUDITORES, in pietatis noſtræ nutrimentum ſublimes & pretioſas hujus humiliationis Divini Infantis circumſtantias. Erunt illæ cimelium noſtrum, erunt theſaurus inæſtimabilis, erunt deliciæ noſtræ jucundiſſimæ. Sed tunc erunt, quod diximus, ſi ſub hoc vili cortice nucleum quæramus & inveniamus vere divinum, atque excellentem omni ex parte. Infans eſt JEſus noſter: ſed Deus infans eſt. Habetis ſummam myſterii incomparabilis, imo vere incomparabilis, ſive humilitatem ejus ſpectaverimus, ſive celſitudinem atque Majeſtatem. Si quis devote hanc ipſam contemplatur, totus per eam occupabitur: Si iſtam, totus occupabitur. Si utramque, ut par eſt, & rei dignitas poſtulat, componet atque in pectus demittet, obruet ipſum & plus quam occupabit conjuncta in ſumma humilitate & gloria virtus &

efficacia Myſterii, quam nihil enervat & frangit, quam frigus noſtrum, & triſtis in rebus Spiritus, in Cœli objectis, ſtupor atque inſenſibilitas. Gloria igitur DEI INFANTIS eſt, AUDITORES, quam ex media ejus humilitate undique elucere Vobis nunc oſtendam, quæ tanta vere eſt, ut humanis figmentis ipſius etiam pietatis prætextu ſpecieque aſſuendis nulla unquam ratione indigeat. Demonſtrabimus ergo brevi Oratione *gloriam Chriſto Infanti a Spiritu Dei vere, falſo autem ab hominibus attributam*: id enim argumentum, (quod ut cum pace Veſtra, AUDITORES HONORATISSIMI, fiat, quam maxime cupio) ad præſentem Panegyrin & Paraſceven ſacram delegimus. Si religioſe, ſi attente, ſi conjunctis animis, cum diſſerendo, tum audiendo, ſacroſanctum hoc coluerimus myſterium, nihil dubitabimus, hanc pietatem Deo placere, eamque cœleſti benedictione, quod & humiliter ab Illius Miſericordia rogamus & efflagitamus, apud univerſos ac ſingulos eſſe abundaturam.

Tu vero,
Tu lumen, tu ſplendor Patris,
Tu ſpes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.

Nos quoque, qui ſancto tuo,
Redemti ſanguine ſumus,
Ob diem natalis Tui
Hymnum novum concinimus.
Amen!

In infante, A. O. O. H. in infante recens edito, ex Virgine quidem ſancta, ſed homine tamen, nato, e regia quidem familia, ſed, quod contemtum augere in his caſibus ſolet, ad incitas redacta, nato in ſtabulo, nato paupere, fragili, & mortali, omnibusque aliis infirmitatibus humanis circumdato; in hujusmodi, inquam, infante quis tantam, quis tam divinam & ſublimem gloriam quæreret, niſi Ipſe Dei Spiritus, ipſum Dei Verbum, atque ex eo ſigna ac teſtimonia plane certiſſima, omnique exceptione majora, ad eam nos manuducerent. Hoc enim ſi abeſſet fidei noſtræ fulcrum, vento certe paſceremur & fabulis. Dum contra divinæ huic autoritati ſuperſtructa eſt fides noſtra, immobili ſane illa petræ innititur, quam nec ipſæ inferorum portæ unquam valebunt quaſſare, nedum funditus deſtruere. Pertinet autem primo loco ad DIVINI hujus INFANTIS gloriam ipſa temporum ple-

plenitudo, in qua natus eſt, atque inter homines comparuit. Id non noſtro ex ingenio, ſed Apoſtolo Autore, dicimus. *Poſtquam venit*, Pauli hæc ſunt verba propria, poſtquam venit τὸ πλήρωμα τȣ̃ χρόνȣ *plenitudo temporis*: *emiſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*; *legi obnoxium*, *ut eos*, *qui legi erant obnoxii*, *redimeret*, *ut adoptionem acciperemus.* (d) Eſt hæc Oratio profunda, divinoque ſenſu fœcundiſſima. Venit Dei Filius in carnem tempore a Patre cœleſti ſapientiſſime conſtituto: venit Filius ipſe poſt ſervos, etiam fideliſſimos, ſed peſſime exceptos ab iis, quibus vinea Domini concredita fuerat. Venit, ut impleret promiſſiones ampliſſimas, magnificas, & ſummas ab omni retro tempore per Virorum Dei & Prophetarum chorum humano generi in populo Judaico propoſitas: Venit, ut impleret, quod a nemine alio præter Filium Dei incarnatum impleri potuit, debuitque: Venit eo tempore, quo totum humanum genus in ſpiſſisſimis tenebris, in coeno vitiorum ac ſcelerum, in extrema, uno verbo, ſalutis ſuæ deſperatione jacuit demerſum atque ſepultum,

(d) *Gal. IV. 4. 5.*

tum, jacuit captivatum a Satana & regno tenebrarum, etiam porro atque æternum ſane triumphaturo, niſi hunc Deum infantem, atque in eo hunc Liberatorem & Vindicem, húnc ἰσχυρότερον ſumma Dei miſiſſet φιλανθρωπία, qui homines e tenebris in lucem: ex fœdiſſimis ſordibus in ſanctitatem, ex poteſtate Satanæ in regnum coelorum, ex deſperatione in vivam ſpem ſalutis æternæ reſtitueret. Quis non videt? imo quis non gaudet, ſi pius eſt, ſummam atque divinam gloriam in DEO INFANTE vel ſolam hanc temporis circumſtantiam quaſi digito indice demonſtrare? Hæc gloria ſoli Filio Dei erat promiſſa, ſoli reſervata; in eo ſolo manifeſtanda atque exhibenda erat. Quare & hoc ad illam ipſam hujus INFANTIS gloriam quam maxime pertinet, quod is non ad maximas tantum res natus homo, ſed Deus, atque ipſe Filius Dei eſt cum humanitate iſta, quæ per infantiam coepit exiſtere, intima atque ineffabili ratione conjunctiſſimus. Cum periculoſum ſit & temerarium de coeli myſteriis extra Scholam Dei ipſius loqui, non humanis verbis, ſed divinis phraſibus hoc quicquid eſt, enuntiabimus. De eo, qui *a prnicipio apud Deum*

&

& *Deus* ipſe fuit, *per quem omnia facta ſunt* atque condita, qui *vita & lux* eſt *hominum*, de eo, inquam, profitetur S. Johannes Apoſtolus, illum poſtea in tempore *factum* eſſe *carnem*, ſive hominem, & *habitâſſe* in tabernaculo ſacroſanctæ Humanitatis inter homines, ea apud ipſum emicante *gloria*, ut *tanquam gloria Unigeniti a Patre*, ipſe vero ut *plenus gratiæ & veritatis* ſpectari atque coli potuerit. (e) Auſi quidem ſunt plurimi, quos nominare heic neceſſe non eſt, in alium detorquere ſenſum verba longe clariſſima, atque vere admiranda, ut vel tandem poſt torturas iſtas nihil niſi Chriſtum hominem atque officium

(e) *Ioh. I. 1. ſeqq.* Vidi cum triſtitia animi mei, vel noviſſime ARTEMONIUM in *libro ſupra citato* Socini in hanc partem Evangelii Iohannis affectatiſſimas paraphraſes denuo repetere auſum ut mera ornamenta veritatis, imo ut neceſſariam prorſus hujus loci exegeſin: ſicuti antea animadverteram, *Bibliothecæ Anglicæ Autorem* ejusdem tenoris paraphraſin cuidam tomorum ſuorum inſeruiſſe, tanquam ſibi rarum quoddam cimelium obtigiſſet; quod factum, cum illud obſervarem, vel imputandum cenſui ignorationi Commentariorum Socini, vel malignæ diſſimulationi, affectatiſſimæque. Has ſc. cupedias tunc amabant homines illius climatis. Quam contorta

cium ejus Propheticum ſignificent. Verum tanto cum conſenſu ab illis quoque, qui non ſine ſpecioſis rationibus nimis longe provectæ erga AntiTrinitarios benevolentiæ accuſantur, manifeſtam vim inferri verbis Johannis agnoſcitur, ut iſta quidem contortiſſima interpretatio fidem & pietatem noſtram nequaquam morari debeat. Ceteræ Spiritus S. de hoc myſterio phraſeologiæ ſunt; in forma Dei ſubſiſtentem ſpontanea exinanitione formam ſervi accepiſſe, ſimilem hominibus factum, in ipſo inhabitare omnem Deitatis plenitudinem corporaliter, Deum in carne eſſe manifeſtatum

& improbabilis autem iſta Socini interpretatio fuerit vel ex ipſa Romonſtrantium Theologorum confeſſione manifeſtum eſt apud EPISCOPIUM, LIMBORCHIUM, CATTEBURGIUM obvias. Loca allegare neceſſe non eſt. His tamen addo THOMAM BURNETUM, liberrimi alias ingenii Virum, ſed qui hac in cauſa fideliter retinuit veritatem, ac ſtrenuis defendit verbis. *Qui vero*, inquit, *hæc detorquent ad epocham Evangelii, & creationem metaphoricam ac moralem, ſubterfugium quærunt, quod nullarum eſt virium, aut veriſimilitudinis apud Viros liberalis ingenii, cum nullius ſit aculei, nullius ſaporis, & quaſi identica propoſitio: Chriſtum extitiſſe in principio religionis Chriſtianæ. Tr. de Fide & Officiis Chriſtianorum C. VII. p. 111,*

ſtatum, eum puerum hominibus natum, filiumque datum eſſe; Venienti promtiſſimo obſequio in mundum corpus fuiſſe adaptatum; Jeſum Chriſtum veniſſe in carne: Filium Dei apparuiſſe, ſeu patefactum eſſe, & veniſſe, (f) quorum verborum theſauros ſi jam liceret per temporis anguſtiam luculentiori interpretatione aperire, non ſummam tantum Divini infantis humilitatem, ſed maximam quoque gloriam & majeſtatem facillimum eſſet non modo, verum & jucudiſſimum, oſtendere. Suademus autem, rogamus, & obteſtamur, ut privata pietas cum decenti tantarum rerum meditatione conjuncta, quod inviti fere hic omittere cogimur, cum voluptate ſuppleat atque compenſet. Nec tamen impetrare ab animo noſtro poſſumus, ut plane nihil eorum dicamus ipſi, quæ tam ſanctis ac neceſſariis meditationibus viam ſternere, aut qualicunque ſubſidio eſſe queant. Dum divino noſtro infanti duplex μορφή, forma Dei & ſervi adſcribitur ab Apoſtolo, illa prior, hæc poſterior, id quidem proxime ac directe ad natu-

(f) *Phil. II. 7. Col. II. 9. 1. Tim. III. 16. Eſ. IX. 6. Pſalm: XL. 7. Hebr. X. 5. 1. Ioh. IV. 2. 3. III. 8.*

naturam Filii Dei divinam & humanam, quæ ſemper durant, nec mutantur, haud pertinere, non ignoramus: conſtat interim clariſſime ex his verbis, quod ſolidiſſimis argumentis diligentiſſimeque confirmatis pridem Noſtrates adſtruxerunt Theologi, per μορφὴν Θεȣ͂, per τὸ ἶσα ἐῖναι Θεῷ, divinam gloriam atque Majeſtatem intelligi Θεανθρώπου, atque adeo & DEO noſtro INFANTI, competentem, ſed cujus glorioſo uſu in ſuſcepta a ſe forma ſervi, h. e. durante profundiſſimæ ſuæ Humiliationis ſtatu, abſtinuerit. Inhabitatio totius plenitudinis Deitatis in Chriſto, etiam in minutiſſimo ſenſu, glorioſum aliquid ac divinum indicat; nedum ſi demonſtrari poſſit, ſupponere hæc verba Deitatem Chriſti & arctiſſimam divinæ humanæque naturæ conjunctionem, &, quod ſponte ſua exinde conſequitur, divinorum idiomatum communicationem Chriſto ut homini factam involvere: cumque hæc inhabitatio ab ipſis ſacroſanctæ hujus Humanitatis, initiis locum habuerit, omnis hæc gloria ad Deum quoque Infantem, quem celebramus & colimus, eodem jure redundabit. Quod per miſſionem Filii Dei in carnem Deum quoque in carne manifeſtatum

tum

tum eſſe dixit Apoſtolus, juſtiſſimis de cauſis ad gloriam Dei infantis ſimul referendum eſſe cenſemus. Si dixiſſet, quod pariter veriſſimum eſt, Deum ſe carne humana texiſſe & obvelâſſe, ſciremus, id ad humilitatem Filii Dei prædicandam pertinere. At cum φανέρωσιν, cum manifeſtationem, & quidem illuſtrem, Dei in carne doceat, jubemur ſane cogitare, quòd Deus, h. e. ut aliunde ſatis exploratum habemus, Filius Dei in carne ſua, i. e. humana natura a ſe adſumta divinam ſuam habitare juſſerit gloriam; nec minus, quod in Filio Dei incarnato, in hoc dulciſſimo Immanuele noſtro, a prima illius infantia, & ſic deinceps, ſummo apparuerit gradu, Eum, qui *excelſus eſt & ſublimis, qui habitat in æternitate, cujus nomen Sanctus eſt*, maxima cum φιλανθρωπίᾳ ſe *demittere* velle *ad humiles & confractos Spiritu*, vel, ut Apoſtoli verbis veritatem jucundiſſimam exprimamus, in eo, & per ipſum, *gratiam Dei ſalutiferam omnibus undique hominibus debuiſſe illuceſcere.* (g) Et quis ignorat? vel, (ſi id nimis libere ac præter veritatem dictum videatur) quis jure

(g) *Eſ. LVII. 15. Tit. II. 11.*

jure ignorat, Scripturæ S. tabulas in hac ipſa Divinitatis cum humano ſanguine cognatione ſummum amorem, ſummam gratiam, ſummam & conſummatam demonſtrationem quarumvis perfectionum divinarum per omnem ſuum ambitum collocare & commendare? Hæc maxima Dei infantis, vel, ſi id malumus, Dei Hominis gloria: hæc ſalus noſtra, hæc vita, hoc ſolatium, hoc omne denique decus noſtrum atque præſidium eſt. Audivimus ſupra Prophetam dicentem in Spiritu fatidico: *Natum nobis puerum*, *filium nobis datum eſſe*: quas diſtinctas voces graves etiam Viri doctiſſimique Exegetæ eo ſunt interpretati, ut crederent, nomina pueri & filii ad diverſas illuſtris hujus perſonæ naturas pertinere, puerum Dominum reſpectu humanæ, Filium reſpectu divinæ & præſtantioris naturæ appellari. (h) Id, cum aliis Viris

(h) *Eſ. IX. 5.* ad quem locum ſic ſcripſit VITRINGA, quem hic exempli loco allegamus. *Jam vero alterum illud: Filius datus eſt nobis: annon eadem phraſis eſt, qua de ſe loquens Chriſtus ipſe, aut de Chriſto loquentes Apoſtoli uſi ſunt? Quis enim hæc legens non meminerit vulgati dicti Domini, Ioh. III. 16. IV. 10. ac Iohannis c. I. 12. & Pauli. Gal. IV. 45. Intelligimus inde, vocem Filius hic acci-*

Viris doctis incertum videatur, hoc loco non ultra urgebimus, quamvis haud temere cogitationes ejus generis deſerendas eſſe, ſit nobis perſuaſiſſimum. Ideo tamen eas nunc dimittimus, quia non deficiunt certa & explorata, quæ majore cum fiducia communioreque conſenſu ad tuendam veritatem glorioſiſſimam proferamus. Percipite tantum, AUDITORES, percipite cum admiratione & pietate, quam illuſtres titulos, quam divina ornamenta Infanti huic nato, dato huic Filio Propheta ſanctiſſimus adſcribat. Continuo ſubjicit: *humeris ejus Principatum impoſitum*, eſſe ipſum *Mirabilem*, eſſe *Conſiliarium*, *Deum fortem*, *Patrem æternitatis*, *pacisque Principem*: Addit

---

piendam in ſumma emphaſi pro Filio Dei; Filius enim Dei cum dicatur, ratio ſuadet, ejus intelligi Filium, a quo datus eſt. Atqui datus eſt, nec dari potuit ab alio, quam a Deo. Certe, quando in Evangelio abſolute & in emphaſi Filius dicitur, vere ſic appellatur cum reſpectu ad divinam naturam. T. I. p. 247. V. omnino & *ſeqq.* Conf. SEB. SCHMIDIUS, cujus eadem eſt ad hunc locum obſervatio *p. 102.* DORSCHEUS contra in *Analyſi enthearum Eſaiæ Prophetiarum p. 44.* nihil hujusmodi annotavit, Eſt tamen ea, quam diximus, communior Veterum & Recentiorum expoſitio.

dit idem, *amplitudini Principatus ejus, & paci, nullum eſſe finem, ſuper thronum Davidis, & ſuper regnum ejus ad confirmandum illud faciendumque per judicium & juſtitiam.* Quàm glorioſa autem, quam divina hæc ſint, cum verba ipſa vel ſine interprete clamant, tum quotannis in ſacris coetibus, his ipſis ſacratiſſimis, quas jam ingredimur, feriis docent, inculcant, & explicant publici Eccleſiarum Miniſtri. Divinam perſonam, divinas dotes, divinum officium, divina denique dona atque beneficia, in DEO INFANTE deſignari, omnes facile intelligunt, atque utinam tam facile amplecterentur, colerent, atque ad ſalutem animæ ſuæ converterent, quam facile intelligunt. De ceteris Scripturarum teſtimoniis ſupra indicatis, cum alia adhuc ſuperſint dicenda, & Veſtræ parcendum ſit, AUDITORES, patientiæ, tacere cogimur.

Vix autem aliud quicquam eſt, quod gloriam Divini Infantis, quem prædicamus, clarius oſtendat, ſolidius demonſtret, inſinuet vividius, atque efficacius imprimat, quam ipſa admirandæ Nativitatis Domini Hiſtoria, quæ divina ſimplicitate non mi-

nus atque Majeſtate omnem rem geſtam, & in iis maxima Cœli arcana deſcribit ac recitat. Quanta cum veneratione excipi dignum eſt, quod Angelus Domini futuram divini hujus infantis conceptionem B. Virgini annuntians non modo *magnum, Filiumque Altiſſimi,* ac *Regem æternum* eum appellavit, ſed etiam adjecit myſterii explicandi cauſa, fore, ut *Spiritus S.* in Virginem *ſuperveniat,* & *Virtus Altiſſimi,* (h. e. ut judicioſiſſimi Viri hæc verba probabilibus admodum rationibus inducti intelligunt, ipſe Dei Filius) *ipſam obumbret*? (i) Divinum hunc infantem in utero virginali adhuc deliteſcentem *Domini ſui* honorifico nomine, impellente Spiritu, ſancta coluit Femina, felix Johannis Baptiſtæ mater, qui & ipſe inter iſta mirabilia, materno incluſus utero, ἐν ἀγαλλιάσει & gaudio, motu certe non mere phyſico ac naturali, ſed ſupernaturali atque a Dei Spiritu excitato, ſubſultavit, non ſine omine atque præſagio, quantam lætitiam, quam uberem exultandi in Spiritu materiam hic DEus Infans quibusvis hominibus, iis maxime, quos cœleſtis harmonia cum eo per gratiam

(i) *Luc. I. 35.*

tiam conjunxerit, ſit aliquando allaturus. (k) Divino huic Infanti Imperator Auguſtus, dirigente Providentia incomparabili, mandata ſua, ignorans quidem, attamen vere ſubordinavit, majori quippe eo celſiorique, qui inter homines, imo qui inter Principes erat longe maximus atque celſiſſimus. Divinum hunc Infantem ipſe locus nativitatis, ad quem ſumma eum deduxit Sapientia, pulcherrime ſignavit: hoc ipſo enim indicio clariſſime conſtitit, præter hunc ortum temporalem illum habere exitum à diebus æternitatis, illum eſſe verum atque genuinum Iſraelis Dominum, Servatorem promiſſum, Chriſtum Dominum in civitate David. (l) Divini hujus infantis primam lucem non tormenta quidem vel machinæ bellicæ exploſæ, non reſonantes per urbem campanæ, non ſtrepitus & jubila aulica prodiderunt: ſed, quod majus erat, & huic cœli terræque filio convenientius, glorioſiſſimus Angelus, multitudine ſplendida cœleſtium exercituum ſtipatus, gloria Domini pios Paſtores circumfulgente, inter

(k) *Luc. I. 43. 44.*

(l) *Mich. V. 2. Matth. II. 6. Luc. II. 11.*

ter cantica cœlo potius, quam his terris, digna annuntiavit. Idem chorus angelicus in honorem divini hujus infantis recens nati ſcire homines voluit, ex ipſo atque per ipſum *gloriam in Altiſſimis Deo, ſuper terram pacem, atque in homines beneplacitum* ſuaviſſime exoriri, & largiſſime abundare, ut vere factum & hic dici poſſit, quod Paulus alias Apoſtolus Filio Dei applicavit, ſc. cum introduceretur hic *Primogenitus in orbem terrarum, omnes Dei Angelos ipſum adoraſſe.* (m) Hæc magnalia metiri certe non

(m) *Hebr. I. 6.* Non ignorabam, ipſos etiam noſtræ Confeſſionis interpretes haud eandem tenere de ea quæſtione ſententiam: quænam ſit illa iterata εἰσαγωγὴ ſive introductio Primogeniti in Orbem? SEB. SCHMIDIO e. g. de incarnatione Chriſti Domini, DORSCHEO contra de illius exaltatione verba iſta exponentibus. Sed cum huic loco non conveniret, multas & intricatas formare diſputationes exegeticas, ſufficiebat mihi pro inſtituti ratione monuiſſe, poſſe veriſſime dici, adoratum eſſe Filium Dei ab angelis Dei, eum naſcendo in mundum introduceretur, ſicut id alias de ipſo in *epiſtola ad Hebræos* dictum eſt. Præcipua de cetero, niſi fallor, difficultas eſt in voce πάλιν, cum difficile ſit intelligere, quomodo iterum in orbem introductus dici poſſit Filius Dei, ſi de incarnatione locum iſtum exponamus: hæc enim

non licet frigore & negligentia hominum plerorumque tunc viventium; ſed ex Cœli fervore, ex cœli ſententia & applauſu, quanta hæc res fuerit, judicandum. Huic teſti avthentico Gloriæ Dei infantis cum volu-

---

non iterata, ſed prima illius fuit introductio. Quod a nonnullis de introductione prophetica per repetita de Meſſia in mundum venturo vaticinia monetur, aliis contra durum ac minutum videtur. Forte hic pro more ſuo difficiliores, quam neceſſe eſt, Viri Eruditi ſe exhibent. Quod vero ex altera parte objicitur, quamvis Chriſtus a momento conceptionis fuerit ἐν μορφῇ τοῦ Θεοῦ, intercesſiſſe tamen κένωσιν, nec formam Dei uſurpatam eſſe, unde nec inceſſanter ac indeſinenter in ſtatu exinanitionis Chriſtus ſecundum humanam naturam ab Angelis adoratus fuerit; &c. id fateor, ſi cetera eſſent paria, me non moraturum, quo minus verba iſta de incarnatione Filii Dei exponerem: ut enim hoc verum ſit, non erat neceſſe Chriſtum hominem inceſſanter per omnem exinanitionis ſuæ periodum ab angelis ſolenniter adorari; ſufficiebat plane, quod id nonnunquam, & tum maxime, cum hunc mundum intraret, factum ſit. Illa vero cantica angelica, quæ in Hiſtoria nativitatis Domini recenſentur, ſpeciem quandam adorationis extitiſſe, negari utique non poteſt. Sed, ut dixi, nihil nobis hic definiendum ſumere voluimus.

voluptate & promtitudine credendum eſt. His omnibus ſi addamus magnificum & vere divinum B. Virginis Canticum, Simeonis Prophetias, ſtellam Magorum Orientalium, cultum Jeſu infanti ab his præſtitum, aliaque id genus plura, ſic ſatis, literam ſi ſpectemus, ab omnibus admiſſa & cognita; usque adeo neceſſe non eſt, in pluribus argumentis aliunde congerendis peregrinum quærere præſidium, ut ne iſtis quidem, quæ modo delibavimus, exhauriendis vel tempus præſtitutum, vel humanum ingenium, qualecunque ſit, ſufficiat.

Hactenus tam firmis rationibus aſſertam, tam dulcem & pulchram nativa ſua ſpecie Dei infantis gloriam vidimus & exoſculatiſumus, ut cum fiducia & ſatietate ab alienis ac peregrinis coloribus abſtineamus ipſi, & aliorum quoque acceſſiones, ſed neceſſaria ac divina autoritate deſtitutas, quamcunque præ ſe ferant ſpeciem, fugiamus ac evitemus. Meminiſtis procul dubio, A. H. & ex me ſtatim ab initio audiviſtis, falſam quoque gloriam JESU INFANTI ab hominibus tribui, quam divinum Verbum ignorat, quam ſpuriam eſſe, vel certæ rationes confirmant, vel produnt ſuſpiciones veriſimillimæ.

limæ. Fidem meam ut liberem, aliquot exemplis hanc etiam Orationis noſtræ partem illuſtrabimus. Neque enim minorem in his fœcunditatem oſtentat humana ſive credulitas, ſive ſapientia, quam ea eſt, quam vere, quam liberaliſſime divinis in theſauris reperiri, pietas & religio ſibi penitus perſuadet. Non dicam multa de antiquiſſima illa hæreſi, quæ Chriſto humanitatem nativitatemque noſtræ ſimilem hoc maxime titulo abjudicavit, quod non deceret Filium Dei his ſordibus noſtris inquinari. Poterat videri, hos homines de puritate & gloria Domini Jeſu ſollicitos noluiſſe quidquam ei adſcribere, quod cum illa conciliari haud poſſe animadverterent. Nos vero id, quod vere Deo glorioſum & honorificum eſt, non ex rationibus decori ab humano ingenio confictis pictisque, ſed ex divino teſtimonio atque autoritate æſtimamus. Ibi contrarium doceri & per omnes paginas extare,Sole clarioribus verbis hactenus edocti ſumus.Non docet hæc opinio, ſed ſeducit:non adſtruit, ſed evertit: non conſolatur, ut Verbum Dei ſolet,ſed ſuaviſſimum, quod ex Incarnatione Filii Dei ad nos redundat,ſolatium, præpoſtera ſapientia nobis eripit. Ad quam ineptas conſequentias hu-

jusmodi ſuperſtitio deducat, non male adverſus Anabaptiſtas ſimilia iſtis olim docentes ſubtilis demonſtravit EPISCOPIUS. *Si velint*, inquit, *conſequentiam illam procedere, tum neceſſe eſt nihilominus, ut ipſi fateantur, carnem Chriſti peccatricem carnem factam eſſe, dato etiam, at non conceſſo, Chriſtum carnem & ſanguinem ſuum naſcendo ex Maria non habuiſſe. Ratio eſt, quia certum eſt, carnem iſtam Chriſti, undecunque tandem prodierit, lacte Mariæ altam & nutritam eſſe. Luc. XI. 27. Lac autem puriſſimus ſanguis matris eſt. Sanguine E. peccato infecto ſanguis Chriſti peccator ſanguis factus ut fuiſſe dicatur, neceſſe eſt, & quia ex ſanguine caro fit, caro etiam peccatrix facta fuerit.* (n) Tanti conſtat, AUDI-

(n) V. Epiſcopii *Inſtitut. Theolog. L. IV. C. IX. p. 421.* Recentior ceteroquin, ſed communis & publica Mennonitarum de Incarnatione Filii Dei ſic ſonat: *Deus propoſitum, quod apud eum erat ante jactum Mundi fundamentum, ut mundum, quem videbat iræ divinæ ſubjectum fore, ſibi conciliaret, in plenitudine temporis executus eſt, eumque in finem æternum ſuum Verbum, ſeu Filium, ut implerentur promiſſa Patribus facta, e cœlo miſit, qui in corpore S. Virginis Mariæ caro ſeu homo factus eſt per admirandam Dei potentiam, & incomprehenſibilem Spiritus ejus Sancti operationem: non quidem eo modo,*

AUDITORES, extra Verbum Dei in rebus hujusmodi ſapere. Miror autem, apud Proteſtantes quoque Theologos non unam ejus generis quæſtionem de Partu Virgineo & Nativitate Salvatoris legentibus occurrere, quin imo integris *Diſſertationibus* ventilari, quæ quidem aliquam intentionem glorificandi id myſterium præ ſe ferre videntur, ita tamen, meo tenui judicio, comparatæ ſunt, ut abeſſe poſſint, imo debeant, a doctrina tam venerabili, & a nemine niſi cum ſumma reverentia quam modeſtiſſime prudentiſſimeque tractanda. Hac mente, hocque ſtudio eas ne velim quidem Hiſtorice nunc recitare, ſpero autem, Vos, AUD. HO-

---

quod divina Verbi eſſentia, aut aliqua ejus pars in viſibilem & mortalem carnem mutata ſit; & ſic deſierit eſſe Spiritus, Deitas, ſive Deus: ſed ita, quod æternus Dei Filius manens, quod antea erat, nempe Deus & Spiritus, factus eſt, qucd non erat, nempe caro, ſive homo. Atque ita idem ille Jeſus Chriſtus eſt noſter Immanuel, in eadem perſona verus Deus, & verus homo, ex Mariâ natus, viſibilis & inviſibilis, externus & internus, verusque Dei viventis Filius. Confeſſ. c. IIX. ap. Herm. Schyn *Hiſtor. Mennon. p. 181.* Vix tamen dubium eſt, ſupereſſe aliquos, qui veterum Anabaptiſtarum errores craſſiores adhuc hodie tueantur. Conf. CATTEBURGIUM *Spicileg. p. 339. ſeqq.*

HONORAT. Veſtro approbaturos ſuffragio, quæ alio loco de eadem cauſa ſincere docui. Hæc mea erant verba: *Quid* quæſo opus eſt curioſis hujusmodi quæſtiunculis, quæ neminem ædificant, profanis autem & ſciolis irriſionis ac temeritatis occaſionem ſuppeditant, quam ſtudio Sacer Hiſtoricus ſua brevitate & gravitate præſcindere voluiſſe videtur? Cogitandum præterea eſt, non puduiſſe Salvatorem humillimum humanæ miſeriæ. Cogitandum, quod miraculoſe conceptum claris verbis ſacra commemoret Hiſtoria, miraculoſe natum eſſe, non dicat. Cogitandum, corpus Dominicum infantile tum temporis glorioſum non fuiſſe, ſed noſtris ſimile. Denique in ſpecie cogitandum, ſimilitudinem Solis radios ſuos per vitrum diaphanum transmittentis, qua illuſtrare nativitatem Dominicam quondam ſolebant, vix ulla ratione ad cauſam *præſentem quadrare*. Sunt hæc parva & exigua, ſi comparentur cum bullis & ornamentis aliorum, qui pietatem ſuam eo glorioſiorem fore exiſtimarunt, ſi mirificis circumſtantiis ſimplicem S. Literarum de Nativitate Chriſti Domini narrationem amplificarent, expolirentque. Forte hujus rei ne mentionem quidem in publica

hac

hac Panegyri, in ſolenni tot Virorum graviſſimorum Cœtu, facerem, niſi conſtaret, ab hujusmodi traditionum Autoribus cœleſte oraculum ac divinam autoritatem prætendi, quod, etiamſi falſum ſit, & inane, notari tamen & expendi meretur a Sapientibus. Non onerabo vos nimia, AUDITORES HONORATISSIMI, copia; permittetis tamen pro veſtra humanitate,ut dicam neceſſaria atque præſenti inſtituto aptiſſima. Cœlitus nimirum apertum dictatumque prætenditur, inter multa alia, quæ nunc taceo: Eo, quo in virginali utero concipiebatur divinus Infans, tempore totius cœli commotionem factam, Solem, Lunam, & ſtellas novam accepiſſe lucem: aves ſingulari alacritate ad cantum excitatas, plantas & arbores fructibus ac odore auctas, omnes, uno verbo, creaturas occultam quandam & vivificam mutationem ſenſiſſe. Poſtquam B. Virgo partui vicina & fruſtranea per maximam noctis partem domicilii quæſitione delaſſata cum Joſepho ad antrum ſuburbanum Bethlehemiticum divertiſſet, manibus angelicis (multa enim angelorum millia humana & viſibili forma præſto fuiſſe dicuntur) manibus, inquam, angelicis quam diligentiſſime

tiſſime perpurgatum, ſplendidoque lumine undequaque illuſtratum, eam deinceps poſt unius horæ ecſtaſin, glorioſo vultu renidentem, flexis genibus, manibus ad cœlum elevatis, ſine apertura, Filium ſuum primogenitum glorioſo corpore, quale in Monte habuit, præditum peperiſſe, hunc autem recens editum manibus primum Archangelorum, Gabrielis atque Michaëlis, exceptum, matrique deinde traditum fuiſſe, flexis adhuc genibus primum cultum atque adorationem Infanti divino humillime mox præſtituræ. Scil. non minora dici ab his Scriptoribus decebat de Filio, quam prius dixerant finxerantque de ipſa Matre. Connectendæ erant fabulæ & fraudes piæ, ut pluribus placerent. Audite, quæſo, quid his Autoribus in mentem venerit. Docent, ipſam quoque B. Virginem in medio raptu a matre in lucem fuiſſe editam, ne Principiſſa cœli uſu rationis jam tum prædita naturales partus ſequelas eo tempore ſenſibus ſuis perciperet. Docent porro, per angelos & quidem juſto ordine diſpoſitos infantem Mariam recens genitam in cœlum eſſe deportatam, a Filio Dei ut futuram ſuam matrem ſummis honoribus exce-

ptam,

ptam, ad latus dextrum throni ſui collocatam, atque in jus maternitatis, in jus Reginæ omnium Creaturarum immiſſam, porro fuiſſe SS. Trinitatis decreto Mariæ nomen inditum, hancque Cœli voluntatem eſſe Parentibus illius SS. Angelorum miniſterio declaratam. Talia ac tanta cum in honorem Virginis Matris profiteri auſint Legendarii, æquum ſane fuit, ut nativitas Filii paribus ad minimum privilegiis & honoribus ornaretur. Sed ubi pudor, ubi religio, ubi reverentia nominis divini, ubi fides ſalva manet & ſuperſtes, cum pietati Chriſtianorum per hujusmodi libertatem, imo per hujusmodi licentiam fingendi temere illuditur? illuditur, inquam, tam aperti enim errores, tam craſſæ fabulæ, tam numeroſa mendacia (quod aliis quoque ſpeciminibus vere luculentis aliquando demonſtraturi ſumus) libro iſti, ex quo hæc omnia fide optima decerpſimus, omnem prorſus fidem detrahunt, ut non poſſim absque horrore & deteſtatione de iſta profanatione divini nominis cum hiſce fraudibus & impoſturis conjuncta cogitare. Hujusmodi fabulæ male conſarcinatæ, quamcunque ſpeciem habeant apud ſimpli-

ſimplices & ſuperſtitioſos homines, peſſimos tamen reipſa ferunt fructus. Præterquam enim, quod optimi quoque lectores, qui has fabulas ſibi patiuntur perſuaderi, in erroribus majoris quoque momenti admixtis confirmantur: dici non poteſt, quanta & quam infelix hominibus profanis, irriſoribus, & incredulis cavillandi ridendique exhibeatur materia.

Unum addo exemplum prioribus quidem ex parte cognatum, ſed aliquanto ſpecioſius, forte etiam innocentius. Sunt, qui hoc ad gloriam infantiæ Chriſti Domini pertinere exiſtiment, ut præter communem infantium ſortem plenum perfectumque rationis aliarumque facultatum & virium animæ atque corporis uſum a primo nativitatis ſuæ momento habuiſſe credatur. Nec inficias ire velim, fieri poſſe, ut mentem etiam minime ſuperſtitioſam ſollicitet ſcrupulus de indigno Filio Dei infantiæ ſtatu, ſi is, ut in ceteris infantibus, cum corporis, tum animi ratione, quævis incommoda ætatem iſtam prementia expertus fuerit. Verum res iſta non pendet a noſtris ratiocinationibus & conjecturis. Spiritus Dei in revelatione certa & ex-

plorata

plorata conſpicuus arbiter & judex eſt. Ante omnia certum eſt, ſtatum infantiæ non eſſe neceſſario cum vitio & peccato conjunctum. Hoc enim ſi vitari non poſſet, neque conjugium in Paradiſo habuiſſet locum, quod tamen ibi Deum inſtituiſſe nemo ignorat, neque licuiſſet Chriſto Domino ea conditione naſci. Etiam illud certum eſſe debet, ſtatum infantiæ communionem cum Deo, divinique Spiritus efficaciam & operationem in illa ætate non excludere. Si res ſecus ſe haberet, non certe apparet, Filium Dei ejusmodi conditionem potuiſſe ſubire, in qua omni cum Deo actuali commercio, divinique Spiritus ſanctiſſimis influxibus ipſi in Sacroſancta ſua humanitate fuiſſet carendum. Quare & contrarium exinde a Theologis evincitur, atque inſtar exempli inſignis Anabaptiſtis quoque obvertitur, fieri omnino per ætatem infantilem poſſe, ut illa cœleſti Spiritus gratia ſanctificetur, atque adeo divini fœderis capax habeatur. Nec tamen ex ea doctrina conſequitur, divinum hunc infantem vel in utero matris adhuc latentem, vel poſtea, pleniſſimum omnium ſuarum facultatum uſum habuiſſe. Hoc enim ſi voluiſſet Dominus, ei ſane minime

conveniebat naſci infantem, & tamen naſci ab omnibus infantiæ incommodis naturalibus plane alienum, ſive, quod idem eſt, naſci infantem non infantem. Id nusquam docet Scriptura, quæ potius infantem Dominum creviſſe, Spiritu corroboratum, & Sapientia (ſucceſſive ſc.) impletum fuiſſe commemorat. Sed ex altera etiam parte noſtrum quoque non eſt temere definire, aut nimis libere deſcribere, quousque hic ſtatus infantilis Chriſti Domini, non lege neceſſitatis, ſed ſpontanea humiliatione ſuſceptus, in internis maxime, & ratione animæ illius proceſſerit? Sufficit res ipſa, ut ex hoc quoque ſpecimine diſcamus ſummam Filii Dei erga nos charitatem, ſummam & incomparabilem κένωσιν & abnegationem donorum habitualium excellentiſſimorum, quibus ſuo jure ſemper frui potuiſſet Sacroſancta ejus Humanitas, ſanctificationem quoque noſtræ ætatis infantilis per divinam illius Infantiam; quæ univerſa huic Deo Infanti glorioſa, nobis lætiſſima ſunt atque ſaluberrima.

Non deficerent alia id genus plura. Sed cum hæc noſtra Panegyris non eruditioni aut curioſitati, verum pietati maxime & re-

ligioni

ligioni data ſit, non ſane committemus, ut illa potius, quam iſta, ex hactenus dictis alimentum accipiat. Supereſt igitur, ut Gloriam DEI-INFANTIS non uno argumento demonſtratam & vindicatam in ſanctos & perpetim valituros uſus religioſe convertamus. Omnes ac ſinguli ut hoc officium noſtrum faciamus ſtrenue, faciamus fervide & conſtanter, ſuadeo ut Orator, jure Theologi moneo, & ſi quid Paſtoralis ſollicitudinis in mea perſona conjunctæ transferre in hunc locum liceat, obſecro atque rogito. Relegamus igitur, AUDITORES, veſtigia noſtra, & quanta vis rationum, quam blanda perſuaſio, quam valida obligatio ex iis, quæ diximus, animum noſtrum invadat & obruat, haud inviti perluſtremus. Natus eſt divinus Infans in plenitudine temporum: orta eſt lux iſta in ſpiſſiſſimis tenebris: venit hæc ſalus in extrema deſperatione ſalutis. Quisquis igitur negligit & contemnit opportunum hoc gratiæ tempus, hanc horam viſitationis gratioſæ, hanc unam & in alio nemine reperiendam ſalutem, is odio habet animam ſuam; is amat tenebras magis, quam lucem; is erga Salvatorem extenſis brachiis ad perituros, & perituros quidem cer-

tiſſime, perituros ſine omni auxilio, advolantem duriſſimus & ingratiſſimus eſt. Neſcit, a quo malo liberatus ſit, a quo præcipitio avulſus, e cujus mortis & interitus faucibus ereptus; Neſcit, iterum dico, quam viciuns ſit inferno, quam certum Satanæ mancipium, quam nigro ☉. jam notatus damnationis æternæ candidatus, qui Liberatorem tam neceſſarium, tam unicum, tam opportunum denique non ambabus ulnis excipit, avidiſſime exceptum non amplectitur, & amplectendo tenet firmiſſime. Sin Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ (liceat magna componere majoribus) divino munere concederetur hæres maſculus, nonne hoc cœli donum eo majore cum jubilo & gratulatione reciperent univerſi, quo ardentius id deſiderant, quo diutius jam expectatur, quo triſtior & feralior illius jactura vel abſentia potius toti Germaniæ, & quid dico: Germaniæ; toti Europæ Chriſtianæ certo certius eſt aliquando extitura? Magnum hoc eſſet Dei beneficium. Sed quantulum eſt, ſi id componamus cum Filio Dei, cum donatione illius, de quo dictum eſt: *Non eſſe in ullo alio, quam in ipſo, ſalutem, nec aliud nomen eſſe ſub coelo, quod datum ſit inter homi-*

homines, per quod oporteat nos ſervari? de quo dictum eſt cum gaudio Spiritus ab homine, qui cœlitus illuſtratus hoc beneficium recte intellexit, gratiſſimaque mente celebravit: *apparuiſſe ipſum ut Solem orientem ex alto in tenebris & mortis umbra ſedentibus, ut eorum pedes in viam pacis dirigeret?* Audiviſtis porrò, placuiſſe Deo Salvatorem nobis dare infantem. Naſci voluit Filius Dei. Id cauſa ſalutis noſtræ eſt. Quis vero dubitet, exempli atque imitationis cauſa pariter id factum eſſe? Sæpiſſime ad infantes humaniſſimus Salvator ſuos allegavit diſcipulos, ut ab iſta ætate diſcerent humilitatem, modeſtiam, ſimplicitatem & virtutes alias. Quidni ipſius Domini infantiam in ſpeculum atque exemplum nobis proponamus? Quidni ab hoc Deo Infante plura & præſtantiora docebimur, quam a ceteris omnibus? Hæc infantia ſacroſancta noſtra vita, noſtra denique cenſura eſt. Divinus hic infans a primo ortu fuit ſanctus vel ſanctum Domini. Utinam & nos pari gradu, & per eosdem annales ſemper numerare poſſemus ætatem gratiæ, quo numeramus annos naturalis vitæ noſtræ! Si hoc non licet, diſcamus adulti ab infante JESU conſecrari

Domino, ut ad minimum per reliquos vitæ noſtræ dies per ſpiritualem infantiam ingrediamur vitam divinam, cœleſtem, & filiis Dei dignam. Memini me legere, fuiſſe aliquos, qui pietatem Chriſtianam promoturi inter ſuos præcepta & regulas ab Infantia Domini JEſu maxime deſumerent, ac ſingularibus libellis complexi ſunt, quæ ad ſanctiſſimam illam praxin pertinere cenſuerunt. Non opus eſt noſtros ad iſtam Sodalitatem deducere. Bona, ſalubria, & Chriſtianæ religioni conſona ibi doceantur quam plurima; ſi etiam rivi iſti non placent, nec ad noſtra prata irriganda ſunt vel deſtinati, vel idonei, hauriamus optima quæque ex ipſis fontibus communibus, & imitemur archetypam imaginem, quæ nos fallere non poteſt. Infantia Salvatoris noſtri quam diu dirigitur ad inſtillandam regenerationem, quæ ex Deo eſt, ad docilitatem in ſequendis ductibus divinis, ad humilem a Spiritu Dei dependentiam, ad ſimplicitatem & demiſſionem animi, ad innocentiam & puritatem ab inquinamentis ſeculi, aliaque ornamenta animæ ſimilia: tam diu certe infantiam Jeſu Chriſti rectiſſime colimus, veneramur, & imitamur, ut par

eſt,

eſt, & ſanctiſſimum hoc pietatis myſterium requirit & poſtulat. Vidimus hactenus, quid humilitas infantiæ Domini nos doceat. Nec tamen ſufficeret iſta cordi noſtro ſubigendo, niſi glorioſa & divina eſſet hæc infantia. Cogitemus ergo, Dei Filium ſe ex noſtri amore ad infantiam uſque demiſiſſe. Hæc meditatio omnem ſuperbiam reddit abominabilem. Tu ne, ô miſer homo, haud vereris inflato corde ad coelum uſque, non amicus, ſed hoſtis, te attollere, dum vides, ipſum Dei Filium non ad ſimilitudinem ſolam naturæ humanæ, ſed ad ipſa uſque viliſſima naturæ humanæ principia deſcendiſſe, non coactum aut invitum, ſed ſapientiſſimo conſilio, ſed ad ſanandam hanc tuam ſuperbiam incomparabili charitate inclinatum. Certe non Luciferos, non inflatas Bullas, non accenſos infernali foco & in altum ſublatos ignes fatuos, ſive, quod eodem redit, non homines ſuperbos & faſtuoſos, ſed humiles, ſed infantes Spiritu, qui DEI INFANTIS in ſincera demiſſione expreſſerunt imaginem, in æterna illius ſocietate & communione videbimus. Divinus hic Infans noſtri amore & ſacerdotali ſacrificio cœleſtia

ſtia

ſtia quoque dona & glorioſa abnegavit, eorumque uſu aperto & ſplendido ſe abdicavit, quem ſine peccato potuiſſet retinere. Quam triſte autem & acerbum eſt, quod nos homines nobiliſſimis gratiæ donis culpa noſtra privati ſumus, quod faſtidimus ex peſſimis rationibus dona Dei, quod ea ægre admittimus, quod admiſſa impuritatibus noſtris polluimus, & nonniſi difficillime retinemus, quod illis, quaſi ad nos proprietatis jure pertinerent, turpiſſime abutimur, quod ea denique in materiam periculoſiſſimorum peccatorum non raro convertimus. His malis expiandis reparandisque cum deſtinata fuerit Θεανθρώπȣ Κένωσις & exinanitio, ingratiſſimi mortalium ſumus, niſi culpam noſtram humiliter agnoſcimus, ex una Ejus plenitudine gratiam ex gratia ardenter anhelamus, utque omnia, quæ illius dono ab ipſo accipimus, munera in Ipſius manus & poteſtatem fideliter reſignata, puro corde ſervata, gloriæ ejus conſecrata, cum fœnore plurimo & cum gaudio reddere queamus tam clementi Domino, per omnem vitam noſtram ex totis viribus elaboramus. Divinum, quem celebramus & adoramus, Infantem, infantem licet, ſumma

ſumma cum lætitia, devotione, & pietate exceperunt pauci, qui tum vixerunt, fideles, Liberationem in promiſſo Meſſia & Salvatore avidiſſime expectantes. Potuiſſent, ſi carnem & ſanguinem voluiſſent conſulere, in contrarium moveri affectum ſpectaculo infantis. Fuerit promiſſus Liberator hic infans. At creſcere & adoleſcere debuit per multos annos, debuit occultari & latere, ac vel tandem poſt longum ſatis intervallum inſtar Solis ſub ſpiſſis nubibus abſconditi ſenſim ſenſimque iterum prodire & emergere. Quantum hæc ſpecies infantilis fruſtrari videbatur tam diu jam aliâs dilatam ſalutem? quam parum reſpondere deſiderio & expectationi bonorum, eorum maxime, qui prævidebant, ſe per ætatem ſuam ad ſpectanda in his terris Mirabilia hujus Liberatoris non eſſe perventuros? Verum enim vero hoc pulchrior & inſignior erat magnanimæ eorum fidei victoria, quæ exiguos hos dies (utor voce Prophetica in re ſimili adhibita) propter externam eorum ſpeciem non contemſit, quæ primam Solis hujus orientis auroram tam reverenter coluit, quæ, cum nil niſi infantem in ulnis geſtaret, videretque,

hilari cum certitudine, & perſpicaci oculo divinitus illuſtrato, plenam illius Gloriam, quaſi jam adeſſet, proſpectavit. Quid vero nos facimus? Primum, ſalutem noſtram ſæpe ne deſideramus quidem. Deinde, ſi cœpimus eam deſiderare, deſideramus turbulentiſſime atque impatientiſſime. Porro, ſi, ſapientiſſime providente Deo, appropinquet hæc ſalus, & gradatim adveniat, parvum, imo nihil, hoc eſt in oculis noſtris, & parum abeſt, quin caro noſtra, ſe hiantem deluſam eſſe, vel impudenti, vel timida, imperioſitate conqueratur. Patiamur, AUDITORES, aliis longe præceptis in hac Schola, quam aperuimus, nos imbui. Diſcamus, nos minima Dei gratia indignos eſſe. Diſcamus vel miculas cœleſtis menſæ magni æſtimare, atque avide colligere. Diſcamus, principem cauſam neceſſariæ illius gradationis in diſpenſatione gratiæ non in Deo, ſed in nobis hærere ipſis. Diſcamus magnalia DEI ex ipſis eorum principiis ſapienter judicare. Diſcamus denique etiam morientes, & nihil eorum, quæ in hoc quoque mundo ad gloriam Salvatoris noſtri amplificandam ſuperſunt, vivendo attingentes, tamen hæc omnia in materiam ſpei & triumphi convertere. Divinus noſter infans

glo-

gloriam & humilitatem ſuam ſapientiſſime temperavit, ut una alteram pulcherrime ornaret illuſtraretque. Quam neceſſarium, quam divinum ſit, ipſum vel eminus hic imitari, prudentes & exercitati facile intelligunt Chriſtiani. Tunc autem hac in re imitabuntur, cum didicerint crucem & lucem, dulcia & amara, profunda & ſublimia æquo ferre animo, & maxime per abnegationem mundi prædominantem, quam diu hic vivimus, ad venturam in æternitate gloriam ſolide ac patienter præparari. Chriſti infantis gloria non omnibus apparuit: ut videretur ac ſentiretur, his datum, illis, iisque pluribus, negatum eſt. Si tamen illi, qui propriis oculis nihil hujusmodi viderunt, crediſſent teſtibus oculatis & expertis, non minor felicitas, Spiritu Dei cetera ſupplente, ipſis obtigiſſet, quam ſi ipſi vidiſſent atque audiviſſent omnia. Cavendum & hodie nobis eſt, AUDITORES, ne in media luce cœcutiamus, ne in eorum ſimus numero, qui ad fidem in JEſum pro nobis natum datumque deprehendantur ἀδόκιμοι. Cavebimus autem ſapienter & cum ſucceſſu, ſi Verbo Dei noſtra aperiamus corda, ſi credamus ſinceris teſtibus veritatis ma-

ximæ,

ximæ: ſi denique tanta docilitas adſit noſtra ex parte, quam ὁμολογȣμένως μὲγα μυϛήριον τῆς ἐυσεβείας divinis ex partibus noſtræ conſcientiæ, noſtris cordibus inſinuatur atque proponitur: ſi abſtineamus ſollicite, repurgemus ſevere, mentes noſtras ab omnibus illis ſordibus, erroribus, & vitiis, quæ, niſi abſtergantur abjiciantúrque, certo certius impediunt, quo minus Salvator noſter apud nos glorificari poſſit, nos vero paratam nobis ab eo ſalutem ſive in tempore, ſive in æternitate, vere ac ſalubriter percipere.

Plura diceremus, AUDITORES HONOR. ſi opus eſſet. Spero autem, opus non eſſe futurum poſt ea, quæ hucusque audivimus. Nec plura alia, eaque publica & privata, pietatis alimenta per ſanctiſſimas haſce ferias deerunt omnibus eadem ſincero animo quærentibus atque deſiderantibus. Hoc unum igitur tanquam ſummam votorum adjungo: Utinam ex divitiis gloriæ & gratiæ JEſu noſtri incarnati reſipiſcant peccatores, pudefiant hypocritæ, excitentur fideles, ſurgant infirmi, exhilarentur puſillanimes, omnes denique ac ſinguli erigantur, diſcant, atque proficiant.

DIXI.

ORATIO QUINTA
De
Humiliatione Chriſto maxime Infanti a Spiritu Dei vere, falſo autem & lubrica fide ab hominibus, adſcripta
MEMORIAE
NATALIUM
SANCTISS. SALVATORIS
dicata, & in
SENACULO UNIVERSITATIS
publice prælecta
D. XXIV. Menſis Decembris
A. D. MDCCXXVII.

P. P.

Dici non poteſt, quam varias, noſtra maxime ætate, inſtruat ſcenas, in quam diverſas ſe induat perſonas Spiritus profanitatis, cum ſummas revelatæ, præſertim Chriſtianæ, religionis doctrinas in hominum animis luxare inſtituit, atque, ſi fieri poſſit, etiam evertere. Nonnunquam aperto Marte diſputat, & quicquid invenit ingenii, acuminis, induſtriæ & temeritatis in inſtrumentis ſuis, id omne in hanc aciem emittit, &, quoties opus eſt, ſuas cum velitationes, tum prælia non ſine ſpe triumphi renovat. Alio tempore & loco artibus utitur idem & ſtratagematibus, vel ad capiendos improvidos, vel ad tegendas machinationes non una ratione accommodatis. Conſtat, peſſimos aliquando homines, dum volebant videri refutare, & acute quidem refutare maximos errores, contrarium plane in-

intendiſſe, & ſub hac larva ſibi liberum tantum apud plurimos quæſiviſſe aditum, quem ſine ea impetraſſent nunquam. Alii utuntur larva modeſtiæ in proponendis quaſi dubiis, quæ tamen haud ſolvi cupiunt, ſed deglutiri. Alii Satyris, præjudiciis, contemtu, & inſultationibus ſuſpectos, quantum in ipſis eſt, ridiculosque faciunt veritatis defenſores, ut his inſtar victimæ cadentibus eadem clade ipſa etiam veritas ſuum amittat pretium. Alii, ſi non ultra valent, hoc certe moliuntur, ut jus civitatis atque innocentiam problematis acquirant peſtilentiſſimis quoque erroribus, ſpe non exigua freti, fore, ut in tanta ſeculi lubricitate hanc ſegetem ſuam læta meſſis aliquando conſequatur. Denique, ut multa alia hujus generis nunc prætereamus, nec ab infantilibus nugis fabularum Romanenſium, atque itinerario ſchemate curioſis atque imaginariis eventibus, utplurimum paradoxis, variegato abſtinent, ut vel ipſum Deiſmum, ipſum Naturaliſmi omnem religionem revelatam irridentis expungentiſque venenum, ſub hujusmodi floribus abſconditum videre quis poſſit, ſi libeat. Non hæc ipſe ſomnio, ſed occaſione hujusmodi Itinerarii

un

(a) nuperrime a me perluſtrati, quod in hoc luto hærere, hocque fine conſcriptum eſſe mani-

---

(a) Titulus libelli eſt: *Voyages & avantures de Jaques Maſſé:* cui ſi demas Deiſticos illos & profanos ſermones liberaliter undique adſperſos, quorum gratia eum hic citamus, reliqua omnia nil niſi inania & chimærica ſunt ſomnia, ut clarisſime appareat, poſteriores hos ſchematismos nonniſi propter priores fuiſſe adhibitos, hisque fabulis atque leporibus ut gratia inſtituto principali, ſed deteſtando, conciliaretur, quæſitum. Neſcio, qui fiat, ut Seculum noſtrum otioſum falſiſſimeque delicatum vix aliter, quam per ludos, fabulas, dramata, ſatyras, chartas volantes miſcellaneas, ſchemataque itineraria doceri velit. Abundat talibus libris libellisque ætas noſtra, quorum catalogum ut hoc loco conficiamus, nihil neceſſe eſt, & longe abeſt ab ingenio meo. Quam pulchre, quam ſerio ex iisdem virtutem ac bonos mores (hoc enim prætenditur) inde diſcant homines, aperta, ni fallor, docet experientia. Neque dubito, corrumpi potius per hæc ſchemata guſtum ſciolorum, quam juvari; efficiunt enim procul dubio, ut ſeriam quamvis, gravem, divinam, ac ſimplicem docendi diſcendique methodum, quæ ipſius quoque Scripturæ eſt, ſenſim ſenſimque dediſcant, imo, quod pejus eſt, faſtidiant. Interim his ipſis ſeculi noſtri moribus in rem quoque ſuam uti voluit Tentator, ut ex allegato ſpecimine ſatis ſuperque intelligimus.

manifeſtis apparet indiciis, ea omnia confidenter pronuntio. Finguntur ibi peregrinationes mirificæ; finguntur naufragia; finguntur inſulæ terræque omnibus aliis in hunc usque diem incognitæ, in quas per infinitam caſuum varietatem emerſerint perſonæ in hac fabula principes. Prodit interim ſe ſorex, dum quivis fere ſermones, & colloquia ad unum prope univerſa, in quæ in ſpatiis hiſce imaginariis inciderunt, ſub alieno licet ſchemate, boatibus & blaſphemiis contra Scripturas S. & ſumma maxime illius myſteria, reſonant. Mox introducitur is, cujus nomen huic Itinerario præfixum eſt, tanquam aperte confitens, Scripturam prima vice abs ſe lectam fabulam male conſarcinatam, Geneſin figmentum, legem Judaicam nugas & puerilitates, Prophetias obſcuritatis abyſſum, & chaos ridiculum, Evangelium autem fraudem piam femellis & vulgo demulcendo deſtinatam ſibi viſa eſſe. (b) Deinde, quoties

(b) Verba libri propria hæc ſunt : *Il ne faut pas mentir, la premiere fois, que i' en fis la lecture* [ſc. Scripturæ ſacræ] *ce qui fut expediè en fort peu de temps, je la pris pour un Roman aſſez mal concertè, que je traitois pourtant des fables ſacreés. La Geneſe ſelon moi etoit une pure fiction: la loy de Juifs &*

ties hi naufragi in triſtiſſima ſolitudine, & imaginem mortis & extremæ miſeriæ multipli-

---

leurs ceremonies un badinage, & de vaines puerilitez: les Propheties un abime d' obſcuritè, & un galimathias ridicule: & l' Evangile une fraude pieuſe, inventeè pour berçer les femmelletes, & des eſprits du commun. Ce qui me choqua d' abord, fut de voir dans la creation preceder la lumiere aux luminaires, qui la produiſent. Enſuite je m' acrochai a la neceſſitè de travailler & de mourir, qui ne fut impoſè a l' homme, a ce, qu' on pretend, qu' en conſequence de ſon crime. Apres vint la ſentence prononceè à la femme d' enfanter avec douleur, & au ſerpent de ramper ſur le ventre, comme s' il avoit eu des jambes auparavant: l' iris, qui fut mis dans la nue apres le deluge &c. la grace, que le Ciel accorda a Loth de ſortir de Sodome pour le laiſſer aller incontinent aprés commettre un double inceſte avec ſes filles: Les amours de Pharaon & de Sara, & le rapt de la meme perſonne parvenue a une vieilleſſe decrepite par Abimelec Roi de Gerar: les frequens dialogues de la Creature avec ſon Createur: le Paſſage de la mer rouge, & tant d' autres miracles faits pour les Juifs: l' ane, qu' on fait parler pour dire ſi peu de choſe, & mille autres difficultez de cette nature embaraſſoient prodigieuſement ma raiſon. p. 23. ſeqq. Quodſi perſonatus Autor in hoc libello has objectiones tritiſſimas & vere obſoletas in gratiam atque ad deceptionem lectorum profanorum repetere tantum voluit, & continuare, impie quidem egit, atta-

tiplicem referente ſe, ut credere fas eſt, ſolabantur eruditis & philoſophicis colloquiis (erant autem tonſores & architecti horologiorum, literarum olim tyrones ſimilesque, mirum eſt, quo caſu hi homines ſemper in ea concluſione deſinere potuerint, cum his veritatibus irrefragabilibus hæc, illa, quæ in Scripturis leguntur, conciliari non poſſe. Ex ore Sacerdotum, Judicum, Regis Utopiæ ſuæ, ea maxime decerpere placuit, & egregiis hiſce commentariis inſerere, quæ illi poſt audita ſumma religionis revelatæ capita ridendo, excipiendo, interrogando, num hæc ipſi viderint? num audiverint ipſi? num talia denique credant? regeſſerunt. Producitur ex media

---

men ſimul ineptiſſime, ad omnes enim ac ſingulas pridem tam ſolide ac tam liberaliter eſt reſponſum, ut qui nulla ſolutionum habita ratione ſcurriles maximam partem, ac leves iſtas in re graviſſima cavillationes audet recoquere, aliisque etiam ſtruere inſidias, ac δέλεαρ impietatis inde conficere, de protervia impudentiaque ſua facile convinci poſſit. Prætendit equidem larvatus Autor *l. c.* ſiniſtram hanc opinionem, citatosque ſcrupulos ſibi poſtea exemtos. At tota ſeries libelli oſtendit hanc illius narrationis partem ad merum fucum faciendum eſſe comparatam.

dia voragine carcerum Inquiſitionis Goanæ Semi-Chriſtianus quidam Sinenſis, myſterium Trinitatis & Incarnationis, miracula Chriſti Domini, totamque illius Hiſtoriam indigniſſimis vexans cavillationibus. (c) Denique in ſcenam prodit, quaſi Algeriæ, Rene-

(c) Ut pateat, quam audaciam ſibi ſumat hoc profanorum hominum genus, adſcribam iterum notabiliorem perſonati Sinenſis ſententiam. *Mais pourquoi avez vous dons ete mis ici? repris je* [ſc. Jacobus Maſſæus pariter ſe captivum in carcere Goano fingens id ſe interrogâſſe ſimulat) *Je n' en ſas de bonne fois rien, me repondit il; a moins, que ce ne ſoit pour avoir peut-etre parle un peu trop librement du myſtere de l' Incarnation: car je me ſouviens fort bien, que je m' etois entretenu de cette matiere publiquement 3. ou 4. jours avant mon empriſonnement. Cependant c' eſt un article, dont je ne me veux taire jamais: car encore, que je me diſe Chretien, & que je le ſois en effet, je ne pretens pas, qu' ce ſoit au prejudice de l' Auteur de toutes choſes. Jeſus-Chriſt lui meme, s' il etoit ici, me le defendroit. Quelque grand homme qu' ait etè ce divin Prophete, il ſuffit de le croire Fils de s' attribuer ce titre par nature. On peut dire de meme, qu' il eſt veritablement nôſtre Mediateur, parce qu' il nous a indiquè la voye du ſalut, & les moyens d' en tenir la route. Sa Morale eſt inconteſtablement pure, ſa vie ſainte, & ſes enſeignemens divins. Il en a confirmè la veritè par ſa mort. Mais qu' il ſoit Dieu toutpuiſſant & Eternel, la meme eſſence,*

que le Pere, & cependant perſonnellement diſtincte de lui, & engendrè de toute eternitè, conçû immediatement du S. Eſprit & né d' une Vierge immaculèe, c' eſt ce, qu' il n' a pas meme pretendu, & que d' autres lui font dire avec la plus grande injuſtice du monde. Audiamus porro, quomodo idem miracula & res geſtas Chriſti Domini in meras convertat parabolas: *Enfin,* inquit, *il faut, que je vous diſe, que les miracles memes, que l' on attribue a ce grand perſonnage, ne ſe doivent pas entendre a la lettre, mais dans un ſens impropre & figurè comme on entend auſſi toutes les paraboles de l' Evangile. C' eſt ainſi, p. e. que la tentation, qui paroit ridicule & impoſſible, ſi on la veut prendre au pied de la lettre, ne veut rien dire, ſi non, que les Rois & les Princes des peuples, qui ſont elevez comme des montagnes au deſſus des autres mortels, les Eccleſiaſtiques, les directeurs des conſciences, qui prechent dans les temples, & ſacrifient ſur les autels, auſſi bien, que les pauvres idiöts, que renferment les deſerts, ne ſont non plus exemts des epreuves, & des tentations, les uns, que les autres, mais qu' il n' y a rien, qui doive etre capable de les detourner de leur devoir, & de les empecher de rendre les hommages au Monarque du Ciel & de la terre. Le Demoniaque eſt un pecheur repentant, & les pourceaux, dans lesquels on envoye les Demons, qui les*

tus, poſthac Atheus, atque a piratis captus, cum digniſſimis hoc homine adverſus religio-

poſſedent, ſont des miſerables abandonnez a toutes ſortes des ſouillures, & abimez dans les vices. La foi d' un fidele paroit par l' exemple de Pierre, quand il marcha ſur les eaux : ſon incredulitè, lorsqu' il s' y enfonce, ſa vertu, a vouloir ſuivre ſon Maitre dans les dangers les plus evidens, & ſon infirmitè a le renier, au moment, qu' un ſimple femmellette l' acuſe d' etre de ſa trouppe. En un mot tous les evenemens extraordinaires, les gueriſons des boiteux, des manchots &c. auſſi bien, que la reſurrection des morts, dont l' Hiſtoire de la vie de I. C. fait mention, ſe doivent entendre ſpirituellement; car alors il n' y a aucune difficultè a expliquer l' Ecriture, & ceux, auxquels elle paroit ridicule on myſterieuſe, la trouveront intelligible & aiſèe; comme l' eſt auſſi le V. T. des qu' on ſe met ſur le pied de ne le conſiderer, que comme un compoſè d' emblemes, d' allegories, de metaphores, d' hyperboles, de faits typiques & de comparaiſons inventèes pour la conſolation & l' inſtruction des enfans de Dieu &c. *l. c. p. 427. ſeqq.* Nemo in his verbis ullam deprehendet micam rationis ſolidæ, aut dubitationis gravibus ac mature expenſis ponderibus ſuſtentatæ. Ubique dominatur impium quoddam Ἀυτὸς ἔφα. Hoc unum dicitur a perſonato Declamatore, ſe myſteria Scripturæ non capere: ea ipſi videri ridicula: de quo nulla eſt quæſtio. Non affirmari ſimpliciter debebant tam atrocia dicta, ſed probari, Non cohærent inſu-

ligionem revelatam, iisque audaciſſime propoſitis, blaſphemationibus. (d) Nec tamen difficile eſt fraudem in omnibus his exemplis ac ſchematiſmis olfacere, & impiam eorum intentionem dignoſcere, qui hæc tanto numero, quavis occaſione, magna cum vivacitate, & levitate, vel nullo, vel leviſſimo tantum, addito antidoto, inter tot lenocinia reliqua, non ſine maximo lectorum periculo, animo, ut credimus, ſeducendi libello, alias non ſpiſſo, poſt fata denique ſua, ad poſteritatem propagare, eamque his peſtibus corrumpere voluerunt. (e) Forte circumſpicitis

per, dum Chriſtus ipſe laudatur quidem ut ſanctus Doctor, at ea tamen, quæ ſacri Scriptores de illius perſona, doctrinis, factisque referunt, non obſcure rejiciuntur, atque vertuntur in ridiculum. Quid enim magis eſſet ridiculum, quam ſi miraculoſa Domini facta nihil continerent aliud, quam quod male conſultus hic interpres prætendit, maxime ſi eadem cum ipſa recenſione Evangeliſtarum componamus?

(d) Legitur profligatiſſima hæc pars iſtius *Itinerarii* a *pag.* illius *455.* uſque ad *pag. 477.*

(e) Hanc fuiſſe mentem autoribus atque Editoribus hujus libelli, mihi quidem dubium non eſt, quamcunque etiam perſonam agat Præfator, dum ſcribit: *Il y a des endroits dans certaines con-*

citis, A. H. & ambigitis, quomodo ha-
ctenus a me dicta huic loco, huic tempori,
huic

---

verſations ſur des matieres de religion, qui m' ont paru d' abord un peu forts: mais les aiant examinez de plus prés, & voyant, que l' Auteur, qui a toujours tenu ferme pour ſa religion, en a fait voir preſque toujours la foibleſſe, on la fauſſetè, j' ai crû, qu' il n' y auroit rien, qui pût ebranler un homme bien inſtruit dans la foi Chretienne, qui eſt, Dieu merci, aſſez bien fondèe pour ne rien craindre des attaques des Libertins, ou des infideles. Ainſi nous n' avons pas beſoin d' employer d' indignes artifices pour cacher la force des raiſonnemens, qu' on fait contre nous, comme ſi nous avions une mauvaiſe cauſe a defendre. Cogitet pius & ſapiens Lector, quanta hæc ſit divini nominis profanatio, blaſphemiæ certe proxima, ſimulare Chriſtianum, agere Deo gratias pro ſoliditate & ſecuritate religionis Chriſtianæ, curam præ ſe ferre hujus tuendæ & in tuto collocandæ: & edere tamen tali ſeculo, quali nos vivimus, ejusmodi libellum, qui ei evertendæ luxandæque deſtinatus eſt, ſtudioque huic nocendi ſalſiſſimum hoc ipſo addere ludibrium. Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται. Si vel vera eſſet tota hæc Hiſtoria, quod tamen nemo niſi fatuus ac demens crediderit, inexcuſabilis ſane haberetur merito malitia editoris hac forma libellum iſtum promulgantis. Cum vero ſit tota fabuloſa & ſchematica, iram certe divinam illuſiones ejusmodi ac ſeductiones cum ſumma petulantia conjunctæ non effugient.

huic inſtituto, cujus gratia nos hic confluxiſſe conſtat, conveniat? Et nihil ſane nunc dixiſſem de hac ludicra callidaque impietatis ſpecie, niſi Sacro-Sanctum Dominicæ Incarnationis myſterium utramque in eo libello faceret paginam. Nihil dixiſſem, niſi conſpectis his monſtris & abortibus ingenii & cordis humani convinci nos poſſe exiſtimarem, quam neceſſe ſit divinas has veritates ſolide ex Verbo Dei cognoſcere, cognitas in imum pectus admittere, admiſſos denique in bono rectoque corde cuſtodire, fructusque ferre tantis ac tam cœleſtibus doctrinis longe digniſſimos. Hic utique finis eſt Paraſceves noſtræ præſentis ad celebrandam ſanctiſſimorum Domini Natalium, craſtino illuceſcentium die, memoriam antiquo more pie deſtinatæ. Facietis quidem Ipſi ſponte Veſtrum, A. H. officium. Sed nec ingratum Vobis aut grave erit, ex ore Theologi Oratioris audire pia quædam verba, quæ, benedicente Domino, Veſtram in optimum Salvatorem pietatem, amorem, venerationem atque gratitudinem excitent porro & accendant; in illis enim, ut præterito anno GLORIA CHRISTI INFANTIS, ita nunc HUMILIATIO EIDEM

A SPIRITU DEI VERE, AB HOMINIBUS AUTEM FALSO ET LUBRICA FIDE ADSCRIPTA, brevi licet Sermone, Vobis repræſentabitur.

Tu vero,
Tu Lumen, Tu Splendor Patris,
Tu ſpes perennis omnium:
Intende, quas fundunt preces,
Tui per Orbem famuli.

Nos quoque, qui ſancto Tuo
Redemti ſanguine ſumus,
Ob diem Natalis Tui
Hymnum novum concinimus.
AMEN.

* * * * * *

AD humiliationem, eamque profundiſſimam, Filium Dei ſalutis noſtræ cauſa divinitus deſtinatum fuiſſe, ipſa pridem Scriptura Prophetica partim inſinuavit prudentibus, partim aperte ſatis profeſſa eſt. Qui *Semen Mulieris* ipſum eſſe in primo ſtatim Evangelio promiſſum agnoſcunt (agnoſcunt autem Chriſtiani plerique, nec ſine juſtiſſima ratione) dubitare jure non poſſunt, quin prædicta ſimul *calcanei*

canei illius *contritio* eo pertineat. (f) Id non in cœlo, ſed in terra, non in gloria, ſed in humilitate Filii Dei impletum eſſe, res ipſa & eventus clarum fecit atque apertum. *Minorem fieri angelis* ut ſupponit eum, qui angelis major eſt; ſic in eodem humiliationis magnæ documentum eſt longe certiſſimum, atque ab ipſo Spiritu Dei ad probandam Filii Dei temporariam demiſſionem allegatum. Porro *auribus perforatis* ſervum fieri, & quidem cum *adaptatione corporis*, animam in *inferis* ponere, *vermem* fieri, in *victimam* & ſacrificium deſtinari, in *abyſſos* delabi, *ex torrente bibere, exciſæ arboris ſurculum* eſſe, eo redigi, ut *nec ſpecies, nec dignitas, nec majeſtas* appareat, in *virum dolorum* evadere (g) aliaque id genus plura de Filio Dei in carnem venturo prænuntiata, quamvis nondum diſtincte tunc expoſita, nec omni ex parte intellecta, nihil tamen aliud ſonant, præterquam humiliationem prope incredibilem, & vere maximam; unde nec Judaica gens

(f) *Gen. III. 15.*

(g) *Pſ. VIII. 6. Hebr. II. 6. ſeqq. Pſ. XL. 7. Hebr. X. 5. Pſ. XVI. 10. XXII. 7. LXIX. 3. CX. 7. Eſ. XI. 1. LIII. 3. ſeqq.*

gens licet ad ſtuporem uſque cæca & incredula, atque immenſis adverſus hanc veritatem præjudiciis occupata, diffiteri & abnegare eam omnino poteſt, licet affectatis turpiſſimisque commentis, ut Viri Docti pridem oſtenderunt, obſcuratam temere & conſpurcatam. Quid ergo fiet, cum plena lux revelationis Evangelicæ, facta ipſa, hiſtoria & complementum tantarum rerum, earumque cognitio plenitudine temporum digna acceſſerint? Divinæ & admirandæ phraſes ſunt, quas nonniſi Spiritus Chriſtum Humiliatum, ut par eſt, glorificaturus ex profunditatibus divinis atque ex cœli ſenſu & conſcientia dictare potuit. Quis enim hic pro dignitate & magnitudine rei vel aſſequatur ipſe, vel explicet aliis, quid ſit *ex cœlo deſcendere, e ſinu Patris venire*, venire *ad ſerviendum*, abnegata *Dei forma ſervi formam* aſſumere, ſeipſum *evacuare*, *obedientem fieri ad mortem uſque crucis, loco propoſiti ſibi gaudii crucem & ignominiam ſubire*? (h) κ.τ.λ. Summam & extremam in his humiliationem contineri, tota per omnes paginas verbis factisque clamat Hiſtoria Evangelica, quæ di-

(h) *Joh: III. 13. I. 18. Matth. XX. 28. Phil. II. 6. ſeqq. Hebr. XII. 2.*

divinus Chriſtianorum in rem iſtam commentarius eſt. Nobis interim conſtitutum eſt eam maxime humiliationem Chriſti Domini ante oculos in præſentia habere, quæ ad ipſum ut Infantem pertinet, quæque in Incarnatione & Nativitate divini hujus infantis luculentiſſime apparuit, Hanc certe nemo, ut par eſt, intelliget, niſi qui prælucente Dei Verbo rite expenderit, Dei Filium eſſe proprium atque unigenitum, imo Deum ipſum, qui ſe ad humanitatem noſtram, eamque mortalem ac miſeram tam profunda humiliatione dejecit. Id jam prius, cum de GLORIA CHRISTI INFANTIS, ex hoc ipſo loco diſſereremus, adductis præcipuis S. Literarum teſtimoniis confirmavimus, neque convenire HUIC AUDITORIO credimus, ut, quæ tum dicta ſunt, cum tædio & ſine neceſſitate repetamus. Id unum vehementiſſime doleo, quod ardua hæc & neceſſaria veritas a tot retro ſeculis vindicata, in puriori ſemper lucea Chriſtianis Doctoribus collocata, cummuni tandem Chriſtianorum conſenſu recepta, & recentius quoque argumentis & adminiculis omnibus, quæ pietas, religio, ingenium & induſtria humana conferre ad hunc finem

nem potuerunt, illuſtrata ac ſuſtentata a liberis & audacibus ingeniis noſtra quoque ætate novos in dies patiatur inſultus. Sed horum conatus morari pietatem noſtram non debent. Quid enim credemus tandem, ſi ad pulſandam convellendamque fidem noſtram quævis pertinacia in contradicendo ſufficit? Imo quid crederemus tandem, ſi temere negare, dubitare, argutari, ſumma imis miſcere, ſoluta centies recoquere ſapientia & veritas eſt? Certe nulla totius certaminis ſui parte coactius atque improbabilius Sociniani diſputant, quam cum realem omnem Chriſti ante nativitatem ex Maria Virgine præexiſtentiam (ſi nihil ultra de illius æterna divinitate nunc urgere vellemus) ſimpliciter pernegant, quam propter clariſſima Scripturæ dicta ipſi etiam Ariani, AntiTrinitaria factio potentiſſima, agnoverunt ſemper, atque adhuc hodie agnoſcunt magno conſenſu. Quantum etiam (liceat vel hoc unum nunc adjicere) ex Socinianis partibus Viri doctiſſimi ſe torqueant, unius MARTINI RUARI verbis breviter oſtendam, quæ ad GEORGIUM CALIXTUM hunc popularem ſuum omni ſtudio ad veritatem revocare conantem aliquando per-

ſcripta

ſcripta ſemper miratus ſum. *Nos quoque*, ait, *libenter agnoſcimus, Dei Spiritum quendam ſingularem Chriſto ab ipſa conceptione indiſſolubli nexu conjunctum & (ſi ita loqui licet) incorporatum fuiſſe, qui Spiritus ante hanc conceptionem in Deo prius, imo ab omni ævo extiterit. Quodſi quis hoc eodem Spiritu, cujus vi novæ creationis opus Chriſtus peregerit, mundum hunc ab initio conditum, aut alia quadam inſignia Dei opera perfecta contendat, nos quidem ſuo illum ſenſu facile patiemur frui.* (i) O quantum his cothurnis

(i) *Centur. I. Epp.* RUARI *ep. 68.* Add. *ep. 69.* ad FLORINUM CRUSIUM. Conſideret quisque, an explicari diſtincte & Scripturarie poſſit, quisnam ille ſingularis Spiritus ſit, æternum in Deo exiſtens, a Deo diſtinctus, mundi conditi autor, deinde Chriſto incorporatus, ſi doctrinam de Trinitate ac Divina Filii Dei perſona ſecernat & abneget? Nihil clarius eſt, quam ſenſiſſe hic RUARUM, Virum cetera inſignibus dotibus præditum, quod Syſtema SOCINI in rigore acceptum cum analogia Scripturariæ doctrinæ in plenitudine hujus dogmatis haud conveniat. Quod & in cauſa eſt, cur in hunc uſque diem AntiTrinitarii inter hypotheſes Arianas & Photinianas, vel, ut nonnulli vocare malunt, Artemonias, nec non inter alia inventa huc vel illuc magis propendentia pergant fluctuare. Confirmet nos Dominus in humili ac pio veritatis divinitus revelatæ amore & ſtudio!

nis præſtat ſimplicitate, ſoliditate, nexu denique doctrinarum admirabili noſtrarum Eccleſiarum de venerabili hoc dogmate ſententia! Sit igitur certum ratumque, quantopere ſe Salvator noſter humiliaverit ex immenſa illius & divina magnitudine rectiſſime argui. Alterum quoque eſt, quod inde diſcimus: humiliationem iſtam fuiſſe plane voluntariam atque liberrime ſuſceptam. In ceterorum hominum ad unum omnium poteſtate non eſt ſors naſcendi. Si ſervi, ſi mancipia naſcuntur, id ſive velint, ſive nolint, ratum eſt, nec mutari hactenus ulla poteſt ratione, quo minus id factum eſſet. Noſter Servator, Divinus noſter Infans non deſcendit e cœlo, niſi quia voluit. Non induit formam ſervi, niſi quoniam ipſi placuit venire in peculium ſuum. Miſſus eſt a Patre naſcendo ex muliere: ſed ipſe prius in hanc voluntatem Patris conſenſit, ac diu, antequam naſceretur, prædixit: *Ecce veni, in volumine libri ſcriptum eſt de me: Facere voluntatem Tuam, Deus mi, deſideravi, & lex tua in viſceribus meis &c.* Idem denique, qui venit, ut *animam ſuam pro multis poneret*, in ſua id poteſtate poſitum eſſe, ſeque hanc *ἐντολὴν a Patre accepiſſe*, aperte profeſ-

feſſus eſt. (k) Nec pluribus verbis in re manifeſta opus habemus. Ex ipſa etiam nativitate de humiliatione Chriſti Domini judicium feramus. Cogitate, quæſo, Auditores, (ſic jam ante annum Vos allocuti ſumus) cogitate, inquam, quid ſit infantem eſſe? quid ſit naſci infantem? & facile humiliterque agnoſcetis, ad quam vilitatem, ad quam humilem conditionem ſe Dominus gloriæ Deique Filius in hominum gratiam dejecerit. Non quidem neſcio, certo ſenſu negare Theologos, quod aſſumtio humanitatis ad humiliationem Chriſti pertineat. *Nam*, inquiunt, *etiam in ſtatu exaltationis eſt Filius hominis. Et minorationem ad breve tempus Pſalmus reſtringit. Humanitas autem perpetua eſt.* Quis vero temere negaverit, alio, & veriſſimo quidem, ſenſu id dici omnino poſſe? Quodſi enim humilitatis quædam ſpecies eſt, cum Deus excelſus & ſublimis gratioſa ſua præſentia & habitatione in cordibus confractis & humilibus dignatur homines; multo certe magis id nominis meretur, quod Filius Dei non qualicunque tantum ratione, ſed perſonali intimoque vinculo & con-

(k) *Pſ. XL. 8. 9. Joh. X. 18.*

conjunctione, totam plenitudinem ſuæ Divinitatis in humana natura a ſe adſumta, per ſe ipſam tantum honorem non promeritâ, atque infinito intervallo a ſe diſtante σωματικῶς habitare voluerit; que ratio quoque effecit, ut interpretes nonnulli doctiſſimi veriti haud ſint ad totum hoc negotium applicare, quod in *octavo Pſalmo* dictum eſt: *Quid eſt homo, quod meminiſti ejus? aut filius hominis, quod viſitas ipſum.* (l) De qua tamen commentatione contendere mihi nunc nec locus, nec voluntas ſuppetit. Accedit autem, Chriſtum Dominum non ſimpliciter hominem factum (quamvis, ut diximus, in glorioſiſſimam etiam humanitatem deſcendere Majeſtati ſupremæ humilitas eſt) ſed natum eſſe hominem

---

(l) *Pſ. IIX. 5. Hebr. II. 6.* Hoc ſenſu VITRINGA ſcribit: *Scriptura docet, unum eſſe Mediatorem, h. e. Filium Dei habitantem in humana natura, vel, ut David loquitur, viſitantem Filium hominis, i. e. humanæ naturæ ſingulari operatione, gratia, & gloria præſentem, ſic ut attributa atque operationes illius humanæ naturæ Filio Dei inde jure adſcribantur. Doctr. Chriſt. Relig. C. XXI. p. 277. ſeqq.* Enimvero difficile eſt credere, verba iſta viſitationis Filii hominis ad incarnationem unionemque perſonalem ipſam pertinere.

minem, natum infantem, omnibus, quibus caro humana circumdata eſt poſt peccatum, ſolo peccato excepto, infirmitatibus obnoxium & immerſum: quo ſenſu incarnationem Dominicam ad Humiliationis ſtatum pertinere, nemo unquam Theologorum in controverſiam adduxit. Si porro Matrem adſpicimus, ex qua natus eſt, Virgo quidem erat, ſancta erat, ac præ omni ſuo ſexu divinitus benedicta, ſed femina tamen erat plebeja, vilis, pauper, forte eo magis contemta, quia regia olim ſtirpe orta, ut ſolent proſapiæ etiam illuſtres, cum decreverunt, ſibique factæ ſunt per varios caſus diſſimillimæ, contumeliam præſentis inopiæ miſeriæque apud imperitos non minuere, ſed augere. Neque id ignoravit ſancta & humilis Mater, dum jubilans & Dominum magnificans deprædicavit Deum, Servatorem ſuum, ſe *humilem ancillam ſuam* vel *ancillæ ſuæ humilitatem reſpexiſſe.* (m) Quicquid cetera dignitatis & gloriæ fuit in hac Matre, id non ex ſe ipſa habuit, ſed illam divinus Infans, Filius Dei & hominis, Eidem attulit & donavit, verum ſe humiliando in uterum mater-

(m) *Luc. 1. 48.*

maternum, & in ſocietatem veniendo maternæ humilitatis Matri hanc dignitatem communicavit. Ipſe etiam locus, in quo naſci voluit Dominus, conſilio ſe ad extremum humiliandi aptiſſime reſpondit. Φάτνην ſeu præſepe ſacra locum appellat Hiſtoria, in quo primam quietem natus jam Infans divinus capere debuit, unde colligunt Theologi, ipſum in ſtabulo natum eſſe: Fatendum enim eſt, hujus conceptam expreſſamque mentionem in Scripturis non fieri. Sed ſtabulum præſepe ſatis manifeſte deſignat. Nec deſunt Viri Docti, qui præſepe hic pro ſtabulo poni exiſtiment. Quicquid nonnulli de diverſorio pauperum cum inſigni τῇ φάτνῃ hic ſibi ſunt imaginati, id tanquam non immerito ab aliis pleriſque repudiatum ne quidem hoc loco refutabimus. (n) Non debebant ipſi Theologi tam levibus

(n) *Luc. II. 7 12. 16.* Tractavimus hanc quæſtionem in noſtris *Prælectionibus ad Hiſtoriam Evangelicam publicis*, nec abs re prorſus erit, ſi verba noſtra in hunc locum jam transferamus. Plerique, inquiebam, interpretes per τὴν φάτνην hactenus intellexerunt verum aliquod Præſepe, qualia in uſum jumentorum in ſtabulis eſſe ſolent, ut adeo hæc circumſtantia id, quod diſtincte haud exprimitur, ſimul ſupponat, ſc. Joſephum & Ma-

vibus conjecturis impugnare ſententiam, non dicam, communem (etſi hæc ratio non

riam ſeceſſiſſe in ſtabulum aliquod, huncque filium ſuum ibi peperiſſe. Eam ſententiam ſimpliciſſimam eſſe atque probabiliſſimam, probare ſolent Theologi. 1. quia nulla prorſus adeſt neceſſitas a litera hic diſcedendi. 2. quia hæc φάτνη non Mariæ & Joſepho, ſed ſoli Chriſto tanquam locus tribuitur proprius. 3. quia geſtus jacentis commemoratur corporis. Ex hac quoque hypotheſi ſacri maxime Homiletæ, in feriis Natalitiis Domini, peculiaria depromere ſolent poriſmata, ut notum eſt, ad demonſtrandum ſc. quouſque Dominus gloriæ, & ad quam paupertatem vilitatemque noſtri cauſa ſe demiſerit. Habent igitur Theologi graves cauſas inquirendi in haſce ſacræ Hiſtoriæ circumſtantias, ne piis tantum fabulis indulgere, & ex ſuppoſitis nequaquam veris inſtitutiones & exhortationes ſuas videantur depromere. Hæc enim de ipſis concepta ſuſpicio non parum nocet eorum officio. Materiam vero dubitationis ipſi ſuppeditant Theologi, inter quos jam ſolum GUIL. SALDENUM ejusque *Exerc. XI. L. IV. Ot. Theol.* allegabimus. Is poſt alios quosdam ſtatuit, φάτνην illam fuiſſe non præſepe quoddam in ſtabulo, ſed vilius diverſorium a pauperibus frequentari ſolitum, & inſigni præſepis notatum, eoque nomine cognitum. Rationes illius ſunt 1. quia Evangeliſta hujus φάτνης cum adjecto articulo mentionem faciat. 2. quia Angelus Paſtoribus τὴν φάτνην loco

non ſit ſemper absque pondere, quod ipſos etiam ſapientes trahat) ſed eam, quæ tam ſæpe,

---

ſigni paſtoribus Bethlehemiticis dederit: Niſi vero hoc nomine certus aliquis locus, & quidem Paſtoribus ſatis notus inſignitus fuiſſet, certe totam ipſis urbem prius perreptandam fuiſſe, quam infantem invenirent. 3. quia Paſtores nihil ultra interrogaverint de hoc præſepi, quod eo caſu vitari ab ipſis non potuiſſet. 4. quia nulla alias ſit connexio in verbis: poſitum fuiſſe infantem in præſepi, eo quod nullum in ipſo diverſorio locum invenerint, denique 5. quia in concurſu illo hominum extraordinario ipſa etiam diverſoriorum ſtabula procul dubio plena fuerint jumentis, ut adeo vix licuerit Joſepho & Mariæ in horum aliquod tanquam vacuum ſecedere. *l. c. p. 808. ſeqq.* Noſtra ſi jam requiratur ſententia, primum in genere exiſtimamus, ſumma cautela & prudentia hic opus eſſe, ne quis rem aliquam vere geſtam ex circumſtantiis vel non ſatis diſtincte, vel non ſatis plene expreſſis, nec aliunde perfecte cognitis per puras putas conjecturas & argutationes reddat dubiam. Id, cum non feratur æquo animo in quavis alia hiſtoria: multo minus temere tentandum vel audendum eſt in ſacra, tanti maxime ponderis, quanti Nativitatis Domini Hiſtoria eſt. Ponamus itaque, Scriptorem ſacrum perſpicuis verbis dixiſſe, jacuiſſe infantem JEſum in præſepi: certe ad id convellendum, vel ad ſenſum proprium in figuratum & metonymicum convertendum non

ſæpe, & ſolidis ſatis argumentis e ſuggeſtu profertur ad Eccleſiam, atque ad varios
uſus

ſufficit proferre quasdam conjecturas vel dubitatiunculas de modo & circumſtantiis, quales ſane ſunt pleræque earum, quas ex *S*ALDENO attulimus, fieri enim poteſt, ut ſola notitiæ accuratioris, quam nobis dare Spiritui *S.* non placuit, inopia omnium hujusmodi dubiorum ſit mater atque principium. Nollem itaque hunc in modum diſputari de negotio gravi & arduo, noſtra maxime ætate, cujus in magnis rebus ſocordia & frigiditas cum operoſiſſima diligentia & curioſitate circa minutias fere certat. Secundo in ſpecie ad rationes Saldenianas breviter reſpondendum eſt. Primo urget articulum, quem tamen ſæpiſſime non attendi notorium eſt: ut taceam, utique hic non de quovis, ſed eo præſepi ſermonem Angelo fuiſſe, quod in poteſtate tunc erat Joſephi & Mariæ, ut adeo definite hic deſignari potuerit. Ad ſecundam rationem dici poteſt, falſo ſupponi, quod Angelus ſignum illud Paſtoribus non ſpecialius explicaverit, eosque de loco, ubi infantem quærerent, accuratius haud inſtituerit. Præterea ſignum illud non omnem prorſus diligentiam in quærendo infante excluſiſſe, ex *v. 16.* patere videtur, ubi dicitur, quod ἀνεῦρον τὸ βρέφος κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ. Notant autem Philologi, verbum illud tantundem ſignificare atque: *diligenter inquiſitum invenerunt.* Et potuit hoc revera ad exercitationem fidei eorum deſtinari a Deo, quod non ſine omni inveſtigatione ſcopo ſuo po-

uſus pie ſolet applicari. Quotusquisque vero mendicorum in ſtabulo naſcitur? & ſi

---

titi ſunt. Nec tamen ea tanta fuit, ut tentatio modum excederet. Hæc quoque ratio fuit (quod ad tertiam objectionem reſpondemus) cur Paſtores de divina revelatione hujus myſterii per angelicam inſtitutionem certi cum gaudio obſecuti ſint ſine omni ſcrupulo & môra carnis voluntati divinæ ipſis per Angelum ſignificatæ. Quod quarto objicit SALDENUS, nullam connexionem fore inter excluſionem a diverſorio, & repoſitionem infantis in præſepi, magni ponderis non eſt. Eſt ibi conſecutio hiſtorica, non phyſica aut mathematica. Quod B. Virgo vel in univerſum, vel pro partus vicinitate, atque adeo ex ratione ſingulari ſui ſtatus locum idoneum in diverſorio non invenerit, in cauſa fuit, cur ſecederet adtempus breve in locum ab hominibus ſolitarium, qui, quantum nos ſacra docet Hiſtoria, ſtabulum fuit: quod enim diu, vel omni eo tempore, quo Joſeph & Maria morabantur Bethlehemi, in ſtabulo permanſerint, & infans Jeſus præſepe pro cunis habuerit, id ab Evangeliſta non dicitur, imo contrarium apparet ex Hiſtoria Magorum, qui non in ſtabulo aut præſepi, ſed in domo infantem cum Parentibus invenerunt, procul dubio, quia ceſſavit cauſa primi ſeceſſus, atque interea dilapſis hoſpitibus numeroſis commodior hoſpitandi occaſio ſubnata eſt. Denique, cum nos ejus ſtabuli ac præſepis ſpecialior conditio lateat, etiam quintam objectionem non poſ-

ſi ibi naſcitur, mera neceſſitas eſt. Hic eum ſibi locum ſponte ſua naſciturus elegit Dominus, & mirabili ſane Providentia effectum eſt, ut illo, non alio, loco in lucem ederetur. Veriſimile eſt, nec ipſos Domini Parentes id prævidiſſe futurum. Intrabant diverſorium publicum, ut alii advenæ, hoſpitio uſuri inſtar cæterorum. Supervenit tempus pariendi, quod tam prope adeſſe ignorare potuit B. Virgo, vel, ſi ſcivit, cum mutare legem publicam non liceret, quicquid rei hoc erat, divinæ committebat Providentiæ. Ut in media hominum turba pareret, non permittebat cum virginalis modeſtia, tum cœleſtium myſteriorum hujus partus conſcientia. Quæritur ſecretior locus his arcanis; cumque alibi non proſtaret, vel ſtabulum præfertur tum temporis vacuum, & angulus non hominum conſortio, ſed beſtiis locandis qualitercunque paratus. Quis igitur in hunc locum, in hanc mirabilem πορφύρας ſpeci-

ſumus non ad incertiſſimas conjecturas & imaginationes arbitrarias referre, propter quas nec tutum eſt, nec neceſſe literam Hiſtoriæ Evangelicæ deſerere, ejusque venerationem hactenus in communi docendi ratione demonſtratam irriſorum ludibrio exponere.

ſpeciem Infantem divinum mox naſciturum deduxit? Ipſemet hoc elegit, ipſemet ſe humiliaturus (hoc longiſſime major, quam omnes Porphyrogeniti) extremis hiſce angulorum purgamentis contentus fuit. Neque exaggerabimus iſtam domicilii vilitatem, cujus uſus temporarius fuit, atque ad breve tempus divino judicio electus. Potuiſſent vel in ſtabulum tantiſper colligi res magnæ & ſplendidæ, deinceps vero eo illuſtrius atque magnificentius alibi ſe explicare. Non hoc agebat Filius Dei. Non ille, quaſi aliud agendo, & ὡς ἐν παρόδῳ, ſed ad conſtantem vitæ tenorem, dataque opera amplexus eſt paupertatem, rejecitque a ſe ampliores fortunas & commoditatem vivendi a primis incunabulis. Magnifica verba ſunt, quamvis extremæ humiliationis pleniſſima, dum Apoſtolus de Domino prædicat: *Noſtis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, eum propter vos pauperem factum eſſe, cum eſſet dives, ut vos illius paupertate diteſceretis.* (o) Imo pauperem invenerunt Magi Orientis, neque eum, quamvis illuſtribus donis oblatis, efficere potuerunt divitem: quod ænigma variis quidem conjecturis ſolvere moliuntur curio-

(o) *2. Cor. IIX. 9.*

rioſuli ; nobis autem rei ipſius certitudo abunde ſufficit, parum ceteroqui curantibus, hoc quidem reſpectu, quod de temporum rationibus aliqui diſputant, alii vero, ut Legendarii Scriptores & interpretes confeſſionis R. C. ex parte faciunt, accepta a Magis dona pauperibus a B. Virgine diſpenſata prætendunt. Studium quoque humiliationis ſolo Filio Dei incarnato dignum demonſtrant illuſtres tenebræ, quibus in primis ſtatim nativitatis ſuæ initiis omnem illam gloriam, qua Cœlum ejus Nativitatem coluit & honoravit, haud invitus occultavit: non quod voluerit Dominus incredulitate, negligentia, ingratitudine & inconſtantia tanta obrui magnalia: ſed quia cæcitati, acediæ, & vertigini ingratorum hominum ſe tanquam prævifis ſubjecit, & contumelioſa ſibi iſthæc eorum vitia patienter tulit, atque ad ſanctos & mirabiles fines provide & potenter diſpoſuit. Sc. hæc ſuprema Filii Dei humiliatio eſt, non tam pauperem, nudum, afflictum eſſe corpore: ſed, quod probroſius eſt, pati repudia & ſocordiam cordis humani tantam ſalutem negligentis. Quanta denique adhuc ſupereſſet copia dicendi de Humiliatione divini Infantis in

ſub-

ſubjectione ſub legem rituum moleſtiſſima, in circumciſione, in perſecutione Herodiana, in fuga Ægyptiaca, in donorum excellentiſſimorum abdicatione, in retracto Majeſtatis divinæ in humanitate ſua uſu manifeſto & publico, aliisque id genus pluribus, ſi quidem temporis ratio eam Orationis amplitudinem permitteret?

Ut vero ſolida & Verbo Dei munita ſunt, quæ hactenus diximus: ſic proferri paſſim videmus alia Humiliationis exempla, quæ non ſunt ejusdem commatis. Dabimus, poſt interpoſitam fidem noſtram, aliqua ejus generis, partim leviora, partim majoris vere ponderis. Ad priora refero, quod nonnulli de pannis ſ. faſciis laceris, quibus natum Infantem divinum involutum fuiſſe putant, prodiderunt; id quod poſt alios B. quoque CHEMNITIUS noſter approbavit, hac quidem ratione addita, quod, ſi vel uſitatæ vel elegantiores fuiſſent faſciæ, ſignum eſſe non potuerint, quo natus Meſſias a reliquis infantibus in civitatibus Bethlehem dignoſceretur. (p) Eo minus cauſæ fuit MALDONATO Jeſuitæ

(p) V. *Harm. Evang. T. I. C. IIX. p. 93. a.*

ſuitæ declamandi more ſuo in hæreticos, quod illi *valde velint probare poſſe, ſericos, aut certe pretioſos, fuiſſe pannos.* (q) Quantum quæſo eſt in rebus inane! Quaſi vero magnopere intereſſet Proteſtantium cauſa tale quid vel affirmare, vel negare, dum ea de re ſive certo, ſive probabiliter e ſacris quidquam conſtaret literis! Quod ad rem ipſam attinet, liceat hoc loco breviter repetere, quæ alio ad hanc quæſtionem illuſtrandam publice docuimus. Nihil hic exaggerandum eſſe putamus, etiam ſpecie pietatis, quæ hujusmodi rhetoricationibus non indiget. Recte ideo ERASMUS huic loco adſcripſiſſe videtur: *Ut parentibus Jeſu tenuitatem & paupertatem libenter tribuimus: ita ſordes & mendicitatem procul amovemus. Habet & paupertas ſuam munditiem.* Præterea verbum ἐσπαργάνωσεν id nequaquam ſignificat, cum de faſciis quoque uſurpetur purpureis. Et certe hanc circumſtantiam ne quidem apud MARIAM DE AGREDA invenio, quæ more ſuo id unum excogitavit, quod ſancta puerpera rogata prius ab Jeſulo infante venia ſedendi cum incomparabili reverentia, devotione, & cura eum

(q) *Comment. in IV. Evangel.* ad *h. l.*

eum infaſciaverit. (r) Sed hæc leviora ſunt, quibus magis ardua & neceſſaria monita nunc adjungemus. Doctores poſtremorum ſeculorum AntiTrinitarii doctrinæ de Incarnatione Filii Dei hoſtes acerrimi, cum viderent ſibi argumenta objici longe ſpecioſiſſima pro illius ante nativitatem ex Maria Virgine apud Deum & in cœlo præexiſtentia, ipſa fere neceſſitate compulſi cœperunt comminiſci, Chriſtum pridem ex Maria natum, tempore, quod ipſi inæquali calculo determinant, in cœlum fuiſſe aſſumtum, atque ibi de Patris ſui voluntate in officio ſuo Prophetico inter homines promulganda perfectiſſime edoctum. Hancque rationem eſſe dicunt, cur toties in Scripturis N. T. apud Deum & in cœlo fuiſſe, ex cœlo veniſſe atque deſcendiſſe dicatur. Noviſſime magno ſtudio & conatu hanc cauſam exornavit is, qui ſe ARTEMONIUM in titulo nominat, Vir Doctus, ſed qui pulcherrimo ingenio ac eruditione non vulgari ad peſſimam cauſam inſtaurandam dolendum in modum abutitur. Audiamus eum propriis verbis heic dogmatizantem. *Quia*, inquit, *Chriſtus*

(r) *Civit. Myſtica T. II. p. 178.*

ſtus jam ante mortem in cælum ſibi jam debitum fuerat aſſumtus, & ibi ſemper manere potuiſſet, hinc aliquoties tanquam rem memoratu digniſſimam, & beneficium in nos inſigne inculcat, quod a Patre exiverit, ad nos in mundum venerit, quod de cælo deſcenderit &c. *Quid planius illis Pauli ad Galatas IV. verbis? Dicit Deum emiſiſſe* (ἐξαπέστειλε) *Spiritum Filii ſui in corda noſtra: emiſit autem ex ipſo cælo. E. cum paulo ante eadem phraſi dixit emiſiſſe Deum ſuum Filium, ex ipſo etiam cælo, & quidem poſt nativitatem ejus ex Maria emiſſum eſſe teſtatur, filium enim ex muliere factum, non demum faciendum, a Deo emiſſum eſſe dicit. Deinde cum in cælos ibi perpetuo, ſi voluiſſe, manſurus, aſſumtus eſſet, dici poteſt, fuiſſe tunc in forma Dei Patris Phil. II. 5. qua poſtea de cælo deſcendens ſe* ἐκένωσε. *Porro cum Chriſtus in principio Evangelii in cælum aſſumtus in ſinu Patris tanquam ei dilectiſſimus, & in illa ipſa forma Dei eſſet, procul omni dubio eadem aut ſimilis Moſi glorioſa forma ipſi impreſſa fuit. Si enim Moſes ex converſatione cum Angelo perſonam Dei in terris repræſentante faciem retulit ſplendentem, quid dicemus de Chriſto in ipſa Dei glorioſa forma in ipſo cælo in ſinu Patris verſante? . . Cum itaque in forma Dei Patris eſſet in cælis, ibique maxime fulgeret*

geret & ſplenderet; & poſtea ad nos deſcenderet, factus eſt nobis ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, effulgentia ac ſplendor a Dei gloria ad nos procedens ac deſcendens. Sed prout in monte transfiguratus ſplendorem illum de monte deſcendens depoſuit, ſic & formam illam Dei glorioſiſſimam in principio Evangelii: & licet de cœlis deſcendens eſſet lucidiſſimum apaugasma, licet in ipſo deſcenſu luceret adhuc atque ſplenderet, tamen, ut nobiſcum verſari, & pro nobis pati poſſet, ſe illa glorioſa Dei forma evacuavit, ſervique formam aſſumſit. Hactenus ille. (s) Intelligitis, AUDITO-

(s) V. *Init. Evang. Joh. illuſtr. P. I. C. XX. p. 92. ſeqq.* totaque *Diſſert. II. Parti II.* hujus *libri* ſubjuncta *p. 568. ſeqq.* Non eſt mirum, hunc Scriptorem poſt Majores ſuos in hac hypotheſi aſcenſionis Chriſti glorioſæ in cœlum ante publici officii ſui aditum tantum ponderis ac præſidii ponere. Putant enim illi omnes, hoc medio poſſe ab ipſis commodius exponi quam plurima loca ſuis alias hypotheſibus antiTrinitariis e diametro repugnantia. Nos, quænam argumenta huic ſententiæ obſtent? in ipſo jam textu adduximus. Nullibi hujusmodi aſcenſum Chriſti Domini in cœlum Hiſtorice a ſacris Scriptoribus recenſeri, ipſi fatentur Sociniani. Quod aliâs hunc ſenſum in quibusdam Scripturæ Evangelicæ locis inveniſſe ſe putant, cum curatiſſimis Noſtrorum reſponſioni-

TORES, hos DD. Humiliationem Chriſti, ejusque fontes, ex deſcenſu illius jamjam adulti & in cœlo glorificati, non vero ex æterni Dei Filii in humilem carnem noſtram demiſſione derivare. Id vero invita veritate & lubrica fide eos conari, graviſſimis rationibus evinci poteſt. Summa huc redit: Hujusmodi aſcenſus Chriſti jam adulti in cœlum, deſcenſusque e cœlo nullibi, ne verbulo quidem, Hiſtoriam meminiſſe Evangelicam: id factum cum baptiſmo Chriſti & ſubſecuta mox quadrageſimali tentatione in deſerto nulla ratione poſſe con-

---

bus conferendum, ac præterea non obiter tantum ac in tranſitu, ſed ex profeſſo, & perſpicua recitatione meruiſſet dici, ſi verum eſſet. Forte alio loco, ac digniore diligentia, argumenta illa ARTEMONII Scripturaria, quæ quidem nova non ſunt, examinabimus. Quicquid vero ex Hiſtoria Eccleſiaſtica in *cit. Diſſert.* ad confirmandam iſtam Socinianorum hypotheſin ex apocryphis Thaddæi ad Regem Abgarum ſermonibus, ex paralleliſmo Hiſtoriæ Simonis Magi & Muhammedis, item ex Luciano Samoſatenſi affertur ab eodem Artemonio, tam jejunum & longe petitum mihi videtur, ut nihil magis: quemadmodum idem illius liber ex audaciſſimIs affectatiſſimisque hariolationibus & conjectur is totus, quantus eſt, conſarcinatus eſt & conſutus.

conciliari; Ne veriſimilem quidem rationem fingi poſſe, cur ſacri Hiſtorici tam memorabilem Hiſtoriæ Dominicæ partem præterierint: Chriſtum ab Apoſtolo ἐφάπαξ ſive ſemel, cum noſtri, tum ſui ipſius cauſa, (hæc enim nullibi diſtinguuntur) in Sanctuarium cœleſte ingreſſum dici: expoſitionem Syſtematis & nexus tantum gratia excogitatam illuſtribus Scripturæ dictis nequaquam ſatisfacere: ipſum ARTEMONIUM denique relictis SOCINI aliorumque veterum Socinianorum gloſſis novas ex arbitrio confingere, maxime vero præviam glorificationem aliquam Chriſti in cœlo, ejusque tanquam integri (ſic loquitur) totius vitæ anteactæ, omnisque peccati puri atque adeo innocentis declarationem & juſtificationem comminiſci, ut hypotheſes aptius cohæreant. Sed hæc alio loco, & pleniori tractatione, quam præſens fert inſtitutum, digniſſima ſunt, cum appareat ex novo hoc & operoſo ſpecimine, qualia & quanta Syſtemati Anti-Trinitario fulcra atque præſidia ex iſta ſententia confidentius, quam unquam antea factum eſt, quærantur & promittantur. Nos interim jure negamus & pernegamus, humiliationem Chriſti Domini in

in eo conſtitiſſe, quod gloriam ſuam cœleſtem, quam jam in cœlo, & quidem in prima vitæ illius parte promeritam, poſſidebat, propter nos abnegaverit, cum docendi cauſa ex cœlo ad homines reverteretur. Dum de exemplis humiliationis Chriſti Infantis falſo expoſitæ cogito, in mentem mihi quoque venit celebris illa controverſia, cui occaſionem dederunt Viri quidam alias Doctiſſimi ſtatuendo, non fuiſſe ultimum actum illius ταπεινώσεως quod Chriſtus in Incarnatione ſua carnem ſeu naturam humanam non ſolum cum phyſicis & corporalibus infirmitatibus, ſed etiam cum tentationibus, violentia & validis inclinationibus naturæ corruptæ (hæc propria eorum Verba ſunt) adſumſerit, non ut in ulla re iis obſequeretur, ſed ut illis reſiſtendo, easque vincendo animum adderet mollibus & ignavis hominibus ad generoſam pariter luctam & felices contra peccatum victorias. Mens eorum, qui hæc in medium protulerunt, mala quidem non erat: neque omni ſpecie rationes, quas afferunt, carere, ſerium & ſincerum hujus quæſtionis examen abunde demonſtrabit. Interim hæc hypotheſis a pleriſque aliis Theologis cum indignatione ex-

cepta eſt, & metu, ne conſummatiſſimæ puriſſimæque ſanctitati Summi noſtri Sacerdotis mirum quantum per eam detrahatur, quod utique quam religioſiſſime cavendum, atque ab ipſis illius ſententiæ defenſoribus, cum ſibi viderent id crimen objici ac imputari, cum horrore & deteſtatione rejectum eſt. Capitalis eſt deciſio Apoſtoli, debuiſſe Chriſtum κατὰ παντα, per omnia fratribus ſimilem fieri, & paſſum eſſe πειραϑέντα, ut poſſit & iis, qui tentantur, ſuccurrere; & rurſus: non habere nos Sacerdotem in Chriſto, qui non poſſit compati noſtris infirmitatibus, ſed πεπειρασμένον κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, in omnibus, ſimiliter, χωρὶς ἁμαρτίας, ſed absque peccato. Certum denique ſecundum eundem Doctorem haberi debet, fuiſſe hunc Sacerdotem noſtrum ſummum ὅσιο, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, ſanctum, innocentem, impollutum, a peccatoribus ſegregatum, In eo igitur vertitur una ex parte omnis cardo controverſiæ: An vere tentatus in omnibus ad ſimilitudinem hominum dici poſſit, qui nihil harum tentationum ſentit, ab iis non afficitur interius, non commovetur, non allicitur eousque, ut lucta atque reſiſtentia, abnegatione & confirma-

firmatione voluntatis adverſus illius inſultus opus ſit? ex altera vero: An ad exhauriendam Apoſtoli mentem de tentatione Chriſti χωρὶς ἁμαρτίας ſufficiat, ſi dicatur, eum nunquam actu peccaſſe, nunquam voluntate ſua ſuperiore in ullam ad peccandum tentationem conſenſiſſe? In definiendis his quæſtionibus delicatiſſimis cautiſſime prudentiſſimeque procedendum eſt. Tentatus utique fuit Chriſtus Dominus, ſed pro conditione perſonæ. Nullibi dicunt Scripturæ, hominem ſolum internum in Chriſto, ſive partem illius ſpiritualem ſanctam & immaculatam, ſenſibil m vero ejus partem talem non fuiſſe. Stylo Spiritus non facere ſolum peccatum, ſed etiam habere, in vitio eſt. Habet autem peccatum in ſe habitans, qui in ſe ipſo habet aliquid contra Spiritum concupiſcens, & pugnans cum Spiritu, quamvis contra id valide pugnet, ejusque voluntatem non faciat. Non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati adſumſit Dominus, quod ab altero longe diverſiſſimum eſt. Neque facile concedi poſſunt Diſſentientibus poſtulata, quibus in hanc ſententiam inducti ſunt; v. gr. Suſceptionem peccatorum noſtrorum a Chriſto factam non poſſe

 impu-

imputative intelligi: concupiſcentiam, niſi voluntas in eam conſentiat, non eſſe peccatum: in omni ſacrificio boni malique ſeparationem locum habere; ſatisfactionem vicariam per Chriſtum non potuiſſe fieri, omnique ſenſu veteris Adami figmentum eſſe: habere peccatores occaſionem juſtam vel languide pugnandi contra illecebras & tentationes peccatorum, niſi ſimili plane certamine & victoria Salvator præiviſſet, aliaque id genus plura, quæ nunc dimittimus. Nullam igitur (ſic merito ex hactenus dictis concludimus) Humiliationem Chriſto infanti hac parte noſtri adſcribere audent Theologi, donec illius ſanctitas & puritas ad plenam conſcientiæ convictionem in tuto ſit magis collocata.

Sed de his jam ſatis dictum eſt. Pergamus potius ſub finem Orationis noſtræ ad uſum & applicationem doctrinæ ſanctiſſimæ de Summa Chriſti infantis Humiliatione religioſam, quam pietas & præſentis Paraſceves optimi fines jubent tandem adjungere. Quantam ſalutem hæc Humiliatio Filii Dei humano generi afferre debuerit? nemo Chriſtianorum impune ignorat, & multo adhuc minus impune negligit, contemnit, abjicitque. Atque utinam hoc nemo

nemo faceret inter Chriſtianos! nemo inter nos, nemo in omni, quam Tubinga noſtra continet, ſocietate religioſa hoc faceret! Dicamus ergo, benedicente Domino, quicquid ad avertendam hanc peſtem fortiter, pie, & ſincere dici poteſt ab Oratore Theologo, qui non inanis declamationis cauſa, ſed pietati publicæ privatæque ſatisfacturus ad dicendum acceſſit. Cogitemus ſerio, Chriſtiani Auditores, Filium Dei e cœlo deſcendiſſe, ſed ad nos miſeros peccatores: deſcendiſſe, non, ut aliâs factum, ad perdendum in ira, ſed ad ſalvandum in gratia: deſcendiſſe naſcendo inſtar hominis, ut nobiſcum arctiſſimæ neceſſitudinis vinculo conſueſceret: deſcendiſſe humilem, ut Majeſtas illius divina ex intimo ſinu φιλανθρωπίας & χρηστότητος ad humanitatem noſtram fragilem, timidam & imbecillem attemperata blandior nobis appareret, & ſuavius nos ad ſe alliceret: deſcendiſſe denique humiliatum ac demiſſum ad infima per exceſſum amoris, ut nos præcipitatos in infimam perniciem per peccatum ad cœlum rurſus ſecum attolleret. Non ſunt inania hæc & ampullata verba, ſed verba veritatis, verba cœlo magis, quam terris digna, verba magna, cœle-

 ſtique

ſtique pondere graviſſima. Si vultis, AUDITORES, ipſas Scripturæ formulas; venit Filius Dei in mundum, ut ſervaret τὸ ἀπολωλὸς, ſervaret, quod perditum erat: venit, ut deſtueret opera Diaboli: venit plenus gratiæ & veritatis, ut ex illius plenitudine accipiamus gratiam pro gratia: venit, ut oves ipſius vitam habeant & abundent: venit cum poteſtate in omnem carnem, ut omne, quod ipſi Pater dedit, det ipſis vitam æternam. (t) Cujus cordi convincendo, cujus excitandæ fami & ſiti regni Dei & juſtitiæ, depellendæ acediæ, animandæ fidei hæc teſtimonia non ſufficiunt, illi tota Scriptura non ſufficit. Nonne idem, ſi viveret, ſi rediret ex cœlo, Paulus diceret Apoſtolus, quod apud ſui temporis homines profeſſus eſt: *Quodſi tectum eſt Evangelium noſtrum, iis, qui pereunt, tectum eſt, in quibus Deus hujus Seculi excæcavit mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei?* (u) Verum plura de his percipietis, A. H. proximis, quas nunc ingredimur, Feriis Natalibus Domini ſacris, niſi parvi ſit in oculis multorum ἐπισυναγωγὴ ſ. congregatio

(t) *Matth. XIIX. 11. Luc. XIX. 10. Joh. III. 8. Joh. I. 16. X. 10. XVII. 2.*

(u) *2. Cor. IV. 3, 4.*

tio Chriſtiana & publica, uti ſane eſt quam plurimis, invito Spiritu Chriſti, & repugnantibus officiis omnibus ac ſingulis ſocietatis Eccleſiaſticæ membris non ſimpliciter humano, ſed divino etiam, jure graviter incumbentibus. Abſit vero, ut illius rei oblivio nos capiat, quod humiliatio Chriſti Domini a primis incunabilis cœpta, & per omnem vitam in his terris continuata, in exemplum quoque & ad imitationem hominibus ſit propoſita. Mirum eſſet, id omnes ore agnoſcere, & facto tamen tantum non omnes abnegare Chriſtianos, niſi hoc eorum capitale in omni rerum ſanctarum genere eſſet vitium. Dicunt bonum, & non faciunt. Faciunt malum, & non dicunt. Sanctiſſime humillimeque Servator! Si faſtus, ſi ſuperbia & luxus, ſi omnes luxuriantis ingenii cordisque humani intemperantiæ, ſi petulantes in omni concupiſcentiarum genere, pro cujusque ſtatu, facultate, opibus, dignitate, & opportunitate, exceſſus licent, ſi peccatum non ſunt, ſi ſaluti non nocent, ſi nihil impediunt communionem cum DEO: quid opus fuit hominum cauſa, & in illorum exemplum, Te ad extremum humiliari? Imo quid prodeſt exemplum, ſi inte-

grum eſt cuique vivere, ut lubet, & nemo fere ſe ad hoc imitandum teneri ex animo credit atque agnoſcit? Num fruſtra & in vanum hortatus eſt Apoſtolus, dum ſcripſit: *Idem ſit affectus in vobis, qui fuit & in Chriſto JEſu, qui, cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam parem eſſe cum Deo: ſed ipſe ſe exinanivit forma ſervi accepta ſimilis hominibus factus?* Imo num luſit ipſe Dominus, cum diceret: *Diſcite a me, quod manſuetus ſum, & corde humilis?* & alibi ad infantiam pueritiamque alludens: *Niſi converſi fiatis, ſicut parvuli, in regnum cælorum non intrabitis?* (x) Forte ſecum cogitant aliqui, ac taciti mihi dicunt: Erras, Orator, quod probas multis, Chriſti humilitatem imitandam eſſe. In eo potius error eſt, quod, quomodo & quousque imitanda ſit? quam plurimi neſciant, & parum curent. Video hoc ulcus, & ſanari cupio. Nec tamen prius quoque dictorum pœnitet. Hic ſcib. evenit Chriſtianis, quod in tota de Imitatione Chriſti materia ipſis familiare eſt. Vident & animadvertunt in vita & perſona Chriſti non pauca ſingularia, aliisque haud temere imitanda. Vident, eum in illis quoque rebus, in quibus

(x) *Phil. II. 5. ſeqq. Matth. XI. 29. XVIII. 3.*

bus exemplum eſſe voluit, longius quandoque proceſſiſſe vivendo, agendoque, quam ut veriſimile ſit, eodem plane modo, iisdem cum circumſtantiis, pari denique gradu, hæc ſua veſtigia ab omnibus ſuis diſcipulis, h. e. Chriſtianis voluiſſe exprimi. Propius ad ſcopum noſtrum accedamus. Vident in Hiſtoria nativitatis Chriſti, & conjunctæ cum ea humilitationis profundiſſimæ, paupertatem, ſtabulum, ignominiam, perſecutiones, totalem omnis honoris, gloriæ, commoditatis, & bonorum hujus vitæ abnegationem ad ſummum usque gradum provectam. Audiunt poſthac, Chriſtum infantem, Chriſtum humiliatum, vel potius in omnibus ſe animo & opere humiliantem, ſibi in exemplum proponi. Hoc ſi ad literam accipiunt, ſtomachantur ſane & recalcitrant, neque pauciſſimi ſunt, qui adverſus religionem Chriſtianam, quam putant tam abſurda & ridicula ſibi imponere officia, implacabile odium, licet quandoque occultum, hac occaſione concipiant. Quid? inquiunt inflatæ illæ bullæ, & pleni confertim mundano Spiritu homines; Num, ut Chriſtiani ſimus, mendicitas eligenda, ſtabulum pro domicilio capiendum, Monachaliter

liter nobis vivendum erit? Quodſi vero percipiunt, ſapienti diſcrimine hic opus eſſe, prudenter, quid ad ſummam rei pertineat? quænam officia inde ad omnes emanent? ſeligendum eſſe: nullus tum exceptionum, limitationum, enervationum, & vitilitigationum circa obligationem conſcientiæ ad imitandam J. C. humiliationem, modus & finis eſt, omniaque vel imperite, vel malitioſe, ad eum usque gradum in tam gravi tremendaque confunduntur cauſa, ut ſæpe etiam ii, qui Chriſto non magis ſimiles ſint, quam ipſe Diabolus, nullo tamen angantur ſcrupulo, quod ab illius exemplo & imitatione, dum Chriſtianum nomen profitentur, tam proterve & impudenter diſcedant. Ad aliam mentem, Auditores Chriſtiani, ad aliam longe Scholam vocati ſumus; hanc ut ſtudioſe frequentemus, illam vero ut Duce Chriſto induamus. Legimus feminas nobiles, ut honorarent nativitatem Filii Dei in ſtabulo, appropinquante partu in ſtabulum, ut ibi parerent, ſe deportari curaſſe, quod ipſum devotionis genus Matri maxime Ignatii Loiolæ, celebris illius Societatis Ignatianæ Fundatoris, olim in mentem venit. Legimus, aliquos religionem, ut

ut ſuperbe vocant, h. e. vitam monaſticam profeſſos, cum more ſolito novum nomen eligerent, nunc ab Incarnatione, nunc ab Infante JEſu, hujusmodi cognomentum adſumſiſſe, ut hoc ipſo ſigno aliis oſtenderent, quam alte tam ſalutaris myſterii momoria & veneratio ipſorum animis impreſſa hæreret, ipſi vero vel nomine ſuo audito ſuam in illud pietatem quotidie refricarent. Graviora adhuc ſolidioraque præcepta ſunt, quæ ad honorandam admirabilem Divini Infantis Humiliationem nobis invicem inculcabimus. Hanc ſc. animo & vita exprimere tantundem eſt, atque nihil honoris & gloriæ divinæ ad ſe rapere & oſtentare, ſibi non placere, elata non ſentire, humilia ſectari; apud ſeipſum prudentem non eſſe: amorem mundi & cupiditatem bonorum illius inordinatam & noxiam fortiter abnegare: ex ſuperbia & voluptate eadem non appetere: in illis felicitatem ſuam non ponere: ipſorum uſum etiam in media poſſeſſione liberali ultra frugalitatem, modeſtiam, & humilitatem Chriſtianam non extendere: jacturam vero aut abſentiam æquo & generoſo animo perferre: ex ſincera humilitate alios ſibi ipſi præponere: ſua non ſolum, ſed & aliorum com-

commoda, ſalutem maxime æternam, etiam cum cordato, ſi opus fuerit, voluntatis, commoditatis ac libertatis propriæ, ſacrificio procurare; æterna denique præ caducis, cœlum præ terra, veritatem pro umbris, pro præſentibus futura per ſeriam & conſtantem animi ab iſtis omnibus ablactationem in omni vita ſectari. Hæc vera & ſalutaria humiliationis Chriſtianæ exercitia, a quibus nemo Chriſtianorum, qualiscunque ſit de reliquo, excipitur, quæ neminis quoque jura, dignitatem, ordinem & conditionem, quatenus a Deo ſunt, minuunt aut violant. Poſſunt ipſi etiam Reges & Principes accedere ad Filii Dei humilitatem; non purpuram exuendo, non deponendo ſceptra; non abjiciendo dignitatem ſuam: Hujusmodi enim conſilia temporibus ignorantiæ & ſuperſtitionis a Monachis olim data ſunt Principibus & Magnatibus. Nihil horum Filius Dei, licet ipſe humiliatus quam profundiſſime, ab ipſis poſtulat. Hoc vero ab illis quoque jure omni requiritur, ne ſe vana inflati ſuperbia, cum homines ſint, tanquam Deos jactitent; ne humilem, quam divinis legibus debent, obedientiam, ſupra Deum ipſum ſe extollendo, temere excutiant; ne

ſupra

ſupra fratres ſuos, h. e. ſubditos impotenter ſe efferant: ne denique ſuas divitias, ſuos honores, poteſtatem & abundantiam usque adeo immoderata libidine, laxatisque quibusvis cupiditatibus habenis, ſic prodigant, ut ne umbra quidem aut micula ſimilitudinis cum Rege Regum, & Domino Dominorum, noſtri cauſa, & ad exemplum noſtrum humiliato, tandem ſuperſit. Divitibus & ſpectatis in externo vitæ humanæ ordine Chriſtianis nihil occurrit cauſæ legitimæ Divini noſtri Infantis Humilitatem fugiendi. Hæc ipſis per illius Spiritum præcepta data ſunt: *Frater humilis glorietur in ſublimitate ſua: contra qui dives eſt donis, honore, facultatibus glorietur in ſua ζαπεινώσει & humilitate, quoniam veluti flos herbæ præteribit & marceſcet.* (y) Quam pulchrum, quam divinum hoc eſt! Audite & alterum: *Divitibus in hoc ſeculo denuntia, ne afferantur animo, neque ſpem [p]onant in incertis divitiis, ſed in Deo vivo, [q]ui præbet nobis omnia ad copioſe fruendum, ut divites ſint bonis operibus, colligentes ſibi ipſis fundamentum bonum in poſterum, ut apprehendant vitam æternam.* (z) Et quid dice-

(y) *Jac. I. 9. 10. II.*
(z) *1. Tim. VI. 17. ſeqq.*

67163
8-8-66
Jantz

dicemus tandem de Miniſtris religionis ab humiliato noſtro Domino ſanctiſſime inſtitutæ? Cui non permiſſum erit ab illius exemplo diſcedere, ſi his licet eſſe ſuperbis, ſi mundum amare, ſi voluptati ſe dedere, terreſtria ſectari, ſalva pietate, ſalva JEſu Chriſti imitatione, impune licet? Denique quam ſancta, quam innocens, quam benedicta in Republica, in Eccleſia, in privatis familiis, in collegiis & Societatibus univerſis, apud omnes & ſingulos, regnaret felicitas, ſi Spiritus humilitatis, modeſtiæ, frugalitatis, temperantiæ & abnegationis, quem Humillimus Infans divinus virtute & exemplo diſpenſat, totam mentem noſtram vitamque omnem impleret & ſanctificaret ſemper atque dirigeret!

Hæc poſtquam diximus, vix ultra quidquam ſupereſt, quod dicamus, quam id unum:

FIAT! DIXI!

JA729
W428c

Atheiſmus poſit. et neg: p: 43 ſeq:
Antiochiſmus p: -30.

Conſcientiae Teſtimonium p: 116
Eclogiſmus - p: 21-
Enthuſiaſmus p: 12
Eruditio ſine Gratia Santificante p: 230 ſeqq:

/10

Gallioniſmus p: 17
Gamalieliſmus p 74.

Jus Nat: an ad Scripturae explicationem neceſſarium. p: 55 ſeq.
Indifferentiſmus - p: 12
Latitudinariſmus p: 26.
Libertiniſmus p: 7

Naamaniſmus p: 28.
Nicodemiſmus p: -19.

Scepticiſmus - p: 2.
Solipſiſmus Sectarius p: 14
Syncretiſmus - p: 16
Sinenſes an Athei p: 72. ſeqq:
Socrates an Atheus p: 79 ſeqq:

Rationaliſmus - 14